



Svmma Juris Canonici


Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et
Sexto Decretalium Continentvr


Strein, Johann


Coloniæ Agrippinæ, 1659

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)




Th. 4760.





M. II.

31.



P A R S IV.
S I V E
COMMENTARIUS
IN REGULAS JURIS
PONTIFICII, QVÆ IN LIBRO
QVINTO, ET SEXTO DECRETA,
LIVM CONTINENTVR.

Authore

R. P. IOANNE STREINIO SOCIET. IESU
SS. Theol. Doctore, Iuris Canonici Professore,
& Academiæ Bambergensis Ottonianæ
Cancellario.



COLONIÆ ad Rhenum,

Curavit IODOCUS KALCOVIUS Bibliopola.

M. DC. LIX.

Cum privilegio.

T. A. R. S. IV.

217

COMMENTARII

IN REGULAS JURIS

ROMANICORUM IN LIBRO

QUINTO, DE ACTIONIBUS

LI. I. DE ACTIONIBUS

LI. I.

R. P. JOHANNES STRYMIUS SOCIUS

DE THEOL. DOCT. HONOR. CANON. PASTOR.

DE ACADEMIA HANNOVERENSIS QUONIAM

CONSTIT.



1717

Curia Teutonica Ratisbonensis Bibliotheca

II. 30. 17



DEDICATORIA.

ADMODVM REFERENDO, AC PRÆNOBILI DOMINO,

D. FRANCISCO
CONRADO.

IMPERIALIS ECCLESIAE
MAIORIS BAMBERG. & COLLEGA-
TAE COMBURGENSIS PRAEPOSITO, HERBI-
POLENSIS ITEM CATHEDRALIS CUSTODI,
Domino meo perquam gratioso,

Quemadmodum fons parvus olim Mardochæo per for-
nium conspectus *Esther. c. 10.* crevit in fluvium, & in aquas
plurimas redundavit, ita Legum, & Canonum doctrina
modicis primò terminis contenta succrescentibus annis,
populis, & ingeniis in eam latitudinem ac vastitatem in-
tumuit, ut non jam fluvio alicui, sed Oceano par esse vide-
retur. Immensa veteris iuris volumina, & opus desperatum *Iustinianus*
Imperator ipso Institutionum tuarum exordio agnoscit, & res ipsa lo-
quitur, cum resectis incredibili labore, ac studio minùs necessariis, quali
expressam

EPISTOLA DEDICATORIA.

expressam medullam non paucioribus, quàm 50. Digestorum, & 12. libris Codicis posteritati relictam esse videamus. In cuius materiae explanationem postquam deludare peritorum ingenia cœperunt, prolixis, inconditis, & multa verborum barbarie refertis Commentariis, quæ illustranda erant, obscurârunt. Pulchrum videbatur, ut cum *Budæo* loquar, aucupandæ gloriæ cupidis dicta majorum refellere, Pandectarum, ac Constitutionum scripta evertere, contorquere, distorquere, vim antiquorum scitis inferre, verborum aucupia, syllabarum tendiculas, literarum decipulas comminisci, nihil denique non inceptare.

Haud multò felicior turis Pontificii ortus, & progressus fuit. Cum aliis non mediocribus malis Decretorum acervus immensum crevit. Sua cuique Præsuli auctoritas ad sancendum leges robur addidit, quod nemo successoris sui potentiam minuere possit. Quâ fiducia effectum est, ut novis præceptis magna volumina replerentur: in quibus tandem *Gregorius IX.* Pontifex supervacaneam identitatem, prolixitatem, & confusionem animadvertens in certum ordinem, & volumen unum per *Raymundum* pœnitentiarum suum redegit. Illum post id æmulatus *Bonifacius VIII.* non modò, quæ supererant variis titulis sparsa, secrevit, & libri sexti nomen præfixit, sed insuper Regulas addidit, quibus discipulorum memoria, & intelligentia juvaretur. Etenim aliud nihil Regula est, quàm brevis rerum narratio, aut sententia generalis ex plurium legum mente à Iurisperitis notata, paucis verbis summam illarum contentionem, & quasi harmoniam complectens. Sed brevitati illi non rarò commixta obscuritas est, expositionis radio depellenda. Quo in studio multi ingenio, & doctrinâ præstantes viri operam suam posuere explanando, quæ minùs clara erant, eaque corroborando exemplis, objecta denique diluendo.

Vnum in quibusdam correctione dignum occurrit, sacræ, ac Theologicæ scientiæ ignoratio, per quam in devia subinde protacti minùs puram, solidamq; doctrinam adferunt. Quod non semel cum annotassem, operæ pretium facturum me existimavi, si Theologicæ scientiæ, quam professus annis compluribus fueram, consentientem Regularum Canonicarum expositionem discere volentibus conficerem. Quod an pro voto consecutus sim, non alium extra te, *perquam Gratiöse Domine*, iudicem requiro. Te, inquam, in quo generis summa nobilitas, cum incredibili humanitate, literarum, ac scientiarum penè omnium perfectio cum excel-

EPISTOLA DEDICATORIA.

sa Dignitate certat. TV primam ætatem optimis studiis, virilem præclaris officiis & muneribus illustrem reddidisti. Conspicuus omnium in oculis est antiquissimæ prosapiæ lucidissimus splendor, à maioribus obtentus, propriis, & heroicis actibus mirificè cumulatus: benè merendi de aliis promptissima voluntas, ex placido isto, serenoque vultu emicans, inuentium animos mirabiliter devinciens, rara omninò, & exquisita prudentiæ lux, in multis, magnisque negotiis Principum virorum admiratione comprobata. Iam verò avitæ Religionis studium, rerum divinaram cura, pietatis amor, in bonis constantia, cœlitum favore aucta, conservataq; nemini ignota, amore, & admiratione percellit etiam invitos: ut iam perquirere nullus audeat, cur adversum graculos unum Te præ aliis omnibus Commentarii huius protectorem elegerim.

Excipies igitur, quâ soles comitate lucubrationem hanc suâ tenuitate minimam, incultâ specie horridam, virium defectu timidam, ut favore, & auxilio tuo secura perftet. Annis fessum me, & viribus beligerò STADIONUM scuto tuebere, ne si allatrare silicernium livor videat, improbo conatu prævaleat. D. O. M. interea supplicibus votis obtestabor, ut amplissimæ Dignitati tuæ cum multorum annorum prospero, ac tranquillo cursu in hac vitâ felicitatem, in alterâ verò omnium virtutum meritis cumulado sempiternam impertiat beatitudinem. Anno Christi M. DC. LVI. Idib. Decemb.

Adm. Rev. ac Pranob. D. Vestræ.

humillimus in Christo servus

IOANNES STREINIUS
Societ. IESU.

* 3

CENSU-

Censura Ordinarii.

Summam Iuris Canonici proposuerunt multi; verum Methodo & Ordine, quali se convenientius Lectori satisfacere posse existimant, non raro diverso. Quos si A. R. P. IOANNES STREINIUS Societatis Iesu in sua Iuris Canonici Summa, tribus partibus comprehensa, nec non in ejusdem Commentario in Regulas Iuris Pontificii & Antinomia Iuris utriusque, nihil contra fidem aut bonos mores continentibus, superaverit: idiplum tractandi claritati & perspicuitati adscribendum, ac propterea typis mandari posse censeo & permitto. Coloniae 7. Septemb. 1658.

*Adrianus de Valenburch Metrop. Eccle.
siae Colonien. Presb. Canonicus & Cen-
sor libri Ordin.*

APPROBATIO.

EGO NITHARDUS BIBERUS Societatis Iesu in Rheno Superiori Praepositus Provincialis potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo P. N. GOSVINO NICKEL Praeposito Generali, facultatem concedo, ut Summa Iuris Canonici Tripartita, Commentarius in Regulas Iuris Pontificii, nec non Iuris utriusque; Antinomia à P. IOANNE STREINIO Soc. nostrae Theologo, & Iuris Canonici Professore Ordinario scripta, gravium Theologorum ejusdem Societatis nostrae iudicio examinata & approbata typis evulgetur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, & consueto sigillo munitas dedimus. Bambergae 12. Ianuar. M. DC. LVI.

(L.S.)

NITHARDUS BIBERUS.

COM.

COMMENTARIUS
IN T. 41. LIBRI V.
DECRETALIVM,
DE
REGVLIS IVRIS.
PROLOGVS.



Regula, Græcè κανὼν & γνῶμων propriè dicitur norma, quâ
lineæ diriguntur, quasi regens mensuram. Per transla-
tionem verò secundum Paulum *IC. est propositio, quæ
rem ut est, vel esse debet breviter enarrat: non ut ex Re-
gulâ ius sumatur, sed ex iure, quod est. Regula fiat.* Per
Regulam igitur brevis rerum narratio traditur: ideoque
ut *Sabinus ait*, quasi causæ coniectio, seu conjunctio est. Alii sic defi-
niunt, *Regula est sententia quedam generalis, quæ ex plurium legum men-
te à Iurisconsultis notata paucis verbis summam earum consensionem, &
quasi harmoniam complectitur.* Quod *Dynus* inductione declarat hoc
modo. Singulariter constitutum est, quòd pisces occupantibus cedant,
ideo, quod in nullius bonis sunt: lapilli item in littore maris inventi oc-
cupantibus cedant propter eandem rationem: item aves, & feræ be-
stia. *l. Quedam. π. De rer. divis. Inst. cod. §. 1. & §. feræ.* Ex his casibus sin-
gulariter decisis, & eadem ratione firmatis Regula generalis conficitur.
Quod nullius in bonis est, id naturali ratione occupanti conceditur. *l. 3.
π. De rer. domin. Ita Dynus.*

Vnde colligitur 1. Regulam verbis generalibus affirmativis,
vel negativis concipiendam esse; aut certè indefinitis, quæ æquivalent
generalibus. 2. non esse naturam Regulæ, ut novum jus constituar,
quamvis ita fieri non repugnet. 3. à lege plurimum differre, sive causam
efficientem, sive alias condiciones attendas. 4. dari in remedium hu-
manæ

A

manæ fragilitati, quæ in numerosâ legum multitudine quasi labyrinthico perichitari solet, nisi rerum summa capita, & generales gromas præ oculis habeat, s. posse quemlibet iuris peritum, præter eas, quæ actu prostant, plures Regulas formare, fusiùs dicta in quendam quasi epitomen redigenda. Denique longè aliam esse rationem Regularum iuris, & illarum, quibus Ordinum religiosorum vita, moreque diriguntur, ut patebit consideranti materiam circa quam, finem, formam, & obligationem, aliasque circumstantias de quâ re legi potest *Hugo, Vmbertus, Car amuel in Reg. S. Benedicti, & Nigronus in Comment. Reg. commun. Soc. Iesu s. Particula prima Regula.*

INDEX

REGVLARVM LIB. V. DECRETALIVM.

- E** Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.
2. Estote misericordes, &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.
3. Qui scandalizaverit &c. Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.
4. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & Sabbatum custodiri præceptum est: Macchabei tamen sine culpâ in Sabbato pugnabant. Sic & hodie, si quis ieiunium fregerit egrotus, reus voti non habetur.
5. Quod latenter, aut per vim, vel aliâs licitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere.
6. Cum in contemplatione &c. In ipso causæ initio non est à questionibus inchoandum.
7. Quæ multoties, &c. Quicquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis iniuste agitur, pro Sacrilegio reputatur, quia sacra sunt & à quoquam violari non debent.
8. Qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debeat, facit, & ideo iam non facit.
9. Desleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.
10. Quamvis causa, &c. Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.
11. Indignum est, & à Romana Ecclesia consuetudine alienum, ut pro spiritualibus sacris quibus homagium compellatur.

30

INDEX
REGVLARVM

LIB. VI. DECRETALIVM.

A ccessorium naturam sequi convenit principalis.	42
Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.	50
Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri.	1
Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.	83
Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.	88
Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.	57
Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur.	85
Cui licet, quod plus est, licet utique, quod est minus.	53
Cum non fiat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.	66
Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.	84
Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, qua ex illo sequuntur.	39
Cum quis in ius succedit alterius, iustam ignorantia causam censetur habere.	14
Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius, quam actori.	18
Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.	86
Decet concessum a principe beneficium esse mansurum.	16
Delictum persone non debet in detrimentum Ecclesia redundare.	76
Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.	59
Ea, que sunt a iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistant.	26
Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.	31
Ex eo non debet quis fructum consequi, quod visus extitit impugnare.	38
Exceptionem obiciens non videtur de intentione adversarii consiteri.	63
Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se prestitam servare recusat.	75
Titulum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.	73
Generi per speciem derogatur.	34
Ignorantia facti non iuris excusat.	13
Imputari non debet ei, per quem non fiat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.	41
In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri.	70
A 2	11

INDEX

<i>In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.</i>	78
<i>Indultum à iure beneficium non est alicui auferendum.</i>	17
<i>Infamibus portae non pateant dignitatum.</i>	87
<i>In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.</i>	81
<i>In iudiciis non est acceptio personarum habenda.</i>	12
<i>In malis promissis fidem non expedit observari.</i>	69
<i>In obscuris minimum est sequendum.</i>	30
<i>In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis.</i>	65
<i>In poenis benignior est interpretatio facienda.</i>	49
<i>In re communi potior est conditio prohibentis.</i>	56
<i>Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.</i>	45
<i>In toto partem non est dubium contineri.</i>	80
<i>Is qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur.</i>	44
<i>Is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debet.</i>	46
<i>Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria.</i>	48
<i>Mora sua cuilibet est nociva.</i>	25
<i>Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.</i>	33
<i>Nemo potest ad impossibile obligari.</i>	6
<i>Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.</i>	79
<i>Non debet aliquis alterius odio praegravari.</i>	22
<i>Non est in mora, qui potest exceptione legitimam se tueri.</i>	60
<i>Non est obligatorium contra malos mores praestitum iuramentum.</i>	58
<i>Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet.</i>	19
<i>Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.</i>	18
<i>Non licet actori, quod reo licitum non existit.</i>	32
<i>Non praestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.</i>	
<i>Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.</i>	62
<i>Nullus uti pluribus defensionibus prohibetur.</i>	20
<i>Odia restringi, & favores convenit ampliari.</i>	15
<i>Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.</i>	4
<i>Peccati venia non datur nisi correcto.</i>	5
<i>Pluralis locutio duorum numero est contenta.</i>	40
<i>Possessor mala fidei ullo tempore non praescribit.</i>	2
<i>Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.</i>	68
<i>Plus semper in se continet, quod est minus.</i>	35
<i>Presumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.</i>	47
<i>Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum personâ.</i>	71
<i>Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.</i>	36
<i>Quae à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.</i>	28
	Qui

Qui contra ius mercatur, bonam fidem praesumitur non habere.	82
Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.	71
Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi.	64
Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.	72
Qui prior est tempore, potior est in iure.	54
Qui sentit onus sentire debet commodum, & e contra.	55
Qui tacet, consentire videtur.	43
Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.	74
Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.	67
Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.	61
Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.	29
Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur cum habeat parere necesse.	24
Quod semel placuit, amplius displicere non potest.	21
Rationem retro trahi, & mandato non est dubium comparari.	10
Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.	77
Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.	9
Scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus.	27
Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.	51
Semel malus semper praesumitur esse malus.	8
Sine culpa, nisi subita causa, non est aliquis puniendus.	23
Sine possessione praescriptio non procedit.	3
Utile non debet per inutile vitari.	37



COMMENTARIVS
IN T. 41. LIBRI V.
DECRETALIVM,
DE
REGVLIS IVRIS.

REGVLA I.

*Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem
dissolvitur.*

I.



Ec Regula attribuitur Auctori Operis imperfecti *hom. 32. in Matth. & quia à veteribus esse s. Chryso-
mum* existimatur, ipsius nomen præfixum legimus. Sumpta videtur ex *Reg. 35. Iur. Civ.* Nihil tam naturale est, quam eodem genere quodque dissolvere, quo colligatum est: ideoque verborum obligatio verbis tollitur; nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur. de quo v. *ulterius Philippum Decium.* Refertur etiam in *c. Omnis 27. q. 2.* ad probandum, non separatione corporum, sed voluntatum distrahi matrimonium, cum illius causa non sit coitus, sed voluntatis consensus. Quamobrem

pro vero germanoque sensu, non nihil à literâ recedendum, & suppositione congruâ utendum est. Neque enim simpliciter res quælibet naturalis, artificialis, vel etiam moralis, per eas causas, quibus efficitur, destruitur, ut apparet in omnibus illis, quorum conservatio à causâ productivâ non pendet. Manet uva sine vite, gemma sine artifice, sententia sine iudice. Eo igitur modo, quo cælum dicimus tegere omnia, cum seipsum non tegat, omnis res à causâ effectrice sua dissolvi censetur.

Nec dubium relinquitur, quin regule auctor, non de physicis compositis, sed civilibus, ac moralibus loquatur. Quod animadvertens *Glossa* sic exponit. Omnis res, *id est*, omnis obligatio temporalis per quasc. causas contrahitur, per easdem dissolvitur. Huiusmodi enim obligationes temporales consensu fiunt, & dissensu pereunt. Secus in

in spiritualibus accedit. Nam neque matrimonium consummatum, neque jus electione Canonica acquisitum dissensu voluntatum extinguitur.

II. Pro Regula uberiori confirmatione exempla occurrunt. 1. in sponsalibus, quæ propter odium, quod timetur, utriusque contrahentium voluntate quâ contracta prius erant, dissolvuntur; eo ferè modo, quo illi, qui societatem inierant, interpositione fidei, eandem sibi remittunt. *c. praterea. 2. De sponsal. 2.* in toto genere contractuum, de quibus in *Part. 2. Summa Jur Canon.* egimus, præsertim innominatis, qui faciliùs pœnitentiam admittunt. Quo etiam pertinent sponsiones, induciæ, scœdera, & his similia. Sic ferè *Glossa*, à qua nihil vetat recedere, & Regula fines ampliare. Non secus enim, atq; in contractibus, in aliis multis obtinet: ut *primò* in legibus, statutis, & privilegiis. Hæc enim, nisi materiæ conditio resistat, à beneplacito illorum, qui Reip. clavum moderantur, ita pendent, ut confirmare vel infirmare liceat. Lex temporalis, ait *S. Aug. l. 1. de lib. arb.* quamvis

justa sit, mutari tamen pro tempore potest; idquæ dupliciter, ut *S. Thom. in 1. 2. q. 97. art. 1. explicat. V. Sylv. V. Lex. n. 25. Laym. l. 1. tract. 4. c. 23. n. 28.* Secundo in oneribus imponendis, cujus generis sunt tributa, vectigalia, portoria & consimilia, quæ cum tempore oriuntur, cum tempore occidunt. Nam qui impulsus necessitate imperat, sublata necessitate relaxat.

Tertio in votis quibusdam, quorum firmitas alieno arbitrio indiget. Etenim vota conjugum à maritis, filiorum à parentibus, regularium à prælatis suis, vel approbatur, vel irritantur. *c. Noluit. c. manifestum 33. q. 5. c. Monacho. 20. q. 4.* Dispensat in quibusdam Pontifex, in quibusdam Episcopus: nonnulla mutat confessorius. *V. Navarr. cap. 12. à numer. 63.*

Quarto denique in ultimis voluntatibus. Etenim testamenta non nisi testatoris morte confirmantur, nec prima, sed ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet. *c. Ultima. 13. q. 2. l. Sancimus. C. de testam. l. i. Clar. 5. Testam. n. 2.*

REGVLA II.

Ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretanda sunt.

II. **D**ubium propriè est suspensio intellectus hærentis quasi in bivio, nec banc, nec illam partem eligendo, Vel, si mavis, suspensio animi in neutram partem inclinantis. Dubitans enim, quasi compede injecta progredi nequit, ut *Aristot.*

observat. l. 3. Metaph. text. 1. V. Less. l. 2. cap. 29. dub. 2. num. 6. Bardum Discept. 5. cap. 1.

Qui in positivum & negativum dividunt, impropriè loquuntur, & cum opinione confundunt, quæ nihil aliud est,

est, quàm dubitatio positiva, contenta qualicumque motivo, carensque certitudine. Multò remotius abeunt, qui cum *Salas Tract. 8. sect. 16.* actum quendam reflexum exigunt: quasi non dubitet quis, nisi se dubitare animadvertat. Dubitant igitur, quicumque à certitudine deserti in medio hærent, neutram partem amplectendo: quemadmodum è contrario certi sunt, qui uni alicui parti firmiter adhærent. Cæterum dubitatio nascitur, vel ex defectu medii scientifici, vel ex æqualitate signorum, aut probationum, vel ex obscuritate rerum. Vnde secundum *Bartolum, & alios apud Farinac. in Praxi Crim. q. 36. n. 197.* dubitatio non est propriè aliquis probationis gradus, sed est principiū investigationis de certitudine: & quando post inquisitionem Iudex in unam partem incipit magis inclinare, cessat dubium, & subintrat opinio *V. Farinac. l. cit. Menoch. De præsumpt. q. 7. n. 47.*

II. In tali dubio igitur meliorem in partem flectendus animus, & à sinistro de probitate ac fide proximi iudicio abstinentum est. Nam hoc ipso, ait *S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 4.* quòd aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causâ injuriatur ei, & contemnit illum. Nullus autem debet alium contemnere, aut qualemque nocentem inferre absque causâ cogente: & idè ubi non apparent manifesta indicia de malitiâ alicujus, debemus eum, ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est. Hoc tamen in iudicio de rebus locum non habet, quia in hoc non atten-

ditur bonum, vel malum ex parte ipsius rei, de quâ iudicamus, cui nihil nocet iudicium nostrum, qualecunque fuerit, sed at tenditur ibi solum bonum iudicantis, an verum attingat vel non. Si quidem ipsius intellectus bonum est veritas, malum verò fallitas, teste *Arist. l. 6. Ethic. c. 2.* In iudicio de personis è contra periclitatur bona fama, & innocentia alterius, cui injuria fit, si absque gravi causâ ipsius gesta in deteriorem partem iudicemus. Atque hæc sit prima Regulæ hujus limitatio, quæ in gravi causâ minùs benignam interpretationem concedit.

III. Limitari secundò potest in casu, quo de malo avertendo, vel bono acquirendo agitur. Nam sicut sua ipsius acta quilibet timere, & suspecta habere potest, secundum illud *Iobi c. 9. v. 28. Verebar omnia opera mea,* sic in aliis attendere licet, ne damnum illis, aut nobis inferatur; inque eum finem, quod deterius est, cogitare. Hoc citato loco *S. Thom.* ita explicat. Interpretari aliquid in pejorem vel meliorem partem contingit dupliciter, primò quidem, per suppositionem, & sic, cum malis quibusdam adhibendum est remedium expedit, ut securitatis causâ supponatur id, quod deterius est, quia remedium efficax contra majus malum magis efficax est contra minùs. *Secundò* interpretamur aliquid in bonum, vel malum definiendo, aut determinando, & sic in iudicio rerum conitti quis debet, ut interpretetur unumquodque sicut est; in iudicio autem personarum, ut in melius interpretetur propter rationem supra assignatam.

Quam-

Quamobrem à peccato alieni sunt, qui receptis hospitio peregrinis, ignotisque hominibus, pro securitate abscondunt pretiosam suppellectilem, cistas, & scrinia occultant, non secus, ac si de fide ac probitate hospitem diffiderent, cum revera non diffidant, sed res suas impensius ament, & contra quemlibet casum conservatas velint. Quin etiam superioribus laudi datur, quando pro majori cautela propter inditia in speciem levia subditos corripunt, jubentque abstinere ab illis, ex quibus emergere peccatum, vel damnum queat. *Regin. Tom 2. pag. 319.*

IV. Cavendum quoque, ne dum proximi innocentiam tueri volumus, quæ dubia sunt meliorem in partem interpretando, nos ipsos veritatis umbrâ delusos errandi periculo exponamus. Non enim si iudex propter testium, & indiciorum defectum proferre non audeat condemnationis sententiam, illicò pronuntiabit, innocentem esse, quamvis à parte rei inter affirma-

tionem, & negationem nihil intermediet: sed more majorum scribet N. L. id est, *Non liquet.* Regula certè aliud non exigit, quàm ut in dubio non præcipitemus sententiam condemnationis. Quo sensu intelligendum quoque axioma illud, *Quamdiu aliquis non demonstratur nocens, censendus est innocens.* Item *Regula 11. in 6.* Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quàm actori, ut in Commentario fusiùs explicavimus. Vnde consequitur, quando indicia ad fidem sufficientia præstò sunt de alicujus delicto neminem obligari ad judicandum illum vel à culpâ, vel culpæ suspitione alienum esse. Hoc enim faciendo periculo exponimus nos, contra, quàm rectæ conscientie dictamen velit. *V. Tholos. l. 50. c. 1. num. 11. Layman. l. 3. tract 3. part. 2. c. 2. num. 7. Comitol. l. 6. q. 33. Menoch. de arbitr. Casu 270. Lugo de iust. d. 14. sect. 2. Les. cap. 29. dub. 4. n. 32. & seqq. Silv. V. Dubium. n. 2. Bonac. de iudic. temer. tom. xi. pag. 446. Escob. tr. 1. Exam. 10. c. 4.*

REGVLA III.

Verius scandalum nasci permittitur, quàm Veritas relinquatur.

I. Scandalum duplex est, activum, & passivum, hoc impiorum, illud infirmorum. *Anton. part. 2. t. 7. cap. 3. Silv. V. scandalum.*

Veritas autem triplex, vitæ, doctrinæ, & justitiæ juxta ver. vulgò notum
*Est veritas vitæ, doctrinæ, justitiæq;:
 Primum semper habe, alia propter
 scandala lingue.*

Veritas vitæ in eo consistit, ut quis vitam rectæ rationi conformem agat. Veritas doctrinæ cernitur in oratione, quatenus animi index est, ut contra mentem nihil loquaris, uti mendaces solent.

Veritas justitiæ requirit, ut consilia, & actiones nostræ comensurentur intellectui tanquam regulæ eorum, quæ justa sunt. B lam

Iam quod dicitur Veritati insistentium esse contempto scandalo, eo sensu accipiendum est, ut vitæ integritas nunquam minuatur, aut deseratur id eo, ne quis ex honestate nostrorum operum scandalizetur. Neque enim ex bonitate eorum, quas nos honestè facimus, sed aliorum malitia, qua vitata illorum mens est, scandalum nascitur. Sibi imputent, qui araneorum more ex bono malum sugunt. Melius est, ut scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur, *S. Bern. ep. 34. Laym. l. 2. tract. 3. c. 13.* Iustitia quoque servanda eatenus est, ut innocens nemo condemnetur, sed aliquando leniendâ severitas, pœnaque merentibus condonanda. Veritati doctrinæ similiter inhærendum ita, ut nullus falsitati locus relinquatur: at tamen propter aliorum infirmitatem, qui capaces non sunt, in tempore, & loco omitti celariq̄ue potest. *Azor part. II. l. 12. c. 16. Comitol. l. 5. c. 12.*

II. Sed quia duplicia bona sunt, spiritualia, & corporalia, majoris notitiæ causa, proderit accuratiùs exponere, quando & quomodo scandali vitandi causâ tenenda, vel relinquenda sint. De bonis spiritualibus, quæ sequuntur, attende.

Primò, quæ ad salutem animæ simpliciter, & ex præcepto necessaria sunt, propter scandali metum nunquam omittere licet: ne pro aliorum salute procuranda vel conservanda peccatum committamus, violando mandata Dei, quorum observatio ad consequendam beatitudinem simpliciter necessaria est.

Secundò, quæ nec præcepta nobis, nec ad salutem simpliciter necessaria sunt,

puta, jejunare, elemosinam dare, & his similia, aliquando omittere licet, vel differre propter infirmos ac debiles in fide. Propter illos autem, qui cum Pharisæis ex malitia oblatrant, nequaquam prætereunda sunt. Ideò enim scandalizantur, quia veritatem oderunt. *S. Bern. de præc. & disp. Casian. col. 17. c. 16.*

Tertiò, quando ex doctrina, institutione nostra, vel etiam correctione (quoad justitiam pertinet,) non speratur fructus, sed offensio, & exasperatio timetur, aliave majora mala, abstinere tatius est, quàm incassum laborare. Nam quod S. Scriptura & Ecclesiastici Canones pœnam minantur tacentibus, non de qualibet, sed necessaria ad salutem proximi institutione intelligendum est. *Isai. c. 58. v. 1. c. 56. v. 10. Ezec. c. 3. v. 17. c. 33. v. 8. c. Sit rector. c. Ephesius. c. dispensatio. dist. 43.*

Quartò, quod veritatem vitæ attinet, ne proximus scandalizetur, etiam ab illis, quæ speciem mali habent, abstinere nos Apostolus jubet *1. ad Cor. 8. v. 13.* Si esca scandalizaverit fratrem meum, in æternam carnes non manducabo, intellige, quando talis comestio ad vitæ conservationem necessaria non est.

III. Bona temporalia (quod alterum divisionis membrum erat) duplicia sunt, alia aliorum, nostræ tamen fidei commissæ, alia nostra, quoad dominium, & proprietatem. Hæc pro evitando scandalo subinde non repetere ab illis, qui occuparunt, possumus; illa vero alienis relinquere nequaquam licet, quamvis inde scandalum meretur. Religio enim, & fides in fidei commissario

fario requiritur. *l. questionem. c. de si-
de commiss.*

Pro exemplo laudant aliqui *S. Thomae
Cantuariensis* contra Regem Angliæ
constantiam, qui quamvis sequeretur
scandalum à parte regis, non permisit
quicquam de bonis Ecclesiæ alienari.
Verùm non liquet, an de bonis tempo-
ralibus tantùm lis fuerit, an verò de
aliis quoque juribus, quorum incapax
fuerit rex. Quod si sancti Martyris acta,
quæ ex Eduardo in compendium rede-
git *Laurent Surius* attendere volumus,
de aliis magni momenti quæstis litiga-
tum esse comperiemus. Instabat *Henri-
cus* rex magno nisu, ut Episcopi leges re-
gni & consuetudines, quantumlibet Sa-
cris Canonibus contrarias reciperent,
quarum *prima* erat ad Sedem Apосто-
licam absque regis consensu nulla ap-
pellatio fiat. *Secunda* nulli Episcopo-
rum rege non consulto & annuente ad
Summum Pontificem quævis evocatus
sit, adire liceat. *Tertia*, illorum, qui à
parte regis stant, neminem Archiepis-
copus vel Episcopus excommunicabit.
Quarta, Clericorum causas Iudex sæ-

cularis cognoscat. *Quinta* denique ju-
dicium de decimis, aliisque Ecclesiæ
bonis ad tribunal Regis pertinet. Præ-
ter hæc re ipsa clericos in contemptum
Archiepiscopi indignis modis vexabat.
Vnde liquidò apparet, non de bonis
temporalibus Ecclesiæ tantùm, sed de
totâ clericorum & Episcoporum im-
munitate controversiam fuisse. Alias si
præter bona nihil aliud rex postulasset,
minùs discretæ contradictionis argue-
retur *S. Thomas*, cum pro admodum
gravi scandalo laico dimittere Eccle-
siæ bona liceat. Satius enim tunc est,
relinquendo temporalia redimere ve-
xationem, quàm pertinaciter obsisten-
do augere malitiam, quemadmodum
Antoninus ait loc. cit. cap. 4. §. 6. quod
tunc potissimè admittendum videtur,
quando spes est, relicta Ecclesiæ bona
suo tempore recuperandi, postquam
videlicet violenti possessoris cupiditas
refrigit, vel illo benignior hæres suc-
cessit, qui augere patrimonium Chri-
sti, quàm diripere malit. *V. Baron. Anno
Chr. 1164.*

REGVLA IV.

Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.

Beda in Marc.

I. *SVppositio*, quod Theologi, &
Siegum periti meliores recipiunt,
legem naturalem ita firmam, fixamque
esse, ut nullam mutationem admittat,
præiens Regula in solâ positivâ locum
habet, ut cujus obligatio tam arcta non
sit, quin subinde vel omissionem, vel

actum contrarium admittat. Nam ut
Glossa exemplis utar, Sabbati præcepta
observatio est, *Exodi cap. 16. v. 23. & c.
20. v. 8.* Macchabæi tamen sine culpâ in
Sabbato pugnabant. *c. Si nulla 23. quæst.
ult.* & hodie si non jejunaverit ægro-
tus, reus voti non habetur, *cap. 2.*

B 2

de

de observ. ieiuniorum. Necessitas enim verò legi non subiacet. c. Quanto. de consecr. c. Sicut. dist. 1. de consecr. c. Pervenit. dist. 3. eod. Vnde tempore necessitatis omnia communia sunt. c. dilectissimis 12. q. 1. & l. 2. §. Cum in ead. navi. T. ad l. Rhod. d. iactu. Et sic necessitas excusat. c. Discepulos. dist. 5. de consecr. c. Quisquis dist. 12. c. Si quis. de furr. V. Barbof. Axiom. 157. Laym. l. 1. tr. 4. c. 14. Vivian. in c. Mandamus. de Off. Archid. & c. licet. de remiss. & pœnit.

II. Qui præcepta, leges, constitutiones, sive Ecclesiasticas, sive politicas examinaverit, plura exempla inveniet. Nam propter damnum, quod meritò timetur, vel lucrum justum, & magnum, quo carere non possumus, omittere aliquando licet, non tantum, quæ civilis magistratus, sed etiam quæ Ecclesia mandat. Sic Horarum Canonicarum pensum cæcus non exolvit, & pro conservatione honorum temporalium, vel eorundem incremento necessario negotiator à Missa abest, ut pluribus explicat Suar. l. 6. de legib. cap. 7. circ. fin. Præterea necessitas retinendi statum decentem à restitutione excusat, quemadmodum Antonin. apud Nav. docet c. 17. n. 62.

Verum omni studio vitanda, damandaque sunt illa, quæ ab Auctoribus nonnullis minùs accuratè perpensa referuntur. Eius generis vulgatum illud est, quod post alios non paucos, nec ignobiles Scholasticos apud Silvest. in V. Confessor. n. 1. Gaill. repetit l. 1. observ. 102. n. 12. laicum in casu necessitatis audire Confessionem peccatorum, & absolvere posse per text. in c. Sanctum est. de con-

secr. dist. 4. ubi metu naufragii impulsus quidam reconciliationem à laico petivit, & obtinuit, cui operi Deum adfuisse creditur. Quod tamen non de Confessione Sacramentali, in qua solus Sacerdos, isque approbatus Iudex est sec. Conc. Trid. sess. 14. can. 10. & sess. 23. c. 15. de Reform.

Sed ea, quæ ad sui ipsius confusionem, & humilitatem exercendam, vel contritionem obtinendam instituitur, intelligendum est. V. Valent. rom. 4. disp. 7. q. 10. pun. 1. Navarr. c. 4. n. 16. Laym. l. 5. tract. 6. c. 10. Imò ne quidem in articulo mortis ab excommunicatione absolvere laicum posse contra Gloss. & Panorm. meliores Theologi censent, Paludanus, Ripa, Soto, Covarr. alique apud Sayrum citati l. 2. de Censur. c. 2. n. 3 & 4. quibus adde Suar. tom. 5. disp. 7. sect. 6. & Barbofam in c. Pastoralis 11. de off. ind. ordin. n. 17.

III. Magis alienum à doctrina Catholica est, quod Peckus in Comm. Regul. Iuris in 6. ad Reg. 4. n. 9 quamvis timide asserit, pro vitæ conservatione fornicationem admitti posse. Etenim fornicatio ex illo criminum genere est, quod à nulla circumstantia, aut extrinseco sine capere honestatem queat, non magis, quàm adulterium, de quo ipse Peckus non dubitat. V. Lorin. in c. 3. lib. 8. ap. v. 16. Idem melius in Reg. 78. n. 7. constanter ait, idè prohiberi fornicationem, quia mala est; sicut malum est adulterium, eamque malitiam hominum voluntas & consensus tollere non potest. Quod verò addit, fornicationem peccato apud Deum non carere, si alio modo evitare mortem queat, in priorem hæ-

litæ

fitationem relabitur, quasi in necessitate inevitabili fornicatio licita sit. Tenendum igitur, quod omnes Doctores (teste Silvestro V. *Luxuria* n. 3.) docent, simplicem fornicationem à regno Dei excludere, & peccatum mortale esse. Nec audiendi sunt buccinatores Evangelici quidam, qui contrarium Catholicis Doctoribus mendaciter tribuunt apud *Barclaium in Paranesti* l. 1. p. 56.

At, inquit, saltem ignorantia excusare illos potest, qui quod ingenio crasso, incultoque sunt, fornicationem simplicem carere malitia existimant. Equidem opinio quorundam, præsertim *Sorli* l. 3. de *Iust.* q. 3. art. 3. fuit gentiles aliquos inculpabili ignorantia excusari. Verùm ea opinio parùm probabilis est, quia Iuris naturalis vim elidit. Vnde melius cum *S. Th.* quod l. 8. art. 15. dixeris, fornicationem in illo peccatum mortale futurum, qui levem culpam existimans eam se commaculat. Neque enim gravis malitiæ quæ in fornicatione etiam simplici est, ignorantia invincibilis datur. *V. Comitol.* l. 5. q. 1. n. 7.

IV. Eodem pertinet, quod veterum Patrum aliqui dixerunt, ut pharmaco sic mendacio subinde, boni, malive causa utendum. *Origenes in Comm. epist. ad Galat.* c. 1. 6. *Stromat. Dorothei. serm.* 9. *Cassian. collat.* 17. c. 17. & alii quidam, quibus hodie unanimi consensu Theologi, & Canonistæ repugnant, ducit *S. Thom.* 2. 2. q. 110. art. 4. seu potius *S. Augustino*, qui librum de mendacio scripsit ad Consentium, & alterum contra mendacium ad eundem, in quo multis ostendit, falsam esse prædictam opinionem. Cùm enim intrinsecè ma-

lum sit mentiri, in nullo eventu admitti potest, ne faciamus mala, ut eveniant bona. *c. Ne quis. cum seqq.* 22. q. 2. Dicendum igitur cum *Silvestro V. Mendacium* n. 2. verum non esse, quod dixit *Venerabilis Casianus*, licitum esse mentiri ob magnam utilitatem assequendam, vel malum avertendum. Similiter verum non esse, si post *Casianum* quicumque alius id affirmare audeat. Etenim omne mendacium in omnibus peccatum est: omne quod à veritate discordat, iniquitas est. *S. Bern. serm.* 31. de modo bene vivendi. *V. Azor. tom.* 3. l. 13. cap. 1. *Layman* l. 4. tract. 3. c. 13. *Navarr.* c. 18. num. 3.

V. Contra id, quod n. 1. diximus immutabilem esse legem Naturæ obicitur *Arist.* l. 5. *Eth.* c. 7. & *S. Thom.* in 1. 2. q. 94. art. 5. ubi prima quidem principia immutabilia esse docet, conclusiones autem in aliquo casu mutari posse ob particulares causas, & circumstantias. Nam *ex. gr.* lex naturalis jubet depositum reddi petenti: si autem contingat à furioso peti, propter periculum reddi non debet. Idem in præcepto, *Non occides*, & similibus accidit. R. Lex naturalis aliter in mente, aliter in membrana existit; hic imperfectè & incompletè, ibi perfectè, & completè. *Non occides*, dicit mens, privata auctoritate, seu injustè, *Non occides*, dicit membrana, sed omittit limitationem. Idem in præcepto depositum reddendi contingit, aliisque similibus. Vnde sequitur mutationem aliquam extrinsecam, seu improprie dictam legi naturali convenire, nullam verò proprie dictam. *V. suar.* l. cit. c. 13.

REGVLA V.

Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

I. Latenter seu clam facere censetur. 1. qui celat adversario, neque denunciatur illi timens eius controversiam. 2. qui agit animo celandi eum, quem prohibendum intelligit. 3. qui oppositionem, seu resistantiam metuens aliter facit, quàm indicat, & qui post denunciationem in certum diem, & horam fecit. 4. furtivè possessionem ingrediens clam fecisse dicitur, metuens veri possessoris resistantiam. 5. clam uti re aliqua dicitur, qui prohibitus utitur. Denique quicquid in occulto fit, exclusis arbitris, & testibus, latenter actum præsumitur, ut apparet in sponsalibus, & matrimonio clandestino, cum requisiti testes non adhibentur. c. 2. de sponsal. Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de Reform. V. Barbof. tr. de partic. dist. 59.

Rationem Glossa allegat, quia contra ius sunt, quasi dicat, contra jus facta pro infectis haberi debent: cujus generis sunt violentiæ, dolosæ, vel occultæ machinationes, & quæcunque legibus prohibentur.

II. Vim Ulpianus ita describit, & à clandestino distinguit. *Vi factum videtur id, quod quisque, cum prohiberetur, fecit: Clam, quod quisque, cum controversiam speraret, fecit.* l. 74. §. vi factum. T. de div. reg. iur. Sed harum legum interpretes, non uno modo vim committi, neque unius generis clandestina facta esse observant. Vis publica est, ait Isid. l. 5.

etym. c. 26. si quis civem ad populum, vel regem appellentem necaverit, torserit, verberarit, aut vinxerit: privata verò si quis ante iudicium armatis hominibus quenquam è suo deiecerit, vel expulerit. Alii vim publicam appellant, quæ armatis hominibus, aut coactis committitur; privatam, quæ sine armis fit. l. 3. 4. 5. T. ad l. Jul. de vi publ. Decius in Reg. Hoc iure 194.

III. His annotatis Regulæ intentio manifesta est. Nihil enim aliud vult, quàm facta per vim, dolum, aliumve modum legibus prohibitum non mereri laudem, vel approbationem, sed pro non factis habenda, tollenda, & irritanda esse.

Cautè dicitur non debent subsistere, quia per se, & reapse non quicquid illicito modo agitur, viribus caret, ut innumeris exemplis liquet. Nam, ut Philippi Decii enumeratione utar. 1. sententia sub conditione ferenda non est, lata tamen valet, quoniam lex ulterius procedit ita disponendo. Bartol. in l. Non dubium. C. de leg. & c. Apostolicam de Regularib. 2. executio testamenti facta per Guardianum S. Francisci valet, licet prohibita sit, Clem. exivi. de verb. signif. 3. prælati prohibentur delegationes à iudicibus sæcularibus suscipere. c. te quidem. 11. q. 1. si tamen susceperint, valet iudicium. 4. Clericus licet Notarius sit, prohibetur instrumenta conficere, c.

Sicut

Sicut. Ne Clerici vel Monachi. Si tamen rogatus confecerit instrumentum valebit Bart. in l. Vniuersos. C. de Decur. 5. Si statuto prohibeatur admissio testium ad probationem, valebit nihilominus parte nihil opponente. Bald. in l. certa conditio. T. si certum per. 6. Excommunicato non licet in iudicio stare. c. Intellectus de iudic. & tamen valet iudicium, si nihil opponatur. c. 1. §. si verò de except. in 6. 7. in causâ criminali non est admittendus procurator, illo tamen interveniente valet iudicium, quando aduersa pars non reclamât. Gloss. in c.

1. §. Criminalis de iud. 8. Contra sententiam, quæ transiit in rem iudicatam, exceptiones & probationes non debent admitti, si tamen allatæ fuerint, parte non opponente effectum sortientur. Innoc. in c. Cùm dilecta de refer. Denique pacta, conuenta, & contractus intuitu solius honestatis, vel privatæ utilitatis prohibiti, cùm suam obtinent, donec à Iudice irritentur, ut diximus in part. 2. Summa, nec tollit factum, quod impedit faciendum. l. in ambiguus. T. de reg. iur.

REGVLA VI.

In ipso causæ initio non est à quæstionibus inchoandum.

Quæstiones publica iudicia sunt, inde sumpto nomine, quod in iis reus in iudicium vocatus nocens sit, an innocens constituto iudicio quæritur, ut l. 2. de orig. iur. ubi Pompon. scribit, quæstiones publicas constitutas à Sylla de sicariis, de veneficiis, & parricidiis. Hinc quæstionem ferre est vindicandum facinus iudicibus præbere, & mandare, vel potius ad Senatum referre, ut de vindicando scelere extra ordinem fiat S. C. & in iudicium res deducatur. Bud. in l. 1. ad l. Cornel. de Siscar. Sed nobis quod seruiat, in Rubr. De quæstionibus, quæstio tormentum est, quod res ad scelerum, & sociorum suorum veritatem eruendam adhibetur. l. Item apud. §. quæstionem. T. de iur. l. 1. T. de quæst. l. Inde Neratius T. ad. l.

Aquil. Et juxta hanc intelligentiam Pontifex (Greg. VII.) Variensi Episcopo scribens edicit à quæstionibus non esse iudicium inchoandum. Quod olim ab Imperatoribus quoque constitutum erat. Nam Augustus, Vlpiano teste, non esse à tormentis incipiendum jubet. l. 1. T. de quæstion. Adrianus verò, tunc ad tormenta fervorum veniendum esse rescribit, cùm suspectus est reus, & indicia tam certa, ut sola confessio deesse videatur. l. 2. eod. Eadem aliorum mens est. l. 8. milites eod. Contrarium si fiat, appellationis remedium reo conceditur. c. Non solent 2. q. 6. ubi legimus. Ante sententiam appellari potest, si quæstionem in civili negotio habendam Iudex interlocutus sit: vel in criminali, si contra leges id faciat.

III. Quæstio

II. Quæ enim id ratio suadeat, an quia suspectus est reus? At suspicio vel nulla, vel debilis probatio est. An quia accusatus? æquè boni, ac mali accusantur. Reos sæpè aliena improbitas facit. Et tu in equuleum rapis flagris lacerandum? alienum hoc à Christianâ pietate est. Torqueri reus potest, & subinde debet, sed certo consilio, tempore, & modo. Initio causæ à quæstionibus inchoare Pontifex vetat. Indicia priùs, & argumenta quærenda, discutiendaque. Periculosa alea est, qua super innocentum corio luditur, calamitas humana, si non malitia: quam expendens *S. Aug. l. 19. de civ. Dei c. 6.* Iudicia, inquit, hominum de hominibus qualia putamus esse, quàm misera, quàm dolenda, dum hi judicant, qui conscientias illorum, de quibus judicant, cernere nequeunt. Vnde coguntur tormentis innocentium testium ad alienam causam pertinentem quærere veritatem. Quid quod in sua quisque causa torquetur, & cum quæritur, utrum sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas, non quòd illud commisisse detegatur, sed quòd non commisisse nescitur: ac per hoc ignorantia Iudicis plerumque est calamitas innocentis: & quod est inolerabilius, magisq; plangendû, cum propterea Iudex torqueat accusatum, ne occidat nescius innocentem, sit per ignorantiam miseriam, ut & tortum & innocentem occidat, qui ne innocentem occideret, torserat. Ita *Augustinus*. Cessabimus à tormentis igitur, quæstiones omittentur? Minimè. Ad hoc officium protrahit Iudicem humana societas,

quam deserere nefas. Leges crudelitatem damnant, modum imperant. Optima est *Iulii clari* præceptio in §. *fin. q. 64. art. 3.* Iudex ante omnia considerare debet, an constet de delicto, postea an tale sit pro quo quis de jure sit tormentis subjiciendus, scilicet, quòd pro eo irrogetur pœna corporalis. Nam ubi non imponitur, nisi pœna pecuniaria, vel alia corporis non afflictiva, non est ad torturam procedendum. Cum enim tortura sit gravis afflictio, non debet major pœna inferri reo non convicto, nec condemnato, quàm esset inferenda ex ipsa condemnatione, ubi de crimine convictus, aut confessus esset.

Debet etiam Iudex advertere, an delictum aliter, quàm per torturam probari possit. Nam regulariter ad torturam deveniri non potest, nisi in subsidium, ubi aliarum probationes desunt. Ita *Clarus*.

III. Quòd si his neglectis Iudex reum quæstionibus seu tormentis subjecerit, cum de irreparabili præjudicio agatur, constitutus in dolo censetur, ut *Bald in consil. 233. l. 1.* scriptum reliquit, & consequenter litem suam faciet. *l. 3. T. ad l. Iul. repet. l. 2. C. de pœn. Iudic. Item l. observare. §. proficisci. 2. q. 25. T. de off. procons. minimeque juvandum sit ratione officii, in quod contra naturam ipsius deliquit. argum. l. qui fundum. §. si tutor. T. pro emptore. l. interdum. §. qui tutelam. T. de furt. Marfil. in præc. crim. §. successive n. 1. 2. 3. & seqq.*

Quòd verò *Clarus loc. cit. n. 1.* pronunciat, Iudicem, qui injustè quæquam torserit, morte puniendum esse, hodie exolevit: nec timendum mortis suppli-

supplicium, nisi per excessum torturæ animam tortus efflarit. Addit, Neapoli constitutum esse, ut iniquus tortor biennali carcere pœnam luat cum pu-

blicatione tertiæ partis bonorum. V. Zanger. tract. de quæstion & tortur. Tholosan. l. 48. Syntagm. c. 12. n. 25.

REGVLA VII.

Quidquid in Sacra Deo rebus, & Episcopis iniuste agitur pro sacrilegio reputatur, quia Sacra sunt, & à quoquam violari non debent. Steph. 1. ep. 2. tom. 1. Concil.

I. Idem & pluribus Bonifacius Papa in c. Nulli 12. q. 2. Nulli liceat ignorare, omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum Domino erit, & ad jus pertinebit Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit, qui à domino, & Ecclesiâ, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit; & usque ad emendationem, Ecclesiâ que satisiactorem ut sacrilegus iudicetur, & si emendare noluerit, excommunicetur. Idem in sequentibus ingeminatur: unde communis Interpretum, & Summarum capitur definitio Sacrilegium rei sacræ violationem esse. S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 1. Angel. Armill. Rosell. Silvest. Bonac. Navarr. c. 17. n. 95. & alii.

Res Deo sacrata hinc illa tantum censetur, quæ per publicam consecrationem, vel deputationem Deo addicitur, nec cuiusquam pia promissio, aut votum sufficit. Suar. 1. de Rel. tract. 3. l. 3. c. 2. Less. c. 45. dub. 2.

II. Sacrilegium communi DD. usu in tres species dividitur rei, loci, & per-

sonæ. c. Sicut. c. Quisquis. 17. q. 4. inque singulis iterum diversi gradus repertiuntur, ut cum aliis bene explicat Sily. in V. Sacrilegium. Etenim rem ipsam considerando primo loco occurrunt Sacramenta, inter quæ eminet Eucharistia. Secundò vala consecrata ad suscipiendum Sacramenta, imagines, & reliquæ Sanctorum: tertio pertinentia ad ornatum Ecclesiæ, & Ministrorum ipsius. Qui bona temporalia in sustentationem ministrorum deputata connumerant, improprie loquuntur. Locus, siue Ecclesia, siue Oratorium, aliudve sit cultui divino consecratum violatur quacunque illius læsione, diminutione, corruptione, transmutatione, cæde, tumultu, actibus profanis, & indecentibus: si in eo commercia, nundinæ, iudicia secularia, & consimilia exercentur: si reus inde prohibito modo extrahatur, aut furtum committatur. Personæ, cuiusmodi sunt clerici, religiosi, & moniales, violatione, percussione, foro laico, vectigalium exactione, fornicatione, aliisque luxuriosis actibus, de quibus. V. Filluc. tr. 30. c. 7.

C

Hinc

Hinc colliges, Pontificem in Reg. præfente non nisi duas Sacrilegii species expressè numerasse, & rei nomine locum sacrum comprehendere.

III. Non desunt pœnæ sacrilegis decretæ, seu spirituales, seu corporales: sed excommunicationem quod attinet, de quâ *c. Nulli, n. 1. allegatum loquitur*, non omnes ipso jure excommunicatos esse, qui Ecclesiarum bona furantur, aut dissipant, ex *c. Si quis citato manifesta liquet*. Monitio præmittenda est, quâ temerè spretâ excommunicationis sententia feratur. *Sily. V. Sacrilegium. Clarus. §. eod. Diaz. c. 81.* Illi verò ipso jure excommunicati censentur, de quibus *Conc. Trid. sess. 22. c. 11. de Reform.* Si quem clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali, vel regali præfulgeat in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis, sive regularis beneficii, montium pietatis aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios vi, vel timore incusso, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumperit; seu impedire, ne ab aliis, ad quos pertinent, percipiantur, is

anathemati tamdiu *subiaceat*, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverat, vel qui ad eum quocumque modo etiam ex donatione suppositæ pervenerunt, Ecclesiæ, ejusque administratori, sive beneficiato integrè restituerit, ac deinde à Rom. Pontifice absolutionem obtinuerit. Quòd si ejusdem Ecclesiæ patronus fuerit, etiam jure patronatus ultra prædictas pœnas, eo ipso privatus existat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis & usurpationis hujusmodi Fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat; nec non quibuscumque beneficiis *privatus sit*, & ad quoscumque alia beneficia inhabilis *efficiatur*, & à suorum ordinum executione etiam post integram satisfactionem, & absolutionem sui ordinarii arbitrio *suspendatur*. Ita *Conc. Trid.* in quo tamen non contineri pœnas absque iudicis definitione aut declaratione incurrendas verba *subiaceat efficiatur, suspendatur* satis indicant secundum ea, quæ diximus in *Summâ Jur. Can. V. Navarr. c. 23. n. 67. Azor Tomo 1. l. 5. c. 8. q. 2. & 3. Comitol. l. 6. q. 24. n. 11. & seq.*

Quomodo arbitrariâ pœnâ castigetur secundum leges sacrilegii crimen per varios casus discurrendo ostendit *Menoch. de arbitrar. iudic. casu 389.* De pœna pecuniaria quomodo non sit inconveniens etiam iudici Ecclesiastico *S. Thom. probat 2. 2. q. 99. art. 4.*

REGVLA VIII.

Qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debet, facit, & ideò iam non facit. S. Aug. l. de verâ, & fals. pœn. c. 4.

I. Timor duplex est, servilis, & filialis: hoc culpam fugimus, illo pœnam. S. Th. 2. 2. q. 19. art. 1. S. Bern. De bono benè vivendi c. 4. Casian. Coll. 11. c. 9. & 10. Ad meritum & salutem, servilistimor ut prosit, ingenui speciem ex fine accipiat, necesse est, aliàs cum charitate non consistet, juxta eundem art. 6. in c. Qui ergò ex timore facit præceptum, ita ut timor motivum principale sit, ab intentione legislatoris deviat, relinquendo charitatem, & tenendo servilitatem: nec facit voluntatem patris, sed iram declinat ultoris. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio in vitium facit; ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omninò non facere, si secundùm ea, quæ cupit, & meruit, permittatur impunè: ac per hoc in ipsâ voluntate est reus, ubi ipse, qui præcipit, videt Deus. S. August. l. 3. contra duas Epistol. Pelagianor. c. 4. Vsq. in 1. 2. disp. 27. c. 1. Navarr. in c. Inter verba 11. q. 3. concl. 7. Laym. l. 1. tract. 2. c. 6. num. 9. Delrio lect. Sacra. 30.

Hinc colligas licet, non de civilium, sed cœlestium præceptorum observatione Regulam loqui. In illis enim quocunq; motivo opereris, externi actus præstatio acceptatur, & satisfecisse creditur, cujus occulta intentio ignoratur. Deus autem, qui corda, & renes scrutatur, sinceram & perfectam obedientiam exigit: quiq; in eo deficit, aliter præceptum, quàm debeat, facit.

II. Sed illud sibi quid indicare censes, *Qui ex timore facit, præceptum, non facit?* Annon qui dixit Luc. 18. v. 12. Iejuno his in Sabbato, decimas donum, quæ possideo, abstinuit à ciborum superfluitate, & exhaust decimas solvendi debitum. Quis enim exigere iterum ausit? Duo igitur in quolibet opere consideremus oportet, literam, seu corticem, qui videtur; valorem & pretium illius, quod latet. Facit utique quoad literam, quicumq; facit, ut videamus effectum; non facit, quia absque debita intentione facit. Intentio enim humanarum actionum moderatrix est; ab illa valor & meritum, decus, & commendatio. Intentionem tolle orationi, fabella est; jejunio, simulatio; elemosynæ, hypocrisis. Ipsa est, quæ nos Deo commendat, & sanctis; ipsa actiones nostras dirigit, & perficit. Quid tu Pharisæum jejunantem, & decimas auferentem laudas? Hypocritæ sunt Pharisæi, non esse boni, sed videri cupiunt. Omnia opera faciunt, ut videantur ab hominibus: ideò in hac vita recipiunt mercedem suam. Aurea intentionis regula deest, cujus tactu, quæ agimus, nitorem, & venustatem acquirunt. Nobis igitur, qui non spiritum servitutis in timore sed adoptionis filiorum Dei accepimus, toto pectore connitendum est, ut misso foras timore perfecta filiorum charitate servimus Deo. Per hoc enim laudem habebimus apud Deum. 1. Cor. 9. Obedientia autem,

C 2

quæ

quæ de suo aliquid habet, nulla est.
c. Sciendum. 8. q. 1.

III. Adde, quod etiam secundum sæculi leges facta malè contra Iuris præscriptum pro non factis reputantur. *l. Non dubium. C. de leg.* Quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator specialiter non dixerit, inutile esse debere, quod factum est. Quamvis enim re ipsa, quod factum est, infectum fieri nequeat. *Reg. Verum est. 31. in tit.* fictione juris tamen multa pro infectis habentur, nimirum quoad effectum juris, quemadmodum notat *Bartol. in l. cit. Non dubium. Gloss. in Clement. 1. de immuni. Eccles. vers. pro infectis. Barb. Axiom. 93. n. 19.* At, in quibus, fictio non concipitur de re impossibili. Respondet *Philip. Decius in Reg. Verum est.* fictionem non dari super eo, quod est impossibile in genere suo, ut quod filius sit major suo patre, vel quod furiosus consentiat, sed super eo, quod est impossibile in aliquo casu particulari; & tatis est, quod possibile sit in suo genere. Vnde fingitur subinde, quod ille, qui mortuus est, vivat. *l. fin. tit. de vacat. mun.* Et licet impossibile sit mortuum vivere, sufficit quòd in genere suo possibile sit, quod homo similis viveret, ut latius declarat *Bartol. in l. Si is, qui pro empt. tit. de usucap. V. Barbof. Axiom. 97.*

IV. Ex prædictis à contrario sumi posse argumentum *Glossa* monet, ut

sicuti meritum non consequitur, què non volens bonum facit; ita qui omnino invitus offendit, non fiat culpæ reus. *arg. l. qui cum maior. §. Si libertus. tit. de bonis libert.* Sic ignoscendum illi, qui ab alio impetitus retorfit crimen. Voluit enim se uscisci provocatus, & *l. 4. tit. ad l. Aquil.* Si quis occiderit servum sibi insidiantem, securus est, quia adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere: nec quisquam punitur, qui maluit resistere, quàm fugere. Leges enim non fugam imperant, sed defensionem permittunt; nec tantum protegere, sed etiam propulsare licet vim tam laicis, quàm Sacrorum ministris cum moderatione inculpatæ tutelæ *Bellet. Disquis. cleric. p. 1. tit. de discipl. cleric.* Imò *Panorm. in c. Clerici. de vitâ & honest. Clericor. §. Clericor. n. 2.* dicit, si clericus celebrans invadatur, nec aliter evitare necem queat, dimittere celebrationem posse, & defendendo se occidere aggressorem, & incontinenti ad altare reverti, ceptumque officium perficere. Quod merito limitaveris *primò*, si necessitas postulet Missæ officium peragi. *Secundò*, si scandalum ab sit. *Tertiò* si in actu homicidii tanta moderatio adhibita est, ut animus sufficiat sibi ad devotionem tam divino mysterio sufficientem. *V. Vgolin. de potest. Episc. c. 29. §. 2. V. Secundò non. Card. Tusch. Tom. 8. l. 1. V. Conclus. 213. Riccium in decis. Cur. Neapol. decisione 16. n. 10. Barbof. Axiom. 228.*

REGVLA IX.

Defeat peccator offendens in uno factus omnium reus.

S. Greg. in Reg.

IERgone peccantium fors una, par culpa, & pœna? Septies cadit hic, ille septuagies septies, reus hic, reus ille, an uterque pariter? Quorundam peccata, quasi arena, quæ est in littore maris; multiplicata sunt, nonne magis rei, quàm ille, qui semel fraudavit de pretio egri, & mentitus est? Multi fures, non homicidæ, multi homicidæ, non tamen adulteri. Quo igitur jure, modoque omnium reus censetur, qui in uno tantum offendit? Variant hic ingenia, & responsa. *Auctor libri de verâ & falsâ pœnit. c. 14.* Offendens, inquit, in uno fit omnium reus, quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio. Nam si quis cadat in avaritiam, destruit largitatem, & castitatem simul minoravit. Amore enim pecuniæ aut violaret castitatem, aut minus amaret. Eiusdem alia interpretatio est, omnium reum fieri, quia omnia peccata dimissa quodammodo per ingratitude reddenunt, & imputantur. Propius accedit *Dionys. & Richardus 1. de Incarn. Verbi. part. 1. c. 14.* reum fieri omnium, quia non minus omnia merita amittit, quàm si totam legem violasset, secundum illud *Ezech. 18. v. 24.* omnes justitiæ ejus non recordabuntur. Aliorum expositio est, ideò omnium peccatorum dici reum, qui in uno delinquit, quia uno

peccato omnes virtutes acquisitas lædit, destruendo illarum statum per habitum vitiosum, qui illarum operationes impedit. Non procul ab his *Glossæ* recedit, & ad scopum magis accedit, quam propterea Scholastici sequuntur, peccatorem unicâ transgressione præceptorum omnium fieri reum, quia eandem pœnam damni incurrit, puta, gratiæ charitatis & virtutum infusarum privationem, adeoque cœlestis gloriæ, perinde ac si omnia præcepta violasset. Displicet nihilominus *Cornelio*, eò quod Apostoli mentem non attingat, qui errorem Pharisæorum extirpare nititur, existimantium, qui unum alterumve præceptum transgreditur, non offendere Deum, sed si totam legem, aut majorem illius partem contemnat. Sensus igitur est. Adeò non est amicus Dei, qui unum aliquod præceptum non servat, ut aliorum omnium reus fiat, quasi illa violasset. Bonum namque ex integrâ causâ consistit; mala ex singulis defectibus. At quo modo, inquis, dicitur reus omnium, cum non nisi in uno offenderit? Audi:

II. Vox omnium, non copulativè, sed copulativè intelligenda est. Nam præcepta omnia legem quandam totalem constituunt, puta, Decalogum. Unde sequitur, unius præcepti violationem,

C 3,

totam

totam legis complexionem, quæ ex singulis integratur, lædere, contemnendo Dei legislatoris maiestatem. Omnia proinde violat, non singula, quatenus omnia totum aliquod faciunt. Nimirum enallage est, totius universalis pro toto integrali. *Omnium*, id est, totius legis, quod totum necessario destruitur uniuscujusque præcepti particularis transgressione. Neque enim adulter V. gr. dici potest implese Decalogum, quamvis alia præcepta non violarit. Sic in Musica totam harmoniam corrumpit, qui unius vocis proportionem tollit, & maculare vestem dicitur, qui aliquam ipsius partem inficit. Non admodum dispari mo-

do *S. Aug. ep. 29.* omnium esse reum dicit, qui in uno offendit, quia contra charitatem, ex qua tota lex pendet, delinquit. Reus fit omnium, faciendo contra eam, à quâ pendent omnia. Charitas enim quasi forma, vitam illis, & subsistendi robur communicat, quemadmodum cum *S. Thom. in 1. 2. ad q. 65. art. 4.* Theologi docent.

Ex dictis sequitur, bene moneri à *S. Gregorio* peccatorem, ut debeat statum suum. Quamvis enim servatis reliquis in uno tantum offendat, lugendi causam habet, utpote reus omnium, quoad pœnam, & damna inde promanantia.

REGVLA V.

Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit. S. Greg. in Reg.

I. **Q**uod Homerus poëta de regibus dixit, Pastores esse populorum, id de præpositis Ecclesiarum Prophetæ & Apostoli asseverant. *Ezech. c. 34. v. 2. & seq. Act. 20. v. 28.* & alibi. Ad id enim à Deo eliguntur, & præficiuntur, ut fidelium animas quali oves pascant *Ioan. 21. v. 17. Conc. Trid. S. 6. de re. form. c. 1. Bellarm. l. 3. de Pontif. cap. 15. Barb. de potest. Episc. part. 1. tit. 1. c. 2. n. 9.* Eleganter *S. August. serm. de ovib.* Quod præpositi sumus, inter Pastores deputamur, si boni sumus: quod autem Christiani sumus, & nos vobiscum oves sumus. Quocirca sibi & universa gregi attendant, necesse est, meminerintque quod *Avilam* doctrinâ & vitæ

sanctimonia præstantem virum dixisse ferunt, tot tantaque pastorum obligationes esse, ut qui absque obligatione pastorali vel tertiam illarum partem re ipsa impleteret, sanctis connumerari possit, qui tamen uno tantum omisso gehennæ reus fiat. Nec veritus est *S. Chrysostomus* scribere in Act. Apost. non multos Episcopos salvari, eò quod difficillimum sit tot animarum sibi commissarum bonam rationem reddere. Porro sacri pastoris decem obligationes, seu officia ex *c. 34. Ezech.* Interpretes numerant, quorum *primum* sit pascere oves, *Secundum*, ut accumbant, efficere. *Tertium* infirmum consolidare. *Quartum*, ægrotum sanare. *Quintum*, contractum alligare.

alligare. *Sextum*, abjectum & erraticum reducere. *Septimum*, quod perire, quærere. *Octavum*, leniter eis imperare. *Nonum* pascere in iudicio. *Decimum*, pingue, & forte custodire. Quæ omnia tribus comprehendi possunt, videlicet notitia ovium, custodia earum, & cura alimenti. His si non vigilet Pastor, inane nomen & pedum gerit, gregem sibi commissam lupis rapacibus dilaniandum relinquit; adeoque coram summo Pastore Christo inexcusabilis est. Quamvis enim *S. Gregorius* oratio solius vigilantia mentionem faciat, alias excludere partes non intendit, sed eam, quæ potissima censetur, & alias omnes in se continet, nominasse contentus fuit.

II. Summo igitur studio, indefessa cura segnitiam excutiat Pastor, vigilet super gregem sibi à Deo concredutum. Continuo sonet in auribus illius Domini vox *Apo. 3. v. 2.* Esto vigilans, & confirma cætera. In mente habe, qualiter acceperis, & serva. Si non vigilaveris, veniam ad te, sicut fur, & nescies qua hora veniam. Vitæ mortalium, *Plinio teste*, vigilia est, vita Pastorum vigilia, vita Episcoporum vigilia. Hujus vigiliæ symbolum delphinus laudatur, qui etiam quando dormit, movetur. Tunc enim ex summa aqua in profundum descendit, ejusque impulsu excitatur. Eiusdem typus est leo, apertis oculis dormire consuevit, quæ ob causam foribus templorum apponi solet. Vigilare oportet Pastores, ait *S. Bern. in sentent.* propter tria, disciplinam puta, custodiam, & preces. Propter disciplinam, ne

gregis commissus propria molestia deficiat. Propter custodiam, ne hostili seducatur calliditate. Preces, ne in tentationibus vincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor justitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece affectus compassionis est. Igitur vigilans esto, ô Pastor, ô custos. Secus, ad te veniam, & de manibus tuis, quas commisi oves, requiram. Pudenda excusatio est, *Non vidi, ignoravi.* Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.

III. Ut cultum pecoris tui noveris, expedit descriptos habere omnes sibi subditos secundum nomina, statum, & conditionem singulorum: quæ nomenclatura vel per domos, vel per familias, vel per vicos, aut officia singulorum, aliove commodiore modo fieri potest; ut eatenus nascentium morientium, & aliunde venientium notitiam habeat, unde simul constat, quantum auctus, aut diminutus ovium numerus sit. Multitudinem obstare dices cum *Christiano I. Archiepiscopo Moguntino*, qui militiæ, quàm Ecclesiæ addictior erat, rogatusque ab Episcopo quodam Lombardiæ, num omnium sibi commissorum nomina nosset, respondit, tot penè in Episcopatu meo, quot in tota Lombardia homines sunt, quomodo omnes illos nossem? Sed inanem excusationem pastoralis officii necessitas arguit. Bonus Pastor proprias oves uocat nominatim, & educit eas, *Ioan. 10.* Pro magno numero Episcopo conceduntur Vicarii, officiales, & Curiones, cum quibus
folliæ

sollicitudinem, & curas partiatur. Archidiaconus Episcopi oculus vocatur. *c. 1. de off. Arch. præ reliquis nimirum, quos ead. vigilandi obligatio tenet.*

Eodem pertinet, & iungitur Curionibus, scribere nomina baptizatorum, & eorum, qui ex baptismo suscipiunt: similiter confirmatorum, & ipsis assistentium: illorum quoque, qui matrimonio se coniungunt, quod absque parochi presentia fieri non debet juxta *Decretum Conc. Tr. sess. 24. c. 1. de reform.* In Quadragesima & tempore Paschali quo ad Confessionem peccatorum faciendam singuli obligantur, annotandi erunt, qui præcepto Ecclesie non satisfecerint. Personis hoc modo cognitis, ingenia, mores, & officia singulorum investiganda erunt. Tum simul manifesta fient peccata publica, consuetudines, & occasiones peccandi, earumque quoad fieri potest, eliminandæ: quæ radices altius egerunt, ut absque majore malo tolli non posse videantur, juxta *S. Greg. monitum relatum in c. Denique dist. 4* patienter tolerandæ sunt.

De improbis, inobedientibus, discolis, & suspectis major cura sit, ne illorum attactu sani corrumpantur. Ad totius gregis infectionem unica ovis sufficit. Honorandi & fovendi, qui in Ecclesie præceptis observandis solliciti sunt, in audiendis concionibus, sacra Confessione & Eucharistia crebrius usurpandâ ferventes. Nec corporum; omittenda curatio, infirmis & pauperibus exhibenda charitas; quod quique indigentior majori subsidio confirmandus est.

III. Quos imiteris, ex recenti ævo

habes *S. Carolus, Archiep. Mediol. & Robertum Cardinalem Bellarm.* de quo *Fulgattus l. 4. Vita c. 1.* Postquam è suggestu generatim vitia perstrinxerat, ad singularia descendens cepit inquirere, quid in tota provincia, & civitate validum, quid ægrum esset, ut si qua in publicis moribus labarent, corrigeret, sanaretque. Dein cognito alicubi ægrotare mores, tantum illa medicamenta præparare, quæ paterna ejus pietas duceret ex ratione opportuniora. Plurimus fuit in extirpandis iis, quæ vitiorum perenne plantarium erant, consuetudinem alex, ludique chartacei, clanculariè & probrose exerciti mira industria sustulit: Nec destitit in clero quæ mâ è inoleverant, in pristinum vigorem reducere, & debitum honorem, ac reverentiam sacris conciliare.

Plura his & majora *S. Carolus* præstitit, quæ longum foret enarrare; utile verò in ipsius Vita à diversis exarata perlegere, illud vigilantiam ejus præcipue commendat. Vnumquemque Parochum illorum nomina jusit adferre, qui tempore Pasch. peccata Sacerdoti confessi non erant, aut sacrae communionis participes facti non essent. præterea, qui gradu cognationis propinquiore, quàm fas est, matrimonio conjuncti forent, ut eorum omnium salutis prospiceret: nomina item, statum, & conditionem omnium, qui clericalis ordinis in eadem parœcia essent. Clericos omnes ordinis, quo initiati erant, & beneficiorum, quæ obtinebant, legitima testimonia in Synodo jusit adferre. Providit ne quis clericorum in publicis diversoriis Mediolani

holani commoraretur. Denique nihil eorum omisit, quæ à vigilantissimo Pastore Sacri Canones, decreta, vel etiam monita requirunt, adeoque omnibus Ecclesiæ præpositis, quod imitentur, absolutissimum exemplar præstitit.

IV. Lupus, qui ovibus insidietur, non tantum satanas est, cui S. Scriptura testimonium perhibet, quod circumceat, quærens quem devoret, sed etiam ipsius ministri, Pharisei, & hæretici, quorum sermo ut cancer serpit in perditionem animarum; qui oves sunt habitu, actu vulpes, crudelitate lupi: in vestimentis ovium veniunt ad nudandas oves, & spoliandos arietes. Præter-

ea inertes prælati, qui S. Bernardo teste *serm. 77. in Cant.* peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt, qui plus invigilant evacuandis marsupis, quam extirpandis vitiis, quemadmodum idem sanctus loquitur. Illi denique qui exemplo suo, & perversis moribus alios à via veritatis & virtutis in ævia rapiunt, tantò nocentiores, quantò verbis potentiora facta sunt. Contra hos omnes bonus Pastor vigilantiam, & industriam suam acuet, ne prædâ in faucibus lupi per oscitantiam suam relicta, coram Summo Pastore Christo fiat inexcusabilis. V. S. *August. l. de Pastoribus c. 10.*

REGVLA XI.

Indignum est, & ab Ecclesiæ Romana consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.

Lucius 3.

I. Consonat huic Regulæ c. *Ex diligenti de Simon.* ubi Alexander 3. clericum ab homagio, quod propter beneficium Ecclesiasticum Archidiacono Cantuariensi præstiterat, absolvit ided, quod ejusmodi juramenta divinis & humanis legibus adversentur. Etenim res spiritualis cum per se, & ex natura sua commensurari non possit pretio temporali, omne pactum & juramentum respuit, quo te promittas, temporale aliquid præstaturum pro beneficio, vel aliâ quacunque re spirituali. Ita cum multis à se citatis *Barbos. ad cita. c. Ex diligenti.*

Sed obstare videtur modus loquendi, quo Pontifex utitur. *Indignum est, & ab Ecclesiæ Romana consuetudine alienum.* Nam si periculum Simoniam metuens avertere volebat, facile illi erat dicere, indignum, & à rerum sacrarum conditione alienum esse, pro spiritualibus homagium exigere. Cur Ecclesiæ Romanæ consuetudo allegatur, num aliarum alia consuetudo fuit, & quomodo esse contra legem naturalem, & divinam potuit? Propter hæc non de quolibet, sed certi generis homagio loqui crediderim, quod nimirum apud sæculares Vasallos in usu est, qui fidem

D d ini

dominis suis obstringunt ad obsequia quædam pro temporali feudo præstanda, quoties opus fuerit. Simili modo ad juramentum, vel homagium ministros Ecclesiæ compellere, ut temporali aliquo commodo beneficium sibi collatum quadantenus compensent, procul dubio indignum ordine sacro, rebusque spiritualibus est. Fidem vero suam obligare Episcopo nullus prohibetur. Nam ut *Silvest.* ait juramentum fidelitatis dignitati potius, quam personæ præstatur.

II. Quod, ut alia præteream, ex *6. Gravem, de excess. prælat.* cognoscimus, ubi Pontifex Archidiaconum *Ambianensem*, qui contra fidem datam, Epif-

copum negarat, dominum suum esse, deponi jubet, beneficiis in alium transferatis.

NOTA vocem *Homagii* in præd. cap. amplâ significatione usurpari pro qualibet fidei & subjectionis promissione: quod non considerantes aliqui ad probandum homagii usum in Ecclesiasticis personis applicarunt. Nam vocis illius admodum varia usurpatio est, ut *Legistarum Etymologiæ* tradunt, nec semper juramentum indicat. *V. Gloss. in Clem. Pastoralis, de sens. & re iud. Covar. in c. Quamvis pactum. §. 1. n. 1. & 2. speculat. de feudo. Suar. l. 1. de iuram. c. 13. n. 24. Tholos. l. 6. Syntagm. c. 15. Layman l. 4. tit. 3. c. 2. n. 3.*



REGVLIS IVRIS PONTIFICII IN VI. DECRETALIVM.

BENEVOLO LECTORI.



*Q*uod usurvenire solet ex angustâ, & incultâ valle in campum late patentem, omnig. frugum genere vernantem egressis, ut frontem porrigant, sibiq. ipsis de tantâ ubertate gratulentur, id experiri quilibet sacri Iuris cupidus potest, cum Libri VI. Regulas intuens cum illis quæ V terminant, composuerit. Enimvero quia titularum penè omnium in illis contracta vis, & Facultas est, Sacrarum Legum quasi medullam, & iudiciorum cynosuram exhibent. Illis tueri ius suum quasi firmissimo presidio quilibet potest. Illarum velut acutissimis telis configere hostem, à sinibus arcere, & depellere licet. Per illas doli, fraudes, & cuniculi litigantium deteguntur: ambigua & intricata expediuntur: ius, ratio & conscientia protegitur. Nullum denique intentione suâ, quæ quidem rationi, & æquitati conformis sit excidere sinunt. Vt meritò omne studium, & ingenium ad percipiendam & eruendam illarum veritatem conferre opera sit pretium. Etenim, ut sapientissimus Imperator dixit §. His igitur. Instit. de just. & jure. multitudine, ac varietate rerum rudis adhuc, & infirmus animus oneratur, brevi ac simplici viâ (per gnomas, & Regulas) ad veritatem perducitur.

REGVLA I.

*Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione
Canonica obtineri.*

I. **B**eneficium Ecclesiasticum est *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter officium aliquod spirituale auctoritate Ecclesie constitutum.* c. *Tua nobis. de verb. signif. Less. c. 34. d. 1. Dicitur I. Ius perpetuum, scilicet per se & ex natura sua. 2. Fructus ex bonis Ecclesiasticis, quæ Deo, & Ecclesie consecrata sunt: Fructus non vocantur beneficia, nisi materialiter & objectivè. 3. Propter officium aliquod spirituale cuiusmodi est oratio, psalmodia, cura animarum. 4. Auctoritate Ecclesie constitutum, non divino, aut naturali jure. Navarr. c. 27. n. 13. Horum multa genera sunt, de quibus actum in Part. Summ. Tit. 2. §. 1.*

II. Institutio Canonica appellatur, quæ fit secundum Canones: ad quod requiritur potestas in instituyente, habilitas, seu capacitas in recipiente, & modus seu solemnitas à jure præscripta. Sumitur autem non uno modo. Nam 1. significat liberam collationem beneficii Ecclesiastici, ut passim in tit. 7. l. 3. *Decretalium.* 2. deductionem in possessionem beneficii, jure communi per Archidiaconum faciendam, quamvis hodie per Notarios, aut quemcunque alium de Collegis fiat. 3. collationem beneficii non liberam, quam alicui investi-

turam vocant, quæ fit ad præsentationem patroni. *Vallensis l. 3. tit. 7. pag. 441. & Dynus, qui exemplo hereditatis declarat, quomodo differant tria hæc. Designatio personæ, confirmatio illius, seu investitura, & missio in possessionem. V. quæ dix. in Part. 1. Summ. tit. 2. §. 2.*

III. Ex his patet Regulæ intentio, & sensus. Beneficium Ecclesiasticum sine institutione Canonica non obtinetur, id est, Ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis & à nullo jure aut legitime acquiritur, occupatur, vel retinetur, nisi Canonico more, ac solemnitate illi collatum fuerit, alias innumeræ perturbationes, imò sanctæ religionis ruina metuenda est: c. *Quoniam investituræ 16. q. 7.* Beneficium Ecclesiasticum igitur obtineri non potest 1. transactione, quia hæc non fit sine datione alicujus rei, in qua Simonie periculum est. c. *Si quando de off. deleg. c. Constitutus. de transactionibus:* quam illicita non est aliqua compositio de expensis factis, aut de jure controverso. 2. neque præscriptione. Hæc enim ut legitima sit, bona fides, & justus titulus requiritur. At qui contra Canones beneficium obtinet, bonam fidem non habere præsumitur *Reg. 1. in 6.* 12. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere. 3. Neque

que per sententiam. Nam ut in causa matrimonii carnalis Iudicis sententiæ non transit in rem iudicatam, ita nec in causa matrimonii spiritualis, quod suo modo est inter beneficiatum, & Ecclesiasticam ratione beneficii, & officii. Vnde sequitur necessarium, quocumque defectu vitiosa fuerit beneficii acquisitio vel institutio, nullo remedio posteriori corrigi: adeo ut nec absolutio, nec dispensatio prodest illi, qui in excommunicatione beneficium accepit. *Archid. in c. Nullus. dist. 63. Felinus in c. Cum dilectus. de accus.* Nam quod nullum initio fuit, factu posteriore non firmatur: Quocirca Summi Pontificis quoque consensus, & approbatio facta ab ignorante impedimentum, nullum effectum operatur, quia præsumitur deceptus, adeoque inuitus. *l. Auctoritate. c. Vnde. in c. si gratiose. de Reserv. in 6.*

IV. *Amplia 1.* ut non valeat institutio vitiosa, quamvis alii idonei ad beneficium capiendum deessent. Melius enim multo est, beneficium vacare, quam inhabili conferre. *2.* invalida quoque est confirmatio intrusi violentæ, cum ab ignorante Superiore datur. Et quamvis triennio beneficium obtinuerit, adhuc molestari potest: quia quæ juri contraria sunt, nunquam censentur confirmari, nec gratia de illiciti beneficii occupatione per taciturnitatem vitii, extorta subsistit. *Panorm. in c. præterea. de iur. patron. & c. quisquis de elect. 3.* Idem de actis dicendum, nimium irrita censeri, quæcumque ab intruso fiunt, quantumcumque dicatur esse toleratus: Tolerantiæ enim, ut *Panorm. ait in c. 2. de rest. in integr. apud*

intrusum nullus locus est, nec tractu temporis convalescit vitiosa possessio. Vnde nec salva conscientia retineri tale beneficium potest. *c. Dudum. 1. de elect. 4.* Si notoria sit beneficii injusta possessio per Iudicem expelli potest, quod veluti singulare quiddam annotat *Hippolytus, & Innoc. apud Peckium. pag. 25.* quia alias nec prædo, nec fur aut raptor possessione sua absque causæ cognitione privandus est. *5.* Nec longi temporis consuetudo, quæ corruptela potius censenda, remedium adferre potest. *Panorm. de consuet. c. 1. & c. Cum causam. de re. iudic.* Denique nec titulus post beneficii collationem accedens, ut si primum clericus fieret per tonsuram. *c. Non firmatur. Reg. 18. infra. Rebus. in tract. de pacif. poss. n. 190.*

V. His tamen adversari videtur *1.* textus in *c. Cura de iur. patron.* ubi Ecclesiæ à laicis acceptæ acquiruntur per clericum præscriptione. Verba hæc sunt. Nullus vestrum aliquas sibi Ecclesias (ex donatione laicorum) vendicare præsumat, vel retinere taliter acquiritas, nisi legitima fuerit præscriptione munitus, aut Diocesani Episcopi habuerit postea consensum. Valet igitur vitiosa acquisitio, si præscripta sit, vel consentiat Ordinarius.

R. Præscriptio haud dubiè valet, quæ bona fidè nititur: consensus Episcopi quoque, in iis, in quibus Canones non resistunt. Igitur in dicto *c. Cura.* sermo est, de illis qui bona fidè à laico Ecclesiam accipiunt; existimantes aut præsumentes Episcopum, ut vigilem Pastorem, de ejusmodi donationibus habere notitiam, & consensu minimum

30
tacito approbasse. At in beneficiis Ecclesiasticis neque bona fides, neque Episcopi consensus præsumi potest, quandoquidem Ius resistit, ut Regula, quam explicamus, docet & unde desumpta est. *c. 3. de instit. c. Relatum 21. de iure patron.*

Quare nec illud applicari hic potest, quod bona fides, & communis error defendat possessorem, qui creditur iustus, & habilis *l. Barbarius tit. de off. prat.* quia licet in rebus sæcularibus & civilibus, quibusdam etiam spiritualibus id obtineat, in hac tamen materiâ beneficiorum alio jure utimur. *Iason addi. l. Gloss. & Panorm. in d. c. cura.*

2. Objicitur. Qui beneficium Ecclesiasticum triennio possedit, nec in possessorio, nec in petitorio iudicio molestari debet, juxta *Reg. Cancell. 33.* quod signum est bonæ fidei & præscripti locum esse.

R. Quicquid sit de foro contentioso, ubi litium multiplicatio ingrata est, magis contentaneum rationi & juri videtur, ut injustus beneficii possessor tam in iudicio animæ, quam Ecclesiastico condemnatur ad relinquendum beneficium obtentum, quia possessio injusta pro nullâ reputatur, quemadmodum nulla censetur exhereditatio, quæ contra leges facta est. *l. non putavit. tit. de bon. possess.* Quocirca minimè audiendus est *Gomez, apud Azor 11. l. 7. c. 35.* qui per Regulam citatam Cancellariæ defendi putat, quemlibet possessorem, modò verosimilem aut coloratum titulum habeat, exceptis Simoniacis, & intrusis in beneficium Papæ reservatum, quos ipsa Regula excludit. Non est audiendus dico propter innumera

absurda, ex ejus sententia emanantia. Sequitur enim, spurios, infames, laicos, pueros, imò feminas, si beneficium Ecclesiasticum quocunq̄ue dolo, antemodo, per triennium occupassent, securus & immunes fore, quo nihil scdudius. Quid ergò Regulæ, ais, faciemus? Loqui de possessione juris, non facit dicendum, id est, de tali possessione, cui Ius non resistit, ut qui secundum illum pacificè cum bonâ fide tenuit beneficium triennio, de jure per sententiam iudicis non debeat. *Reginald. l. 33. tr. 3. n. 258. Less. c. 6. n. 10. dub. 10. Laym. l. 4. tr. 2. c. 15. n. 4. V. qua dix. in Summâ Part. 1. tit. 2. §. 2. Navar. l. 3. Consil. 40. & 41.*

V I. Ex dictis sequitur, primò clericum, qui se beneficium legitimè obtentum existimat possidere, quamvis contra tertium, qui oppugnare nititur, trienniali quietâ possessione securus sit, ab Ordinario tamen suo cogi posse ad probationem tituli, quemadmodum à *Covar. Maranta,* & aliis annotatum, teste *Barbosa hic*: qui extendit etiam ad causas profanas. Nam primò ad exhibitionem titulorum suorum Princeps cogere potest Magnates suos, & Officiales. *Valas de iure emphyt. l. 1. q. 8. Secundò* quilibet directus dominus compellere emphyteutas secundum *Corbul. de iur. emphyt. & Steph. Gratianum Discept. for. 188. n. 31 & seqq.* Tertio idem de *Vasallo* quolibet iudicium est, teste *Mascardo de probat. concl. 1372. Gratiano l. cit. Bern. Grav. in Pract. Camera Imperialis l. 2. Concl. 69. quibus Andr. Gaill adversatur l. 2. obs. 69. n. 7.* existimans Vasallum ordinariè ad ostensionem tituli sui non posse compelli, quamvis alicubi per consuetudinè fiat. *V. Pet. Duen. in reg. 77.*

REGVLA II.

Possessor mala fidei ullo tempore non praescribit.

Possessio à pedum positione nomē habet, l. 1. tit. de acquir. vel amitt. *possess. c. 5. c. 15. c. 19. & c. fin. de praescript.* quia per positionem pedum super agrum v. g. aut fundum acquiri possessio solet. Actus possidendi possessio facti: jus verò possidendi juris possessio appellatur. Possessio facti est *Detentio rei corporis, & animi, & iuris adminiculo.* 1. dicitur *Detentio rei*, ita ut rei nomine non solum corporales, ut agri & campi, sed etiam incorporales, ut census, beneficium, servitium, & similia comprehendantur. Detentio etiam prima rei apprehensio, seu inchoata possessio dicitur. 2. *Corporis adminiculo, & animi*, quia praeter intentionem, ac voluntatem possidendi, vel aliquo corporis instrumento, ut manu, vel alià re, in quâ aliquo modo contineatur, incipimus rem possidere. *Bronchorst Centur. 3. Af. 93.* 3. *Iuris adminiculo*, non quòd omnis apprehensio, vel possessio iuri conformis sit, sed quia dispositione juris pro possessione agnoscitur etiam illa, quæ damari potest. Sic rei furtivæ, & rei sacræ detentio, quamvis injustè facta, possessio vocatur, qua privare possessorem pro libitu suo non est etiam domino rei permissum. l. *Qui universas. tit. de acq. & amitt. poss.* Possessio iuris est ius insistendi alicui rei tanquam suæ, non prohibita possideri. 1. dicitur *Ius*, ut distinguatur à possessione facti. 2. *insistendi rei*, quo excluditur dominium, quod per se, & formaliter tantum est jus disponendi de re.

Hujus juris effectus est, quod possessor rem possessam pacificè teneat, eamque & juris remediis, & armis subinde contra impugnantes tueri queat. 3. *tanquam sua*. Nam qui non ut suæ rei insistit, sed nomine alterius, non est propriè possessor, ut apparet in tutore, qui quia pupilli nomine bona habet, non est bonorum pupilli possessor, sed per tutorem suum pupillus possidet. 4. *Non prohibita possideri*, quia contra juris prohibitionem nulli jus possidendi competere potest. *Covarr. in c. Possessor. Part. 2. Conanus l. 3. c. 8. Sylv. V. Dominium. q. 2.*

II. Possessio, ut omittam minutiora, partim dividitur, in *Naturalem, & Civilem*. *Naturalis* dicitur, quæ corpore simul, & animo fit, justè vel injustè, non interest: quia fures quoque rem injustè ablatam possident, cum reverà insistant ei, eamque, ut suam teneant. *Civilis possessio* dicitur, cum solo animo res tenetur. Ita res suas possident, ab iis longè distantes. Civilis ideò vocatur, tum quia iuri civili conformis est, tum quia effectus civiles parit, puta, usurpationem, & dominium rei. Separari posse à naturali apparet inde, si tu rem meam praesertim immobilem injustè ablatam occupes. Ego enim tunc civiliter, seu animo tantum illam possideo. l. *Nemo. C. de acquir. poss. Azor. in Sum. l. 7. tit. 32. Fachin. l. 8. c. 5. Less. c. 3. d. 10. Vallens. l. 2. c. 12. n. 7. & seqq.*

Aliqui pro tertia specie civilissimam statuunt, quæ sola juris dispositione

ione fit, ut pluribus explicat. *Less.*
6. 11. n. 48.

III. Effectus possessionis, seu privilegia, ut aliqui vocant, multa sunt. Nam 1. quæ bonæ fidei est, parit præscriptionem, tacitque, ut res non tua, temporis tractu tua fiat. 2. facit, ut in dubio melior censeatur esse conditio possidentis. 3. in iudicio parit præsumptionem dominii. Neque enim possessor probare cogitur rem suam esse, sed qui eam sibi vendicare nititur. 4. qui possidet, armis tueri potest possessionem sive naturalem, sive civilem. 5. Expulsus à possessione potest armis repetere possessionem suam, modò id faciat illicò seu confestim, & non ex intervallo. Dicitur autem confestim fieri, quod fit, quamprimum commodè fieri potest spectata rei difficultate, & aliis circumstantiis. *Barb. in dictione 155.* 6. Dominus rei injustè spoliatus possessione sua possessorem, rei suæ dominium amittit, eaque attribuitur expulso. Si verò non sit rei dominus, tenetur expulsum restituere in possessionem, & insuper æstimationem ejus. 7. Si spoliatus possessione invasorem suum non depellat, sed probet illum vi, clam, aut precario à se accepisse, restituetur in possessionem, sive invasor habeat titulum, sive non. Si autem in probatione defecerit, invasor retinebit possessionem. §. *Quorumvis Inst. de interd. l. 41. tit. 3. Less. loc. cit. d. 13. n. 52. Layman. l. 3. tract. 1. cap. 7. Gaill. l. 2. obs. 75. n. 9.*

IV. Bona fides nihil aliud est, quàm animi persuasio aut credulitas, qua quis prudenter existimat rem suam

esse, vel saltem nescit esse alienam. *Car. ramuel in Theol. fundam. n. 592.* Dico prudenter. Nam ignorantia crassa, vel affectata, & inordinata cupiditas faciunt, ut rem esse tuam credas, quæ revera alterius est: unde malæ fidei possessor appellaberis. De hac fide in *Conc. Lateran. Magno* dicitur. Quoniam omne, quod non ex fide est, peccatum est, definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quàm Civilis, cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Vnde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam. Hac Concilii definitione aboletur Juris Civilis permissio malæ fidei possessoribus indulta, & Regula nostra mirificè corroboratur. *Sotol. 4. q. 5. art. 4. Schneidev. l. 3. Inst. tit. 14. n. 15. & seq. Vallensl. 2. tit. 26. §. 4. n. 5.*

V. Præscriptio est *Acquisitio domini vel alieni iuris elisio per continuationem temporis lege definiti.* Sic dicitur præscribere domum, vel agrum, qui quamvis alienum bona fide, & certo temporis spatio possedit. Similiter usucapio dicitur *Acquisitio domini per continuationem temporis lege definiti. l. 3. de usucap. Intellige causaliter.* Usucapio enim est causa acquisitionis domini: formaliter autem sumpta est quædam rei alienæ possessio. Vnde dicimus usucapionem interrumpi. Juris Civilis interpretes ita distinguunt, quòd præscriptio sit rerum immobilium, usucapio autem mobilium. Verùm ea distinctio vix observatur, nec in jure fundata est. *Cæterum*

terum ad legitimam præscriptionem 4. condiciones requiruntur. 1. est possessio. 2. titulus probabiliter præsumptus. 3. bona fides. 4. continuatio possessionis tempore legibus præscripto. *Covarr. Reg. Possessor. p. 1. §. un. n. 7. Sotol. 4. q. 5. artic. 4. Sylv. V. Præscriptio n. 1. Armilla eod. n. 3. V. Parr. 2. Summ. tit. 4. §. 5.*

VI. Ex his facile est Regulæ intellectum desumere. Nihil enim aliud vult, quam Possessori alicujus rei, ut præscribat, omninò necessarium esse, ut veraciter, & prudenter sibi persuadeat rem, quam obtinet, non esse alterius, sed suam. Quod ad eò verum est, ut non tantum sub inchoatæ possessionis initium, sed totius temporis lapsu in bonâ fide debeat absque ullâ interruptione, & contraria notitia: qua in re jus Civile à Canonico correctum est, ut n. 4. ex *Conc. Lateran.* indicavimus. Et secundum hanc Canonum dispositionem judicari in Camera Spir. *Andr. Gall. testatur l. 2. obs. 8. n. 7. V. Azor l. 1. c. 3. c. 21. §. Leges insuper. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. Socinus Reg. 307.*

VII. Hactenus dicta de conditionibus legitimæ præscriptionis amplianda sunt 1. Ut possessio non sit contra unum, vel alterum tantum, sed contra omnes quorum interest, quia hîc unius damnum non afficit alios: nec fit prærogatio de persona in personam. *Innoc. in c. Tua. de Decimis. Balbus de præscript. part. 3. q. 3. & 4.*

2. Non sufficit ficta possessio, sed debet esse vera & realis. Vnde interrupta per captivitatem possessio jure postliminii non restauratur. *l. denique*

cum l. seq. tit. Quibus ex causis mai. V. Pectium pag. 55.

3. Prædicta possessio perfectè continua esse debet, ita ut nec in minimo interrumpatur, cujus rei gratia Interpretes dicunt per solutionem unius nummi interrumpi posse. *Bald. ad c. Illud. de præscript. coll. ult. Palæstræ tract 31. disp. unica, Pun. 22. §. 4. & 16.*

VIII. Contra hæc objicitur. 1. Episcopus locum à se conversum contra alium Episcopum præscribit absque bona fide, cum probè norit ad alium Episcopum pertinere. *c. 1. de præscript.*

R. Id speciali jure constitutum est, in favorem Religionis & commendationem zeli pastoralis, quo conveniebat proprium loci Episcopum uti, & prævenire alienum. Hæc igitur Regulæ nostræ exceptio erit. *Causs. in Comm. hic. & Caramuel. l. cit.*

2. Objicitur. Hæreditatem jacentem seu nondum aditam, nemo possidet, ut per se notum est, nihilominus præscriptio à defuncto inchoata currit, & continuatur. *l. Captam. l. Iusto de usucap.*

R. Hoc quoque in gratiam hæreditis, qui non nisi ex justis causis moram censetur facere in adeunda hæreditate, singulariter indultum est, juris quædam fictione, vel si mavis, interpretatione, eò quòd in hæredem omne jus à defuncto transferatur: quo fit, ut hæreditatis acceptatio retrahatur judicando de illa, quasi primo momento, adita fuisset, adversus rigorem juris, ut eatenus continuata præscriptio videatur. *l. hære. & hæreditas tit. de usucap.* Aliorum responsio est ipsam hæredita-

E tem

tem licet corpus mortuum sit, juris fictione loco possessoris esse, & supplere defectum personalem. *l. Capram. l. iusto. Balbus de præscript. p. 6. n. 47. Peckius pag. 57. Canisius pag. 507. Aiciat. ad l. Eius qui n. 69. rit. sicertum per.* Cum enim ante additionem hæreditatis nihil sit, quod imputetur hæredi propter moram, tempus ipsi à lege indultum damno esse nequaquam debet.

Objicitur 3. Debitor nihil possidet ex bonis Creditoris, & tamen præscribit adversus eum actionem personalem, si negligens fuerit. *l. Omnes e. de præscr.*

R. Licet ex bonis Creditoris debitor nihil possideat, cum quæcunque daturus est Creditori, in suo dominio habeat, donec tradiderit, possidet tamen libertatem suam, ne importune molestetur, & hanc possessionem juris indulto propter Creditoris negligentiam continuat, & conservat, eaque ratione excludit actionem personalem.

Objicitur 4. Servitutes discontinuæ præscribi possunt. *l. hoc iure. §. dudus. Aquæ. tit. de aquâ quotidianâ.* Illarum tamen possessio continua nequit esse: ergo ad præscriptionem universè non requiritur possessio continua.

R. In ejusmodi bonis, quorum usus necessariò discontinuatur, non est attendenda naturalis possessio, quæ corporis insistentiâ fieret, sed civilis, quæ solo animo conservari potest. Quamvis ergò servitus hæc, vel illa per intervalla temporum discontinuatur, animi tamen intentio illam conservandi manet, & nunquam interruptitur.

Objicitur 5. Si ad præscribendum

continua possessio requiritur, non levis injuria timenda est illi, qui absque culpa per vim depellitur, & multo tempore à bonorum suorum possessione impeditur.

R. Ejusmodi possessores postliminio in integrum restitui debent: quo facto, fictione juris nullus alius possidisse censetur, à deo quæ depulsus à bonorum suorum possessione naturali, corpore quidem absens fuit, & alius naturali & iniquâ detentione occupavit, ipse tamen animo nunquam deservit: quem modum, civiliter nimirum possidendi sufficere jam non semel diximus.

Objicitur 6. A prædictâ necessitate excipienda videtur præscriptio centenaria, & quæ est temporis immemorialis, cujus videlicet initium ignoratur. Habet enim illa vim tituli & privilegii à legibus constituti.

R. Ita quidem censuere nonnulli: *Legistæ Salic. ad l. 2. C. de Servitut. lason. l. 2. Consil. 209. Bald. Conf. 352. num. 3. lib. 3. Decius ad l. traditionibus. C. de pacat. & conf. 496. Boerius decis. 39. n. 7. sed imitationem illam improbat Glo. in c. 1. V. Nisi de præscriptionibus. lib. 6. Abb. c. ult. de præscript. Covarr. in Reg. Possessor par. 2. §. 8. n. 4. Fachin. l. 8. c. 26. cum aliis multis, quos allegat. Nec ratio deest, quia longitudo temporis maculam injustæ occupationis non emendat, sed potius aggravat, verum rei dominum longiori tempore damnificando: & omninò generaliter accipienda sunt illa Concilii generalis Lateranensis verba, Oportet, ut qui præscribit, in nullâ temporis parte rei habeat conscientiam alie-*

na. c. ult. de prescript. Quod si jure Civili aliter constitutum est, nullum robur habet, utpote à Summis Pontifici-

bus reprobatur. V. Palao tract. 31. disp. un. punct. 22. §. 6. num. 2. Soto l. 4. de iust. q. 5. art. 4. Barb. in Comm. si. R.

REGVLA III.

Sine possessione prescriptio non currit.

I. HVjus Regulæ ex c. Causam. de prescrip. & c. 3. de prob. sumptæ intellectum facillè aperiunt ea, quæ ad præcedentem Regulam adducta sunt. Nihil enim aliud intendit, quàm præscripturo ita necessariam esse rei possessionem, ut si illa desit, neque inchoari præscriptio, neque prorogari queat. c. Illud 8. c. Auditis 15. de prescript. l. naturaliter. 5. tit. de usurp. & usucap. Quando igitur possessione suâ privatur aliquis, sive per vim, sive per dolum, sive naturali aliquo casu, ut si aquis obruatur campus, possessionis filum scinditur, & inchoata præscriptio interrumpitur juris autoritate, quando possessor in jus vocatur, vel cum eo litis contestatio fit aliis denique modis, de quib. V. Part. 2. Summ. tit. 4. §. 5. n. 22. Citatione læditur ea quæ annorum 30. est: litis autem contestatione, quæ longissimi temporis. l. Mora 26. de rei vendit. Triennalis neque citatione, neque litis contestatione impeditur, licet ccepto judicio sine effectu currat. Barb. in c. Accedentibus. de privil. in c. Causam qua. de prescript. Menoch. de presumpt. l. 6. n. 64. Covarr. in Reg. Possessor. Part. 2. §. 12. n. 4. & seqq. Casus. pag. 507. Mynsing. §. possidere. Instit. de interditiis. Franc. Marcus.

decis. 592. Angel. V. Præscriptio numero. 6.

II. Contra hæc quæ opponi possunt, in præced. Reg. discussimus. Superest textus in l. rerum mixtura 30. §. Labeo. tit. de usurp. & usucap. ubi dicitur. Si is, qui ad regularum vel columnarum usucapionem decem dies superessent, in ædificium eas conjecisset, nihilominus eum usucapturum, si ædificium possedisset. Atqui ex Iabolenno constat, ædium partes non possideri, sed ædes ipsas. l. eum qui. 23. tit. de usucap. Hic igitur præscriptionem fieri absque possessione conceditur. R. Bartolus exceptionem agnoscit, & singulariter ita dictum à Labeone putat propter modicum tempus, quod superest ad complendam usucapionem. Melius alii respondent contra Iabolennum, revera possideri columnas, & tegulas, quamvis insertæ ædificio sint, & cohæreant. Nam sic annulos quoque & gemmas ipsis insertas possidemus, & præscribimus. di. §. Labeo. V. quid ergo. V. Bronchorst. Centur. 4. ass. 12.

Minoris pretii est, quod de rebus incorporalibus aliqui adferunt, quæ non possideantur, & tamen præscri-

E a bantur.

bantur. Etenim in rigore sermonis licet dicantur non possideri, apud DD. obtinuit, ut quasi possideri, nimirum ad similitudinem rerum corporalium, censentur. *Petr. Duen. in Reg. 574. Co.*

varr. l. 3. Variar. c. 16. Molins disp. 12. & seq. Vvesenbec. l. 41. tit. 3. n. 10. Laym. l. 3. tract. 1. c. 7. n. 1. §. Dicitur autem. Eachm. l. 8. c. 20.

REGVLA IV.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

Peccati nomen aliquando culpam, seu offensam Dei, aliquando reatum pœnæ significat. *c. Sires 14. q. 6. ex S. Aug. ep. 54. c. Cūm tu. de usuris.* Quæ distinctio malè cognita apud imperitos olim gravium malorum causam dedit, Cūm enim Indulgentiarum præcones per Indulgentias promitterent omnium peccatorum abolitionem, quod de reatu pœnæ temporalis, verum erat, ad ipsius culpæ remissionem ab imperitis detortum est, ita ut sufficere crederent unius eleemosynæ largitionem pro peccatis abolendis, absque ulla pœnitentia, confessione & absolutione. Simili errore tenentur illi, qui in hac, & sequenti regula peccati nomine contendunt reatum pœnæ æternæ intelligi, ut sensus sit, Peccatum non dimittitur, id est, reatus pœnæ æternæ manet, quamdiu non sit restitutio aut compensatio damni: quasi verò unquam remittatur culpa seu offensa, Dei, & non simul remittatur pœna æterna. Quanquam excusari possit, si per reatum pœnæ intelligas, maculam ex peccato remanentem in anima, seu peccatum habituale, quod nihil aliud sit, quàm pœnæ æternæ reatus. Verùm

id à communi Doctorum opinione alienum, & falsum est, ut in 1. 2. ad q. 86. S. Thom. fusiùs explicari solet.

Nomine peccati igitur in hac, & sequenti Regula potissimè & primariò intelligi debet ipsa culpa, seu offensa Dei & proximi, quæ nunquam remittitur, nisi satisfaciat læso peccator sive re ipsa, sive in præparatione animi, ut infra latius dicemus. *V. Caramuel Theol. fundam. n. 623.*

Item Particulà *Nisi* quosdam subtilizare compulit, qui existant, quando sequitur affirmativam orationem, negare aliquid, cūm verò negativam sequitur, aliquid ponere. *Ex. gr. si molesto juveni puellà respondeat. Non consentio petitioni tuæ, nisi honestè, affirmat se consenturam in actum, ex quo constituatur matrimonium. Ita Dynus in hac Reg. n. 2. citatis non paucis legibus. Cum Dyno facit Barbosa in tract. de particulis, præter Auctores, quos magno numero colligit, rationem addens, quia particulà *Nisi* est adversativa, & natura sua contradicit præcedentibus. Et hoc ipsum sæpè observatum esse in Rota. E contra laborem hunc superfluum vocat *Pekylus n. 4. & salita-**

tis arguit hoc exemplo. *Testator ait. Libere esto serve, nisi rationem reddideris: redditis rationibus non ideo liber est servus, sed prohibitio cessat. Idem aliis multis exemplis ostendi potest. Non eris Doctor, nisi bene studueris: Non eris Sacerdos, nisi habueris ordines minores: Non admitto in familiam, nisi sis legitimus. Nunquam conualesces, nisi abstineas à vino. An exiltimas sanum continuo fore, si vinum non biberit? Bonum ex integra causa venit. Vnde colligimus *Dyni, & Barbosa* opinionem supponere vel requirere limitationes quasdam, qualis est: ut oratio loquatur de actionibus positivis, vel quasi actionibus quæ sint in potestate hominis: Deinde ut non sit partialis comprehendens causam non adequatam, conditiones, & qualitates non necessarias & similia: Eas enim admitti potest particulam *Nisi* affirmare, & exigere aliquid ponendum aut faciendum, quando post negationem posita est hoc sensu. Non est, quod expectes remissionem peccati, nisi velis restituere, vel, ut consequaris remissionem culpæ, debes satisfacere parti læsæ.*

III. Ultima pars, nisi restituatur ablatum amplè sumenda est, pro quolibet damno positivo & negativo formali, & virtuali. Omnia enim per quod contra iustitiam læsus est proximus: part sunt obligatione compensanda. Fur & raptor iniuriam formaliter inferunt: consulens verò, mandans, retinens, & virtualiter, ut à *Navarro* late declaratur. c. 17. n. 12. & seq. Nam ut supra in sinuavi, ex qualibet iustitiæ læ-

sione nascitur restituendi obligatio. *Caiet. 2. 2. q. 62. art. 6. & alii. S. Thom. interpr. Dynus in additione. Barb. in c. Sacerdos de off. iud. ord. &c. Si adversus de rest. in integ. in 6. n. 15. Petrus à S. Ioseph. l. 4. de iust. c. 11.* Cæterum restitutio prædicta alia fit per ipsius rei ablatæ redditionem, alia per ipsius pretium, alia sola animi præparatione, ut in illis, qui propter inopiam, unde restituant, vel satisfaciant, non inveniunt. Sensus igitur Regulæ est: Ad remissionem peccati contra iustitiam, non sufficit pœnitere, confiteri, & emendationem promittere, sed insuper restituendum est ablatum, restituendum dico, vel re ipsa, vel animi destinatione. V. *Dynum hic. Navarr. c. 17. n. 12. Angel. in V. Restitutio §. 1. Silv. §. 7. & alii communiter.*

IV. Neque hîc ulli exceptioni locus est, cum lex naturalis exigat rei alienæ restitutionem. Quæruat tamen aliqui, an si læsa pars spontè ac liberè remittat damnum, aut restitutionem, adhuc maneat peccatum.

Non desunt, qui cum *Peccato libera* creditoris remissione seu condonatione peccatum quoque tolli existiment, non advertentes, aliam culpæ, aliam esse conditionem debiti pecuniarii. Hoc ab eo, qui læsus est, condonari & extingui posse nemo ambigit: pro illa altior quædam & potentior est Ecclesiæ ministris à Christo communicata auctoritas, clavium Symbolo indicata *Matth. 16. v. 19.* Remanet enim obligatio conscientiæ, ut Deo, & iustitiæ læsæ satisfiat per pœnitentiam: quin etiã reatus pœnæ Magistratui exolvendæ. *l. Qui ea mente. in. de furtis. Conc. Trid. sess. 24. c. 1. E 33 V. Illud*

V. Illud tamen utiliter monet *Barbofa* restitutionem, ut profit ad peccati demissionem, in hoc sæculo faciendam esse: quòd illa, quæ post mortem debitoris ab hæredibus fit, animam pœnæ ream non possit eâ liberare, ut contra ineptam vulgi opinionem, & quorundam Canonistarum *Anania & Abbatis* communiter docent *Theologi apud Bel-larminum l. 2. de purgat. c. 16.* quibus per omnia consentiens *Navarr.* eleganter in *c. 17. n. 68.* Quæsitum est, inquit, à multis, an defunctus detineatur in Purgatorio, donec ejus debita solvantur. Resolvo negativè juxta *s. Thom.* quodl. 6. art. 13. & *Adriani* in quodl. 8. quia fieri potest, ut moriatur martyr, vel statim post baptismum, quem rectè ire in cælum fides Catholica docet, vel cum contritione ad omnem pœnam delendam sufficienti, vel absolutus virtute jubilæi ad id efficacia. Nec obstat, quod Angelus dixit contrarium, ex *c. in literis de Raptoribus.* in illis verbis, ut à peccatis suis valeat liberari. quia ut olim prælegendò illud *Salmanticæ* dixi, loco verbi *Valeat*, quod ad defunctum refertur, debet legi *Valeant*, quod referatur ad hæredes, ita quòd significat per restitutionem debitorum defuncti hæredes liberari à peccato suo negligentæ: aut germaniùs, quòd intelligatur de ope tribuendâ mortuo accidentaliter per preces creditorum, vel pauperum benè satisfactorum. Nam ut ait *s. Thom. l. citato*, solutio debiti parùm prodest defuncto nisi accidentaliter modo prædicto. Quare risu aut potius commiseratione digni sunt filii & alii hæredes, qui miserentes

plurimum defunctis, quod propter debita detineantur in Purgatorio, non misereantur sibi, quòd teneantur in statu infernali, notabiliter eorum solutionem negligentes, aut differentes, quod plus satis frequenter contingit. Ita *Navarr.*

Aliam explicationem verborum *capituli citati, in literis de Raptoribus.* Ut valeat à peccatis liberari, adfert *Barbofa.* Cùm ibi agatur de incendiario, cui injustè negata erat sepultura, mandat Pontifex, ut sepultura illi concedatur, & hæredes satisfaciunt restituendo, quia licet opus tertii per se directè ad satisfaciendum pro defuncto non tendat, est tamen in causâ, ut corpus sepulturæ tradatur, & ex consequenti anima defuncti suffragiis, & oblationibus juvetur, quæ continent rationem satisfactionis natura suâ, atque ita profunt, ut citius anima à reatu pœnæ temporalis liberetur. *Glossa* retento verbo *Valeat*, à venialibus peccatis, & temporalis satisfactione liberari, quem in altero sæculo pronunciat, sed à pœnâ æternâ nunquam.

VI. Ad extremum, refero, quod impertinens ad Regulam videri poterit, non tamen impertinens ad salutaris doctrinæ, correcto errore persuasionem. *D. Pekius*, cùm de peccatis egisset miserabilium personarum, quæ ad alieni cupiditatem, vel proprii corporis prostitutionem necessitas impellit, ita philosophatur *num. 9.* An lethale crimen contrahat, quæ in extremâ famis necessitate constituta, vitam servare, nisi fornicetur, non possit, magis divino, quàm humano judicio

DE REGVLIS IVRIS.

no relinquendam censeo. Malum perferre, quam malum facere, utique expedit: sed malum perferre, ut re ipsum perdas, an omninò necessum sit, dubito: quantumvis in eam partem proclivis sim, quòd præstat honestè mori, quam cum turpi consensu vivere, & dubiam irati Numinis iram tenere. Ita Peckius, magno & pudendo errore, in quem doctrinæ Theologicæ, inò Christianæ ignorantia miserum protraxit. Moriendum esse potius, inò millies moriendum, quàm vel semel in fornicationem consentire, manifestum est nec ob id dubia Numinis, sed certissima ira timenda. Nam quod in 1. 2. ad q. 71. omnes Theologi docent, ea quæ intrinsicè mala sunt, cujusmodi est mentiri, fornicari, adulterari, & similia, nullo sine operantis bono, nullave circumstantia fiunt licita. In quibusdam tamen mutare circumstantiam aliquam Deus potest, eaque rationè licitum facere, verbi gratia, alienæ rei, vel uxoris usum. Sed eatenus malitia objecti tollitur, quando nimirum, quæ res aliena fuerat, propria efficitur. Sic Ægyptum Israe-

litæ spoliarunt, Exod. cap. 12. & ad mulierem fornicariam propheta ingressus est. Ose. cap. 1. Cavendum igitur Juris profani studiosis, nè terminos legum sæcularium egressi, ea, quæ Theologorum propria sunt, & sibi ignota, temerè invadentes dubitando, vel arguendo discutere præsumant.

Illud tolerari potest, quod subdit Peckius. Ad leges sæculi quod attinet, existimo necessitatem illam, (extremam famis scilicet) satis esse, ut mulier non puniatur. Nam quod Ulpianus ait, (l. palam. rit. de ritu nupt.) non esse parcendum ei, qui obtentu paupertatis turpem vitam agit, eò spectare videtur, ut venia negetur illi, qui propter paupertatem, quam depellere alio modo honesto potest, libidinis in cæno volutatur. Hujus enim non vera, & inevitabilis, sed conficta & prætexta necessitas est, nullius favore, aut patrocínio digna. l. si fideiussor. §. si necessaria. l. de dic. tit. Qui sarisidare cogant. Surd. decis. 86. n. 8. Gaill. l. 1. obs. 102. Card. Tuschus in litt. N. concl. 19. Barbos. in axioma. 108. n. 2. & 3.

REGVLA V.

Peccati venia non datur, nisi correcto.

1. Hæc regula, ait Dynus, c. un. de schism. in 6. c. legatur. 24. q. 2. concordat cum præcedente, non remittitur peccatum, nisi restituitur abla-

tum, ita hinc non remittitur peccatum, nec peccati poena, nisi interveniat mentalis correctio, id est, animi poenitentia, & cordis contritio.

Hinc

His enim intervenientibus datur peccati venia. Ita *Dynus*, cum quo plerique alii veniæ nomine peccati remissionem, correctionis verò pœnitentiam cordis, seu contritionem intelligunt. In quo sensu doctrina Theologica est, in jure divino fundata. Nobis enim per fidem innotuit, nulli præterquam agnoscenti delictum suum, & detestanti veniam à Deo promissam & preparatam esse, ut patet ex innumeris pœnæ Scripturæ, & Patrum testimoniis apud *Gratianum*. de Pœnitentia. dist. 1. & 3. potissimum. V. *Caramuel Theologia fundam. n. 759.*

II. Huic igitur interpretationi, si insistere & acquiescere volumus, regula plana est, ut *Canisius* quoque animadvertit. Nemo enim extra baptismum peccati à se commissi veniam obtinere potest, nisi per pœnitentiam, eo modo, quo à Theologis requiritur. Et quia molestum, ac superfluum est, omnes vel etiam multos audire, solius Angelici Doctoris doctrina sufficiat. Impossibile est, inquit, in 3. P. q. 86. art. 2. peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia, quæ est virtus. Cum enim peccatum Dei sit offensa, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directè opponitur gratiæ. Et paulò post. Ad remissionem offensæ requiritur, ut voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione offensæ, & proposito emendæ. Ne quis autem existimaret de solo mortali peccato locutum, in artic. 1. q. 77. dicit, Vtrumque peccatum (mortale, & veniale) per

pœnitentiam quidem remittitur, quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum. Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale detestetur, quantum in ipso est, adhibendo diligentiam ad rememorandum singula, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium, Ita *S. Thom.* cui alii Theologi subscribunt.

III. Cæterum correctio, de quâ agimus, ut necessaria ad consequendam veniam duplex est, una formata & perfecta, altera informis, & imperfecta. Perfecta dicitur quam Charitas informat, & vocatur contritio c. *Charitas de pœnit. d. 2. Con. Tr. sess. 14. c. 4.* Imperfecta sine Charitate est, & appellatur Attritio. *Sors in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. Caiet. Victoria, & communiter Theologi.* Quomodo autem hæc ad remissionem peccati sufficiat, & quanta illam dignitate perfecta contritio excedat, V. hic apud *Barbosam, & Navarr. in Man. c. 1. n. 33.* à quo bene annotatum est in *Coroll. 2.* plurimum decipi illos, qui putant quemlibet dolorem, & quamlibet pectoris tusionem, & quamlibet prolationem *Miserere mei,* esse contritionem, & sufficere ad condonationem peccatorum lethaliū impetrandam.

IV. Amplianda igitur est Regula & quidem juxta *Peckium 1.* ad peccata venialia pro quibus non datur venia nisi contrito. Nam licet in specie quis non teneatur confiteri peccata venialia, sunt tamen confitenda in genere, dicendo, nos quidem nescire, quod in-

eidem in peccatum aliquod mortale, in multis tamen aliis deliquisse. Quod si verò dubium est, an peccatum sit veniale melius est, ut in specie explicetur. Ita *Peckius* qui, ubi dicit pro venialibus nisi contrito non dari veniam, intelligi debet de Attritione, quam Theologi non contritionem, absolutè, sed contritionem imperfectam appellant. Deinde *Silvestrum* quem citat, & alios DD. qui venialium peccatorum Confessionem in genere requirunt, non de præcepto, sed consilio loqui noveris. 2. extendenda est *Regula* ad delicta non consummata opere externo, & merè interna, seu cogitationes, & consilia prava, c. *Christiana*. 32. q. 5. & *Cogitationis*. tit. de pœn. l. *quis sit fugitivus de adilit. edicto*. in foro interno tamen & conscientie aliter se res habet, ut *Math. 5. v. 28.* de mœchatione cordis à Christo explicatum est. Non habet sanè maritus, cur ad pœnam adulterum vocet, sed habet Deus, cur damnet adulteri, apud quem commisit flagitium, qui concupivit.

3. Amplia ut quantacunque alia bona opera fecerit peccator, illis absque contritione veniam delictorum non consequetur. c. *Tres sunt*. 81. & c. *Mensuram* 86. de pœn. dist. 1. Hanc ob causam baptismum appetentibus non dixit *Petrus Act. 21.* Orate, jejunate, elemosynam date, sed *Agite penitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum*. Contritum qui diceret, nisi ignorantia excusetur, de hæresi argui posset. *Conc. Trid. sess. 14. c. 3. & 4.*

4. Amplia ut in foro externo ad veniam delicti sufficiat, exterior quæ-

dam, vel etiam ficta, aut simulata correctio, qualis sæpè in scholaribus & famulis cernitur, cum pœnam aut supplicium metuunt. Precidens in terram villicus, iniquitatis clamat. Habe patientiam in me, & omnia reddam tibi. Ignoscit dominus, & omne debitum remittit. Simulasse subsecuta inhumanitas docet. Datur itaque venia, cum apparet, animum à malo recedere, ita ut jam videatur emendatus. 5. Amplia ut correctus idem sit, quod punitus hoc sensu. Non absolvitur reus nec dimittitur ab humano iudice impunitus, sed pœna illi subeunda est: quo facto recipitur in gratiam, & tractatur ut reip. amicus. V. *Caran. loc. cit.* Nam ut in 3 part. *Summæ docuimus tit. 2. §. 2. dub. 2.* Iudicis officium est non suum sed legum arbitrium sequi, nec liberum illi relinquatur (excipe supremos) pœnam legibus constitutam remittere, aut pro libitu minuere. *Diaz. in Pract. crim. c. 146.* At qualis gratia erit, dices cum *Causo* si reus pœnam à jure constitutam jam subiit? R. Nomen veniæ non ubique eodem modo sumendum, sed extendendum est ad quamlibet relaxationem, & dimissionem. Liberatur minimum à carcere, & infestatione adversarii. Præterea in multis, quæ arbitrio iudicis relicta sunt, gratia punitio ni miscetur, levius castigando, quam leges velint. V. *Diaz. l. cit. & Salzedo in Annot.*

V. Contra hæc obicitur 1. cap. *Si illic*. 29. *Cau. 73. q. 4.* ubi *Gelasius Papa ait*, semel in oblatione remissa punitio recidivo dolore (allegunt) redivivo non debet iterari, divinæ scilicet imitatione

F tatione

tatione clementiæ, quæ dimissa peccata in ultionem redire non patitur. Unde sequi videtur, illi qui in idem genus delicti relapsus est, veniam absque correctione impertiendam.

R. Nec culpa semel remissa, nec poena semel inflicta propter illam, reviviscit & infligitur, quod locus citatus edocet, verum pro iterato delicto supplicium iteratur, & novæ culpæ nova poena debetur. Quod verò *Peckius* ex *c. fin. dist. 4. de poen.* allegat. Sicut bona, quæ peccato moriuntur, per poenitentiam reviviscunt ad præmium, sic & mala, quæ per poenitentiam delentur, reviviscunt ad supplicium; quoad posterius hoc, in rigore falsum est. Peccatum enim semel remissum nunquam redit, neque poena illi debita, si semel exhausta est: sed poenæ temporalis, si qua pars remansit, cum aliorum criminum reatu conjungitur & exigitur. Illud quoque admittunt Theologi, peccata redire secundum quid primò quidem quatenus posteriora continent eandem saltem genere malitiam, iidemque bonis hominem privant, & eisdem specie poenis subjiciunt. Deinde verò quia sunt graviora, & majorem poenam merentur propter ingratitude delinquentis, qui præcedentis gratiæ, & condonationis memoriam tam leviter & temerè abiecit. *V. Cominch de Sacram. disp. 2. de effect. Poen. dub. 18. Tanner. de Poenit. d. 6. q. 5. n. 68.*

2. Obicitur illud, quod *S. Greg. Augustino* scribit, & refertur *c. Denique. dist. 4.* eos suo ingenio relinquendos esse, ne pejores fiant, qui diebus Dominicis Quadragesimæ carnibus vescendo

ingurgitant se comestantes usque in mediam noctem. R. Connexio orationis docet, nihil aliud velle, quam consuetudinem, qui resistere absque graviore malo non possumus patienter tolerandam esse: quod manifestè indicant verba illa *Ne peiores fiant*, si à talis consuetudine prohibeantur. Ut enim ait *Salomon Proverb. 30. v. ult.* Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.

Ob. 3. Ad Confessionem, & poenitentiam admittuntur etiam illi, qui asserunt se abstinere non posse, *c. Quod quidam. de poen. & remiss.*

R. *Peckius*, quamvis peccator dicens se abstinere non posse, recipiatur ad Confessionem & poenitentiam, non tamen peccatum illi remittitur, sed dum ad Confessionem invitatur, sperat Ecclesia, quod bonis monitionibus inductus tandem resipiscet. In eundem sensum cum pluribus allegatis loquitur *Barbosa*, addens, non esse necessarium ad veram poenitentiam, credere nunquam nos denuò lethaliter peccaturos, sed sufficere odium omnis peccati mortalis, & dolere, quod concipere nequeamus: atque ita non requiri, ut poenitens habeat hujusmodi credulitatem, se non amplius peccaturum mortaliter, sed sufficere ut habeat propositum non amplius peccandi in futurum. Consensit. *Suar. 17. d. 4. sect. 3. Zerola de poenit. c. 7. Regm. l. 5. n. 34. Bonac. disp. 5. sect. 5. pun. 8. & alii DD. communiter.*

Addit insuper *Barb.* recipiendas, & audiendas esse meretrices, non absolvendas tamen, nisi certam emendationem promiserint. Sensus igitur citati capitis est. Etiam eos, qui dicunt se

abstine-

abstinere non posse, ad Confessionem admittendos esse, juxta modum vulgarem loquendi scilicet, quo dicere solemus. Non possum abstinere à carnibus. Non possum comedere pisces, id est, Valdè mihi difficilis est abstinentia illa, & comestio, l. *Nepos. tit. de verb. sign.* Certè qui aliter affectus est, sequè affirmat non abstenturum deinceps à consuetudine peccandi, non audiendus in Confessione, sed instruendus, & animandus est, ut deponat falsam opinionem, & pertinaciam: omnia nos posse per divinam gratiam, quæ nulli benè affecto unquam deerit. Impossibilia Deus enim non imperat, ut mox explicavimus. l. *Si quis in gravi. tit. ad Syllan.*

Inst. l. 2. §. Impossibilia. De hered. instit. Cicero in Partitionibus. c. Facta sunt. dist. 4. Concil. Trid. sess. 6. c. 11. Item Canone 18. Castro adv. hares. V. Præceptum. Nav. Man. c. 11. n. 17. Ag. Coninck de Sacram. tom. 2. Disp. 2. dub. 19. n. 154. Vasq. 1. 2. disp. 155. Barb. in axiom. 118. & alii ap. Grat. in c. cit. Facta sunt. suar. l. 1. de legib. c. 9. n. 18. addit, Deum mandare posse, quæ naturæ impossibilia sint, quæ per gratiam facere potest, ut possibilia sint: adeoque omnia Dei præcepta possibilia esse, quam quod per amicum possumus, simpliciter possumus, si amici illius auxilium certum, & paratum est.

REGVLA VI.

Nemo potest ad impossibile obligari.

Hic regulæ consonat, duplex Juris Civilis, nimirum 142. Quod nullus esse potest, id ut alicui fieret, nulla obligatio valet efficere, & 144. Impossibilia, nulla obligatio est. Vtramq; exponit accuratè Phil. Decius. Nostra autem decerpta videtur, ex c. *fin. de pactis. & c. finali de condition appof. denique c. 1. de iur. iur. in 6. pro cuius faciliore elucidatione memineris, quod impossibile apud I. C. aliud est naturæ, ut digito cælum tangere. §. Si impossibile. Inst. de iur. lib. Aliud Juris, quia lex prohibet, ut non alere parentes, rem Sacram sibi usurpare. Aliud pugnantia seu perplexitatis, ut Titius hæres esto, si Cajus erit, & Cajus hæres esto, si Titius erit. Iterum aliud est arbitrium, aliud Casuale, aliud mixtum. Schneideyv. §. sub*

conditione. *Inst. de verb. oblig. Vvesenbec. ibid. Sebast. Medic. tr. de casu fortuito. Monet autem Barbof. commodè ad duo genera revocari scilicet impossibile de facto, sub quo impossibilia naturæ & perplexa continentur, & ad imposibile Juris, seu de jure cuiusmodi est turpe & inhonestum. c. ult. de pactis. c. scitatus. de rescript. Quò fit, ut quamvis difficilia dicantur in jure impossibilia, tamè propriè juxta hanc materiam impossibilia dicuntur, quæ in se infactibilia sunt, & quibus factum, vel jus repugnat: difficilia verò, quæ licet in se factibilia sint, tamen propter defectum hominis fieri non possunt, ut explicat Iureconsultus in §. illud. de verbor. signif. Hæc autem quomodo in conditionibus*

F 2 repe-

reperiantur, & quem effectum pariant, aibi tractandum erit. *V. Gloss. Dynam. & Barb. hic.*

II. Nemo igitur obligare seipsum potest ad id, quod natura sua impossibile est, v.g. se Lunam, vel Solem ex celo detracturum. *l. stipuler. tit. de verb. oblig.* Nec ad impossibile facti, ut montes alpium ultra mare deferre. *arg. tit. de statu lib. 1. cum baref. §. 1.* Nec ad impossibile de jure v.g. promitto, me Ecclesiam violaturum: idq; universè accipiendū, & intelligendum in quolibet contractu, dispositione ultimæ voluntatis, testamento & similibus. *Caramuel. Theol. fundam. n. 676. & n. 681.* Et quemadmodum ad impossibilia seipsum nemo obligare potest, ita nec ab aliis obligari. Nam prædicta Regula.

III. Ampliari & extendi debet 1. ad omnes conventiones, & pacta, ut jam dixi. 2. ad sententias judicum. Unde *Paulus*, ab ea sententia, cui parere per rerum naturam non poteris, sine causa appellatur cum ipso jure non obliget *l. fin. tit. Quæ sentent sine appell.* 3. ad mandata iudicum, quia impossibile præceptum jure non subsistit. *Gaill. l. 2. obs. 17.* ut si ad locum pestilentem, & contagiosum ceteris. Index enim, cum sit minister legis, quod à lege vetatur, jubere non potest. 4. ad confessiones de re impossibili. Titius confitetur falsò, se occidisse Stichum, deinde offert se ad sistendum eum vivum: damnari non potest ex ejusmodi confessione propter impossibilitatem facti. 5. Obtinet etiam in cautionibus. Quamvis enim usufructuarius cautionem præstare debeat de utendo, fruendo arbitrio

boni viri, eamque cavendi necessitatem ne testator quidem mutare possit, & quamvis ad iudicium citatis alium cavere debeat de expensis litis reo restituendis, si causa ceciderit: Si tamen uterque juraverit, se fidejussorem reperire non posse, sola juratoria cautio sufficiet cum generali bonorum obligatione, & juratâ promissione, quod ea bona in fraudem non alienabit. *Gaill. l. 2. obs. 145.*

6. Idem de penis dicendum. Nam mater, quæ filio tutorem non petit ob pestem, excusatur, Vasallus qui dominum juvare non potuit, feudo non privatur. Simili modo vitant excommunicationem omnes, qui quod prohibitum est sub pena excommunicationis, necessitate coacti faciunt. *Derius in Reg. 144. luv. Civ. Avila Part. 2. disp. 5. dub. 1.*

7. Idem in præscriptionibus cernitur. Non enim currit præscriptio contractum, qui agere, & interrompere non potuit. *Tholos. l. 40. c. 6.*

8. Idem in actis judiciariis, si tabellio, & Scriba unius tribunalis non possit conficere acta alterius tribunalis. *Tholos. l. 47. c. 42.*

9. Idem in correctione clericorum. Licet enim nefas censeatur ab Episcopo clericum propriis manibus cædi, permittitur nihilominus in defectu aliorum. *c. Cum non liceat. d. 86. & ibi Glossa.*

10. Idem in testamentis, ubi si numerus testium præscriptus haberi nequeat, sub minori licet testamentum condere. *V. Part. 2. Summa tit. 3. §. 1.*

11. Idem in separatione conjugum, quæ permittitur, quando propter unius mores, & barbariem impossibilis cen-

serug

setur cohabitatio. *Reginald. l. 31. c. 41.*
 12. Denique in omni dispositione, conditione, executione, fictione quoque, ita ut nunquam hæc extendatur ad impossibilia. *V. tit. de conditionib. l. 35. Digest. Instit. de hered. Institut.*

IV. Propter sectarios nostri temporis singulariter intelligi Regula debet de præceptis divinis, quæ non nisi impiedici possunt impossibilia: quod cum initio Lutherani audacter dixissent, à doctis viris castigati mitigare conati sunt, *Chemnitius* imprimis, qui à *Conc. Trid.* statum quæstionis de possibilitate legis perverti mentitur. *q. 3. de bon. oper. pag. 201.* eumque ita format. An renatorum bona opera in hac vita, perfecta implementatione legi divinæ satisfaciant. Subdit deinde renatos in Christo debere ac posse in hac vita legis obedientiam inchoare. Quæ doctrina si sincera à sectariis & constanter traditur, legem Evangelii saltem quoad substantiam fateri debent, à nobis servari posse, adeoque non esse impossibilem, ut alias loqui solent. *Legatur. Bellarm. l. 2. de Mon. c. 13. Becani Manu. l. 1. c. 17. q. 3. Conc. Trid. sess. 6. c. 11. Cocc. in Thef. 2. l. 3. ar. 11. Stapleton. l. 10. Canisius l. 5. de bon. oper. Alph. Castro V. Præceptum. Gualterius in Chronol. sæculo 16. Maldon in c. 19. Mathar. Osorius l. 3. in Haddonum Anglum.*

V. Cur autem ad impossibile dicamus neminem obligari posse, non obfutura ratio est: Cum enim tam in legibus ferendis, quam contractibus ineundis cuilibet certus finis præfixus esse debeat, is ut possibilis sit, exigitur, ne incassum laboremus, & desipere potiùs, quam agere videamur. *l. Non solum. tit.*

de act. In legibus verò illud peculiariter est, ut honesta, utilia & primæ regulæ, quæ divina est, consentanea præficiat legislator, ne ad tyrannidē, quàm clementiam pronior esse arguatur. *Bonac. 10. 2. p. 11.* Deniq; subtrahenda impiis hominibus materia, turbandi, & peccandi, quæ nunquam deerit, si leges æquo duriores, imperia sava fuerint. Vetus verbum est:

*Ultra posse meum non lex me iusta coegit,
 Nec putat esse reum, qui totum posse
 peregit. V. Peck. f. 90.*

VI. Contra hæc. Objicitur I. Impossibile est, casus fortuitos evitare, valet tamen conventio, qua eorum in se quis periculum suscipit. *l. Quæ fortuitis. c. de pignorat. act.* Hoc igitur modo ad impossibile quid obligatur.

R. Ut aliqui, Casus fortuitos non necessariò, sed contingenter evenire. adeoque possibile esse, ut aliqui saltem & aliquo modo prævideantur atque evitentur. Alii non de quibuslibet intelligunt legem citatam, sed de consuetis: & non valere pactum de omnibus casuum susceptio tanquam captionis plena jure non subsistit. Verùm intentio sic contrahentium non est evitare casus fortuitos, sed æquo animo suscipere, quæque inde damna provenerint, aliis non imputare, quod nequaquam impossibile est.

Objicitur 2. Si ad faciendum opus reip. causa quis pecuniam legavit, obligatur hæres, licet opus impossibile sit, quia legibus prohibitum *l. si Servum. §. effectus. de verb. obligat.*

R. In ejusmodi casu præsumitur defunctus

sanctus non voluisse, quod prohibetur legibus, sed quod permittitur. Nec mirum in tali vitæ statu mentis imbecillitate præventos non nihil aberrare. *l. Hac consultissima. C. Qui testamentum fac. poss.* Quod verò dicitur in *l. Labeo. tit. de suppel. legata* neminem præsumi, dixisse, quod non prius mente cogitavit, ita verum est, si non id dixit, quod lege vetatur.

Ob. 3. Multa legibus prohibita sunt, eaque propter impossibilia juris censenda: & tamen facta tenent, & obligant. *v. g.* vendere hominem liberum; facere coram iis, coram quibus fieri non debet: sententiam ferre sub conditione. Denique contractus pupilli sine consensu tutoris initi putantur nihilominus parere obligationem naturalem, ut communiter Theologi docent.

R. Eiusmodi contractus non pariunt firmam obligationem. & à Magistratu irritari possunt, quo facto quilibet liber est, quod sufficit ad hoc, ut dicatur non obligari ad impossibile. *V. Molinam disp. 22.4. Cordub. q. 155. Less. c. 17. dub. 8. Decum ad Reg. Juris Civ. 144.* ubi bene docet, cum quid impossibile est, absolute, & simpliciter, ne quidem obligationem naturalem ex pacto, vel contractu nasci.

Ob. 4. Iustinianus Imperator, veteres secutus impossibiles conditiones, in constitutionibus, & legatis, nec non in fideicommissis, & libertatibus, pro non scriptis haberi vult. *§. Impossibilia. Instit. de heredib. instit.* quod minime opus erat, si per se nullam obligationem pariunt.

R. Cur ita voluerit Imperator, & solis illis intelligi putat *Peckius*, quos æquus amavit Iupiter, & mox diversas interpretum opiniones enarrat. Facillima est, quam supra indicavi, in favorem ultimæ voluntatis, præsumi aliam, quam verba sonant, testatoris mentem fuisse, cui venia danda, si defectu considerationis minus aptè loquitur aut disponit. Ne igitur in totum concidat institutio, legatum & similia, conditiones impossibiles merito pro non adjectis habentur. Sunt nihilominus aliqui casus, in quibus conditio impossibilis: testamentum vitiat, de quibus, *V. Benedictum. de testam. in c. Raynutius. ad verbum Reliquit. n. 16.* Idem videre est in conditionibus matrimonio adjectis, de quibus legi potest *Sanch. l. 5. de Matrim. c. 19. Salvestr. in V. Condicio. n. 8. & al. Summisia.*

V I I. Dubium est. An quamvis nemo peccet, omittendo, quod sibi impossibile est, aliquando tamen obligetur?

R. *Cominck disp. 3. de præcepto Pent. d. 2. n. 9.* asserit, posse aliquem quasi in actu primo ad impossibile obligari. *v. g.* Petrus injustè occidit aliquem, et si in actu secundo verò non obligetur, ut ei vitam restituat, quia impossibilitas excusat eum, ne peccet non restituendo, tamen in actu primo, & quasi in radice est aliqua in illo obligatio: quia si Deus daret illi potestatem restituendi vitam Petro, statim absolute ad hoc obligaretur, non ratione potestatis, quam Deus tunc illi daret, sed ratione obligationis, quæ quasi in actu primo in eo erat, sed quasi mortificata & impedita, ne vim suam exerceret ratione impotentia;

tentia, quâ sublatâ eam statim exerit. Ita *Conin. l. 1.* quidam nescio, an de conditionibus impossibilibus matrimonii diceret, non sine magnis incommodis, quæ inde sequerentur. *Ex. gr.* Contraho tecum, sed aliter non erit validus contractus, nisi cæcum illuminaveris, secundum leges conditio hæc pro non adjectâ habetur, sed frustra, si obligatio naturalis ex tali contractu oritur, & radicaliter obligatus sum.

Tam enim facile est, potestatem illuminandi cæcum, quàm resuscitandi vivum à Deo accipere. Præterea si diligenter attendas, invenias Petrum occisorem nullo modo obligari ad restituendam vitam, nisi quatenus per miraculum possibilis est, cujus in humanis rebus non est habenda ratio: adeoque melius dicitur, neminem ad impossibile unquam obligari. *V. Vivianum in Comm. h. R.*

REGVLA VII.

Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum personâ.

Hic Regulae respondet aliquatenus illa Juris Civilis 68. *In omnibus causis id observatur, ut ubi persone conditio locum facit beneficio, ibi deficiente et beneficio quoque deficiat.* De quâ *V. Decium p. 254.*

Porro Privilegium aliud nihil est, quàm privata quædam lex, ut ipsâ nomenclatura sonat. Nam quod nobis proprium, antiqui privum dicebant, teste *Gellio l. 10. c. 10. c. Privilegia dist. 3.* Quod si in gratiam personæ, detur, personale privilegium vocatur, & porro extendi non debet, si verò rei potius respectu detur, Reale. Quamobrem Regulae hinc intentio manifestatur. Nam si personæ intuitu quippiam extraordinarium conceditur, ipsius proprium donum est, atque ita personæ adhæret, ut quoquò se verterit, secum trahat. Exemplum habes in *c. 2. de vict. & usu pallii*, ubi *Celestinus Papa.* Non est

conveniens, ut pallium tuum alicui commodes, cum pallium in personam non transeat, sed quisque cum eo debeat sepetiri.

Item in *c. Mandata de præsumpt.* ubi *Greg. Papa Maximo Episcopo* rescribens vices Apostolicæ Sedis illius personæ, non autem loco tribuere ait. eò quod ex tranfactâ vitâ de subsequente illius conversatione præsumeret. Quibus verbis causa inserta est privilegiorum personalium, quæ causa cum in aliis locum non habeat, ab iis idem privilegium non participatur, juxta textum *c. Sanè. 9. de privil. Regim. l. 30. c. 22. q. 2.*

Nec desunt juris profani exempla. Regulariter enim, ait *Gaill. l. 2. obs. 144.* privilegium personale non extenditur ad extraneum hæredem. *l. Quia tale. tit. solu. matr. & in c. Privilegium. de privil. in 6.* Cum enim qualitas privi-

privilegii mutatione personæ, quæ est alterius conditionis mutetur, per consequens privilegium amittitur. *l. licitatio, alias locatio. §. fin. tit. de publican. & vectigal. & c. 1. de iure patron. in 6.* Idem apparet in marito, qui non condemnatur, nisi quantum facere potest, deducto, ne egeat. quæ gratia maritum sequitur, & cum ipso emoritur: ac proinde hæres illius extraneus in solidum condemnatur, non habita ratione, ne egeat. *l. Maritum. tit. solu. matr.*

[Idem in privilegio, quod datur patri, patrono, & militi, ut non condemnentur, nisi quantum præstare possunt. *l. Sunt. tit. de re iud. l. Patronus. l. Miles.* cum quibus similiter extinguitur privilegium illud, nec ulla successione in alios derivatur. *Dynus. Peckius in Comm. h. R. Sylv. V. Privilegium n. 1. Armilla. n. 5. Zerola Part. 2. §. Quinto.*

II Unde consequitur, quod ampliari debeat I, & intelligi privilegium personæ inesse, quamvis alio in loco versetur, quemadmodum potestas Principem comitatur, quocumque ierit. Nam Roma quoque, & Curia ibi esse censetur, ubi Pontifex est. Scholaris item, quamvis migret loco, & extra Academiam sit, à laico iudice capi, & teneri non potest. *Auth. Habita. c. Ne fil. pro patre.*

3. Amplia, ut in solidum adhæreat personæ, non verò, ut quasi in partes dissectum alicubi sit persona, ubi non sit privilegium ipsius adæquate: quia ut alia jura, censetur unum, & indivisum. *Aymo consil. 239 l. 2. ad exemplum sententiæ unum duntaxat caput continentis.*

3. Amplia, ut proficiat quoque, cum quibus in aliqua dispositione privilegiatus concurrat. *ex. g. Major 25. annis utitur privilegio minoris, quoad petendam restitutionem in integrum. l. si communem. tit. quemadm. servitus amit.* Et laicus cum clerico ad maleficium captus simul cum clerico ad iudicem Ecclesiasticum remittitur, ne contentia causa dividatur & contrariæ sententiæ proferantur. *c. Per tuas de arb. Item quando privatus habet jus commune cum Ecclesia Romana, non currit illi præscriptio nisi centenaria. Gall. l. 1. de pace publ. c. 6. n. 17. & 18.* Verum quod de privilegio minorum diximus, etiam majoribus tribui, mirum non est, imò impertinens, si non personale, sed reale est, utpote intuitu læsionis, & damni constitutum. *Mynsing. l. 4. obs. 19. Suar. l. 8. c. 3. n. 6. Duenas in Reg. 552.*

4. Privilegium personale ita personæ annexum ac proprium est, ut neque uxori, neque filiis, & multò minus familiaribus frui liceat, nisi id specialiter expressum fuerit. *Navarr. c. 27. n. 181. Suar. l. 8. c. 11. Barb. hic. cum aliis multis.*

Hinc sequitur & persona extincta, & loco, privilegia ipsi concessa simul perire, nisi ab hostibus destructio fiat, vel legitima auctoritate aliò transferatur, ut fufius explicat *Barbos. n. 7. & seq. Azor. l. 5. c. 22. q. 11.*

III. In contrarium obijciunt. Qui ab Episcopo privilegium habet legendi libros hæreticos, vescendi carne, aut lactiniis in Quadragesima, non potest eo uti extra diocesin suam. Ergò Privilegium personale non sequitur ubique personam. *De librorum hæretico.*

teorum lectione testantur *Navarr. consil. 6. de privil. Salas, & Suarez apud Barbosa in c. Facta sunt. dist. 4.* De reliquis eadem ratio videtur. Nam uti lex Episcopi extra ipsius territorium non obligat. *c. 2. de constit. in 6.* ita nec privilegium.

R. Prædictis privilegiis eos, qui impetrarunt ubique uti posse, eo ipso, quia personalia sunt. Quod autem alicubi non permittantur, ex specialibus interdiciis manat, propter scandalum, & alia incommoda. *Navarr. consil. 15. de privil. Azor. l. 1. §. c. 23. q. 6. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. Sanch. de Matrim. l. 8. d. 31. q. 2. Pellizzar. in Manuali Regul. tract. 3. c. 1. num. 60.*

Ob. 2. Qui in alieno territorio deliquit, ejus loci Magistratui poenas debet, non obstante quocumque privilegio, ne nisi à certo Iudice puniatur. Non sequitur ergo privilegium quocumque peregrinantes.

R. Privilegia sine præjudicio tertii concedi solent, & debent, uti habes in *c. Super ea. de off. deleg. l. 1. §. Merito. & §. si quis à Principe. tit. Ne quid in loco publ. Gall. l. 2. obs. 1. n. 14. & obs. 142. p. 592. Barb. in c. Ex ruarum de auct. & usu pall.* Mirum igitur videri non debet, si quis in alieno territorio ad poenam trahatur propter culpam, quia nec intentio dantis privilegium est eousque extendere, neque juri aliorum quicquam derogare.

Ob. 3. Privilegiatus contra privilegium, uti privilegio suo non potest: quomodo igitur eum perpetuo comitatur?

R. Hæc obiectio seipsam jugilat, Nam qui affirmat Titium non posse uti

gladio suo, fatetur illum habere. Aliud ergo privilegium seu jus aliud est usus ipsius: privilegium penes me est, sed uti non possum contra eum, qui ex opposito privilegiatus est, quia dicat se in possessione libertatis constitutum de jure non posse: aliàs benè utimur privilegiis etiam contra similiter privilegiatos, quando de evitando damno agitur. quemadmodum in Religiosis Ordinibus videre est. *V. Roder. Tom. 1. q. 9. art. 11. & Pellizzar. in Manu. Reg. tr. 8. c. 1. n. 78.*

IV. Quod additur in Regulâ Privilegium cum personâ extingui, indicat nullâ hæreditate, aut successione ad posterum transire, cujus rei indubitata ratio est, quia cessante causâ, à quâ sola pendebat, effectus quoque cessat: ut prolixa inductione declarat in Reg. suis *Andr. Tiracquellus.* Cùm ergo privilegiorum personalium causa sit personæ propria dignitas, ut sic incommunicabilis, non est, quod filii, & posterum eodem se favore fruituros sperent, nisi fortè aliter expressum sit. Ita, ut aliis exemplis parcam, usu venire cernimus Doctorum, & Professorum posteris, qui neque vivis parentibus, neque defunctis usurpare audent titulum nobilitatis, aut illustrii personarum. Enim verò, cum ipsis Doctoribus, & doctrinâ, quam multo sudore compararunt, & propter doctrinam parta decora eodem sepulcro conduntur. *Franc. Marcus decis. 458. n. 25. & decis. 639. num. 3. Bronchorst Centur. 4. ass. 90. Tholos. l. 18. de Rep. c. 9. Adamus Conzen. l. 4. politicor. c. 16. Mascard de probat. concl. 671. num. 11. Surdus Consil. 5. n. 46. Brunor. in loc. commu.*

mun. V. Probatio 10. Card. Tusch. lit. P. concl. 765. Barb. in axiom. 1. 91. Menoch. Casu 336. n. 10. ubi probare nititur privilegium personæ datum ad familiares extendi, quod minime admittendum,

nisi loquatur de personâ cum adjecto; puta talis domus incola, vel hospite, ut materia, quam ibidem tractat, indicare videtur.

REGULA VIII.

Semel malus semper præsumitur esse malus.

I. **S**umitur ex l. filius. §. 1. ubi Barr. de accus. & ex c. scribam. de præsum. cum aliis citatis à Gloss. hic, & Barb. in axiom. 1. 2. De vero sensu peculiaris difficultas est, tum propter ea, quæ usu quotidiano in contrarium cernimus, tum propter aliam Regulam è diametro repugnantem, quod quilibet habendus sit bonus, donec probetur malus: & qui antea bonus fuit, nunc quoque bonus præsumitur, quemadmodum Barb. notat. ad c. Cum in iuventute. 15. de præsumpt. & Tiraquellus explicat. de penis tempor. c. 51. Insuper ratio favet. Nam quamvis primorum parentum scelere natura corrupta in malum inclinât. c. Omnis 12. q. 1. quia tamen inclinatio illa ex se peccatum non est, ut Theologi contra Sectarios nostri temporis demonstrant cum S. Th. 1. 2. q. 91. & 93. nihil obstat, quò minus homo, instructus libero arbitrio aliisque viribus bene agere queat, indeque jus sibi acquirere ut quam diu oppositum latet, in bonâ estimatione aliorum sit, & bonus reputetur. S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 3. Soto 1. 3. de iust. q. 4. art. 111. Valent. 3. disp. 5. q. 4. punct. 3.

III. Sensus igitur Regulæ est. Cum

is, qui semel deliquit, v. g. perjurio aliquo, aut prævaricatione, non possit eluere illud, nisi per mutationem animi, & pœnitentiam: de hac autem in foro externo præsumi non queat, quam diu ignoratur, præsumitur ad huc esse, qualis aliquando fuit, deprehensur nimirum aut convictus, idque donec contrarium innotescat. c. Maiores. §. ult. de baptismo arg. l. si ve possidetis, ubi Gloss. & DD. C. de probat. Dico, præsumitur esse, qui ante fuit, malus scilicet non absolute & universè, sed in eodem genere delicti, v. g. calumniæ, aut prævaricationis, cuius gratia in iudicio non admittetur, quasi bonus, nisi probaverit. Hoc factò præsumptio cessat, & veritati cedit. V. Gaill. l. 2. obs. 109. ubi docet ex multis qui simul rixati homicidium fecerunt, si auctor deprehendi nequeat, eum quæstionibus subijci posse, qui naturam suam contentiosus, malæ frugis, ad rixas facile profilit, & aliis simile delictum commisit: idque per regulam, Quod semel malus semper præsumitur malus in eodem genere delicti. c. Ille vos. §. fin. de pignorib. l. si cui crimen. §. 1. tit. de accus. Hippol. Singulari 74. & 217. Anton. Bardus de temp. mill. 61. &

4. 18. n. 11. Laym. l. 3. tr. 3. c. 2. n. 7. Quod
etiam pertinet illud Virg. l. 2. AEn.

Ascipe nunc Danaum infidias, & crimi-
ne ab uno

Disce omnes.

NOTA. Quamvis in uno malum,
in aliis bonum Magistratus reputare
debeat, vulgò tamen convictus de uno,
suspectus manet de aliis. Notam con-
traxit leviter, quam multo sudore vix
eluet. V. Carameus Theol. fundam. n. 599.

III. Hinc sequitur, 1. non recipi ju-
rumentum illius, qui semel in perjurio
deprehensus est, c. Parvuli 22. q. 5. Qui
semel perjuratus fuerit, nec testis fit,
post hoc, nec ad Sacramentum accedat,
nec in sua causa, vel alterius jurator
existat. DD. in c. Per tuas de Simonia. Cau-
sam reddit Carameus loc. cit. quia ipso
crimine judicialiter nullus efficitur.

2. Qui cautione juratoria præstita libe-
ratus ex carcere profugit, iterumque
captus est, quamvis juramentum offe-
rit, non relaxabitur. Gloss. in l. Cornel.
ut. ad Sillan. Præsumitur enim eodem
adhuc morbo teneri.

3. Notarius de falso semel condem-
natus: ne quidem propria causa permit-
tatur instrumentum conficere. Iason in
l. Barbarius. de off. pratorum Item qui
semel falsum testimonium dixit, nun-
quam recipitur ut testis c. Testimonium
de testib. Silvest. V. Testis n. 1.

4. Semel excommunicatus præsumi-
tur tam diu talis esse, donec de contra-
rio noticia habeatur. c. Sicut nobis. 39. de
sent. excomm. Semel excommunicatus
debet vitari semper, ut excommunica-
tus, nisi legitimè probet se fuisse abso-
lutum.

5. Illos spe sua privandos, qui infir-
deles, aut incurii deprehenduntur ex c.
publicani & questores: præsumitur enim,
sicut hoc anno, ità in sequentibus fore
negligentes, vel perfidos. Illi similiter,
qui ut beneficium Ecclesiasticum obti-
nerent, juri Canonico se operam datu-
ros polliciti sunt, si in primo anno se-
gnes fuerint.

6. Aliquando mitiori pœna afficien-
dos, qui injuriam aliis inferunt. Lex
enim, quæ mulierum raptoribus sup-
plicium mortis statuit, in eo deficit, qui
mulierem abduxit, alias levem, & las-
civam: præsumitur enim potius secuta
sponte, quàm vi rapta. Hippol. sing. 71.

7. Non fieri injuriam filiis illegiti-
mis Sacerdotum, quando ad beneficia,
& Ecclesias non admittuntur: quia præ-
sumptio est, ex patris sui incontinentiâ
ad imitandum inclinari juxta Prover-
bium Mali corvi, malum ovum. Der Ap-
fel fällt nicht weit vom Baum. E-con-
trà benè fieri, cum nobilium, & illu-
strum proles aliis præferuntur, pro-
pter contrariam scilicet præsumptio-
nem, paternæ virtutis æmulos esse. l.
quod si nolit. tit. de. edil. edi. Duen. in reg.
69. Tiracquell. de nobilit. c. 15. Quod tamen
cessare in multis, & nos cernimus, & ve-
terum acta testantur, ex illustribus sæ-
pè obscuros, ex claris fordidos prodire.
V. Valer. Max. l. 3. c. 5.

8. Illos qui malorum usu, & fa-
miliaritate delectantur, meritò ejus-
dem improbitatis suspectos fieri, vale-
reque præsumptionem contra illos
quasi in scelere deprehensos, juxta il-
lud Psal. 17. v. 26. Cum sancto san-
ctus eris, & cum perverso perverteris:

tit. de administr. tutor. l. Si plures. Ita annotavit Guido Papa in Tract. de præsumpt. pag. 2.

I V. Obiciunt 1. Semel contumax, adeoque malus, non præsumitur in futurum talis, sed iteratò citandus est. Nam teste Gaill. l. i. obs. 12. n. 4. bina citatio requiritur, ut contumaci silentium imponatur. Glo. in §. Si quis, non implere. Auth. de triente & semiss.

R. Si notoria esset culpa citati, non foret bina citatio necessaria: nunc autem quia contingere potest, ut legitima ex causa absit, non præsumitur de malitia ipsius & denuo citatur. Idem in aliis omnibus observandum est, nec quisquam de malitia condemnandus, nisi manifesta fuerit.

2. Obiciunt. Facta aliorum sic interpretanda sunt, ut poena evitetur. l. proximè. tit. de his, quæ in testam. delentur. Vnde si in contractu apposita poena est, pro una parte non censetur pro alia parte apposita, & utens re communi non præsumitur jus alterius lædere velle.

Idem ergo faciendum hic esset, nec in pejorem partem iudicium ferendum.

R. In rebus dubiis, & obscuris juvat in partem benigniorem incumbere. At quando notorium est delictum, nec illius correctio nota est iudici, meritò insistit conjecturæ in contrarium, & probationem exigit, quæ non est difficilis ei, qui ferò correxit errorem suum. Hoc enim aliis constabit, qui innocentia testes fient.

3. Obiciunt. Quæ facti sunt, non præsumuntur, l. in bello. tit. de captivis. Ac facti est, num aliquis bene, aut male vivat.

R. Non præsumuntur, quæ facti sunt, nisi quid præcedat, ex quo sumatur conjectura, & præsumptio. Idè nemo præsumitur malus, aut dolum fecisse, nisi probetur. l. Dolum. c. de dolo. l. ei qui. tit. de prob. At qui semel deliquit, sufficientem causam dedit non credendi, eum recessisse à malo, quamdiu non probaverit. Nam ex præterita vita in futurum præsumere licet. c. Scribam. c. fin. de præsumpt.

4. Ad probandam Simoniam, & hæresin admittuntur testes mali alioqui, & criminosi. c. in fidei de hæret. in 6. ubi Alex. IV. Concedimus, ut in negotio inquisitionis excommunicati, & participes, vel socii criminis ad testimonium admittantur, præsertim in probationum aliarum defectum contra hæreticos. Similia dicuntur. inc. Petrus 32. de Simonia.

R. Hæresis & Simonia peculiaris malitia & enormitas facit, ut extraordinario modo procedere liceat: neque omnes promiscuè criminosi in testes recipiuntur. Sed qui perspectis moribus & conversatione vera locuturi præsumuntur: idque non secundum rigorem, sed temperantiam æquitatis permittitur, ut ibid. Pontifex fatetur. Simonia in Enchiri. Iudicium c. 35. Consalv. de hæret. q. 13. Albertin. de asser. assertio. q. 34. Corrasius l. 5. Miscellan. c. 20. Idem in Magia crimine locam habet. Torreblanca l. 3. Demonolog. c. 17. Less. c. 30. dub. 5. n. 39.

5. Obiciunt, qui res pupilli male administravit, non removetur à tutela pupilli. l. 3. §. Nunc videndum tit. de suspect. tutor. Vnde colligimus, non haberi

haberi ratione prioris vitæ & malitiæ.

R. De tutore illo contraria præsumptio est propter juramentum, antequam constitueretur, præstitum: præterea morum quoque emendatio attenditur quæ si defuerit, à tutela statim removebitur. Fontè etiam industria hominis ad commendationem valet, quando ex multis non multi reperiuntur ad familiæ, & honorum conservationem valdè idonei.

6. Mala fides, quæ in progressu temporis incidit, non interruptit usucapionem: adeoque jus non præsumit illum in fine præscriptionis malæ fidei possessorem esse.

R. Qui bona fide incepit possidere rem alienam, legitimam titulum habet, & secundum hunc continuo quasi impetu totius temporis curriculum perficit. Ita *Conanus l. 3. c. 3.* & cum illo *Beckius*, qui juri civili insistent, à quo malæ fidei præscriptio toleratur. Sed Canones, & conscientia non permittunt præscriptionem cum mala fide continuari. Dicendum igitur mala fide interrupti usucapionem, adeoque objectionem non responsione sed expunctione dignam esse, *v. qua dix. in summ. Part. 2. tit. 4. §. 5. n. V.*

7. Obijciunt, c. *Cum in Ecclesiis de maior. & obed.* ubi inobedientes, & juramenti sui immemores Canonici, &

propterea excommunicati ab *Innoc. III.* jubentur denuò juramentum, de obediendo præstare, quasi nullum sit periculum posterius hoc, ut prius juramentum, violandi.

R. Prædictos Canonicos à Pontifice correptos in monasterium, quod reliquerant, remissos esse inque partem satisfactionis coactos novum juramentum superiori suo facere. Non creditur ergò Pontifex malos non esse, sed à malitia ad meliorem frugem, pristinam videlicet, regularis vitæ observantiam reducere laboravit.

8. Obijciunt Regulam *Semel malus*, & divinæ providentiæ, & misericordiæ injuria esse videtur. Cum enim Deus quotidie ad pœnitentiam vocet errantes, aliqui saltem respiciunt adeoque non sunt cum malis jam numerandi, quia semel exorbitarunt.

R. Esse conversum à via mala est facti, & si non semper, & omnibus ignotum, tamen in judicio forensi. Quamobrem nulla fit injuria divinæ sapientiæ, & clementiæ, si secundum ea, quæ nobis nota sint, de proximo nostro judicemus non damnando quidem, sed exigendo ejus, quod ignoramus, id est, innocentiam probationem juxta modum superius declaratum.

Azor 3. l. 3. c. 11. dub. 3. Laym. l. 3. tract. 3. Part. 2. c. 1. n. 3. & 8. Barb. in axiom. 142.

REGVLA IX.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine gestum non est.

1. **D**esumpta est ex c. *pen de sent. l. 1. si pupilli §. sed si ego. tit. de neg. & gest. excomm. in 6. & convenit cum*

l. si pupilli §. sed si ego. tit. de neg. & gest. & Reg. tit. semper qui non. & 60.

G 3

Ratum

Ratum habere est comprobare, quod à non verò procuratore nomine nostro actum est. *l. 12. tit. Rem ratam habere*, idque non verbis tantum, sed & facto explicari potest. *l. 5. tit. eo*. Si procurator constitutus caveat rem ratam habiturum dominum, satisfactio de rato, vel cautio appellatur. *l. 23. tit. de admin. tut. l. 22. §. si pater. tit. solu. matr.* Quod igitur nomine nostro actum non est, secundum hanc Regulam ratum habere non possumus, quoad hunc effectum, ut nostrum fiat. Exempla Dynus suggerit. 1. si quis absque tuo nomine eo tempore, quo mandare poterat, in clericum manus injicit, idque ratum habueris, excommunicationem latae sententiae incurris: si verò injectio tuo nomine non sit facta, tunc licet pecces, ratam habendo eam, non tamen propter hoc excommunicationis vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod eius nomine non est gestum, *c. Cum quis. de sent. excomm. in 6. Avila de censur. Part. 7. sect. 2. d. 6. Lugo de iust. d. 19. sect. 2. n. 33.*

2. Si negotium filii mei gessisti, contemplatione ipsius filii, licet habeam ratum, non propterea teneor tibi, nisi eo modo, quo tenerer, si ratum non haberem, id est, ad quantitatem peculii.
3. Inficio me, vel non mandante, aut consulente, occidisti hominem, vel contractum aliquem celebrasti tuo nomine, quamvis ratum habeam, non teneor, quia quod nomine meo gestum non est, non possum habere ratum ad effectum restitutionis, vel cujusque obligationis. *l. si servus tit. de precario. Medina de reb. restit. q. 7. Azor. 3. l. 4. c. 12.*
4. adde Canisii, qui, fingamus, inquit, Titium comparasse ædes à Sempronio,

aut alium contractum inivisse non aliam quam utriusque contrahentium contemplatione, seu nomine, profecto fieri non potest, ut ego ratum habendo factum Titii Sempronium habeam obligatum, propterea, quod contrahentes se invicem tantum obligare voluerint. At si mei contemplatione contractus initus fuerit, jam ratihabitione mea quodammodo meus contractus sit, eod quod Sempronius non Titium, sed me obligatum sibi voluerit, ex subsequenti ratihabitione mea.

Horum omnium ratio est, quia ratihabitio, ut effectum habeat, per fictionem translaticam, de qua *Barb. hic*, & nos in seq. Regula fufius, fieri debet; hæc autem duo extrema requirit, cum habilitate seu habituine unius ad alterum: quæ habitudo non habet fundamentum, quando alia contrahentis, seu agentis voluntas est, quam mea, cujus ratihabitio attenditur, *V. Comm. l. 6. q. 63.*

II. Amplia r. ut locum habeat etiam in rebus spiritualibus, & ad animæ salutem proficuis, vel etiam necessariis. Pro catechumeno aliquo petis baptismi receptionem solo arbitrato tuo, vel pro amico beneficium Ecclesiasticum, & impetras, quamvis uterque annuat, effectumque velit, fiet id quidem, sed non per ratihabitionem tui actus, sed per actum proprium desiderii, quo, te etiã nihil agente, tale bonum appetitur quod inde patet. Nam si patronus beneficii intelligeret, beneficium nullo mandato, aut iussu tuo petitum esse, nullatenus se fateretur obligatum tibi ad præstandum, quod promisit. Aliud exemplum suppeditat illud de Confessario dubium à multis propositum, sitne valida absolutio

futio à reservatis spe ratihabitionis ab Episcopo, vel Pontifice factæ: de quo respondet *Chapeville* *tr. de casuum reserv.* pag. 22. duplex ratihabitio est, una de futuro, altera de præsentibus; de futuro, ut si pastor non habens facultatem absolventi, creditamen, si ab Episcopo peteret, eum daturum esse. Hæc ratihabitio non sufficit juxta communem DD. sensum, quia absolutio non pendet ab aliquo futuro. De præsentibus ratihabitio est, si v. g. Episcopus modò vult, aut illi placet, quod N. confessarius absolvat à reservatis, licet illi nihil dixerit, sed ipse confessarius præsumit ejus voluntatem esse talem; eaque ratihabitio sufficit, ut communiter dici solet. Sunt tamen, qui de hac re non sine ratione dubitent. Ita *Chapeville*. Consulendus etiam *Regin.* l. i. num. 89. ubi aliud exemplum suggerit de Episcopo alieno, qui ordinare potest alterius Episcopi subditos, quando scit eum ratihabiturum. *c. Lugdunensis* 9. q. 2. Nam ut *Glossa ait*, nihil hic ad Sacramenti valorem necessarium deest, & sequens ratihabitio confirmat, quod primò fuit inutile. Amplia autem ut non tantum in contractibus, sed etiam delictis irrita sit, & effectu careat ratihabitio ejus quod nostro nomine non fit. Ex *Peckius* suggerit de Simoniacis. Titius pro beneficio Ecclesiastico pecuniam dedit, illud tu cum non voluisses ante, nunc ratum habes: reus peccati es, non idcò tamen obligatus, vel ad pecuniam præstendam, vel beneficium accipiendum. *Pan. in c. Sicut in fin. de Simonia*. Verù in hoc casu, si benè inspexeris, contractum emptionis invenies, quia Simoniacus pecuniam dat, ut accipiat beneficium qui contractus absque dubio Simoniacus est. *c. consulere* 38. de

Simon. Pro exèplo igitur ponamus, Cajum occidere fratrem meum feudi dominum, vel alterius magnæ possessionis, idq; ut mihi via pateat ad hæreditatem, non quæ ratum habeo, meq; alieni criminis participè facio, obligor adire hæreditatem, quod magis apparebit, si fingas fratrem meum vi, aut metu cogi ad renunciandam hæreditati, idq; à me approbetur. Quod pro *3. Peckius* adfert de procuratore falso, vel revocato, qui suo ingenuo egit quippiam in curia, nihil ad re facit. Cum enim ejusmodi acta non subsistant in jure, quod mirum est, non posse cum aliquo effectu ratificari.

III. Contra hæc obicitur 1. Si rem alienam Titius vel vendat, vel pignori det, potest ratum habere verus rei dominus, ut consequatur pretium, & conservet rem in alienis manibus constitutam. *l. fin. tit. de nego. gestis*.

R. Ex dictis n. i. patet, idè ratihabitionem irritam esse, quæ per fictionem translativam fieri debet, ad quam duorum terminorum relaxatio exigitur, qualis non reperitur ubique & semper. In casu autem, quem modò versamus, adfunt, cum supponamus, rem propriam domini alienatam esse. In ejusmodi casibus igitur ratihabitio locum habet, quod quæ per accidens contingit, non potest communi Regulæ obesse. Idem apparet in illis negotiis, quæ interdum filii, vel servi ignorante patre, vel domino agunt: quamvis etiam dici possit, non omninò fieri absque mandato patris, aut domini. Nam ut formale mandatum seu explicitum desit, cum utilitatis demonstratio se ingerit, de voluntate & consensu interpretativo præsumere licet. *V. Bern. Diaz. in Reg. 637.*

Obi-

Obicitur 2. Licet nomine proprio cum homine libero contraxeris, obligatus es domino, si contractum ratum habuerit. *l. Et qui. §. alioqui. C. Quod cum eo, qui in aliena potestate est.*

In citata lege insinuat, hominem illum liberum, cum quo fit contractus, generalem negotiorum omnium procuratorem esse. Vnde non mirum, si acta illius in bonum domini suscepta ratificentur, & obligationem pariant.

Obi. 3. Episcopus collationem à laico factam, ratam habere potest, Capitulum similiter ea, quæ Episcopus, & prælatus egit: Hæres & successor ea, quæ non suo, sed defuncti nomine acta sunt. Denique delatam filio bonorum possessionem pater habere ratam potest & similia.

R. Ad hæc & similia applicentur, quæ dixi in objectione primâ. Non obstare nimirum Regulæ nostræ, ratihabitionem, in qua reperitur connexio

inter rem, & actionem ejus, qui agit, & cujus commodo vel incommodo agit. Illa igitur, generatim loquendo, quæ nos contingunt, ac proficua sunt, ratificare possumus, & non raro debemus: In multis etiam præsumitur voluntas, & consensus interpretativus, qui sufficit, ut nostro nomine, etiam quod ignoramus, in particulari, factum esse præsumatur. *V. Less. c. 41. d. 7. Reginald. l. 23. c. 13. n. 187. Silv. V. Consensus. q. 5. dicto 2.*

NOTA, aliquid nomine nostro gestum esse colligitur 1. ex eo, si is, qui gessit ad nos pertinere, scivit, aut nostra interesse existimavit. 2. Si amicitiam intercedere docuit, unde colligatur mei potius, quam sui rationem habuisse. 3. Si protestetur, se meo nomine agere. Quid enim, ait *Paulus in l. Neseñnius. tit. de negot. gest.* Si etiam protestata est mater, si filium id eod. alere, ut aut ipsum, aut ejus tutores conveniret?

REGVLA X.

Ratihabitionem retrahit, & mandato non est dubium, comparari.

HÆc regula sumitur ex *c. pen. de sept. excommunicatio. in 6. c. fin. de iur. reur. eod. c. Si tibi. 17. de præbend. eod. Et convenit cum l. Hoc iure 195. tit. hoc titulo l. si fundus 16. §. 1. tit. de pignorib. l. ult. c. ad Macedon. cum citatis hic à Glossâ, & Damasus in Reg. 116.*

1. Fictio triplex est, Inductiva, Privativa & translativa. Inductiva, seu affirmativa, cum lex fingit esse vel exi-

stere aliquid, quod tale non est. *V. gr. Cajum in bello mortuum vivere per gloriam. l. bello amisti. tit. de excus. tut. Privativa, quando fingit ex adverso non esse, quod revera est. Exem. gr. monachum professum non vivere. c. placuit 16. q. 1.*

Translativa dicitur, quando lex actum certo tempore & modo factum, alio factum esse fingit, itaque ad aliud tempus,

tempus, vel formam transfert, quem admodum in præsentī Regulā comprobatio occisionis exem. gr. à me hodie facta fingitur extitisse die ab hinc decimo, quo perpetratum est homicidium. *Bart. in l. Si is, qui pro emptore. n. 25. tit. de usucap. Barb. in Reg. 9. Mandatum* hic non Grammaticā significatione, sed forensi accipiendum est, ut idem sit, quod committere aliquid suo nomine exequendum. Sic majori minor qui piam mandare potest, cui tamen nihil præcipere vel imperare auderet. Hinc *A. cursus Instit. de Mandato.* Mandatum definit esse officium gratuitum ab eo, qui suscepit exhibendum. *Hottomannus* verò, Contractum bonæ fidei, de eo, quod fieri sine ullâ mercede convenit, periculo mandatoris exequendo, inter quos jure civili licet, factum. Mandatarium idem vocamus illum, qui mandatum suscipit adimplendū. Quando igitur ratihabitionem mandato comparamus, non de præcepto aut jussione aliqua, sed tali contractu, vel commissione intelligi volumus; ut Regulæ hujusmodi sit expositio. Qui ratificat actum aliquem suo nomine exercitum, idem facit (quoad ea quæ ex tali opere sequuntur) ac si mandasset fieri eo tempore, quo factus est. Nam ad tempus illud ratihabitione revocatur. Et hoc maxime patet in contractibus, & delictis. Nam si quis meo nomine rem aliquam emerit, & per traditionem accepit, eamque emptionem ego ratificem postea, mihi dominium rei emptæ, & possessio acquiratur non secus, ac si mandassem initio. Item si meo nomine quis clericum percussit, mihi rati-

habenti excommunicatio contrahitur, uti contraherem, si ita ut percuteretur, antea mandassem. *c. Cum quis de sent. excom in 6. Regina. l. 23. c. 12. n. 187. Avila de Censur. part. 2. c. 1. dub. 9.* ubi quinque conditiones requiritur. 1. est, ut percussio meo nomine facta sit. 2. ut à me approbetur seu ratificetur. 3. idque verbis aut signo exteriori aliquo. 4. ut extrema sint habilia, id est, ratificans eo tempore, quo facta percussio est, potuerit eam mandare. 5. ut lex non requirat aliud, quàm solum delictum. Nam si præterea requirat machinationem præviam, ratihabitione delicti non sufficit ad pœnam contrahendam. *V. Comit. l. 6. q. 63. Nota,* aliam rationem irregularitatis esse, ut cum multis aliis *Barb. hic.* Neque enim contrahitur ab eo, qui ratam habet clerici percussio nem: quamvis oppositam aliqui probabiliter teneant. *V. Comit. l. 6. q. 63. Lugo de Instit. disp. 19. sect. 2. §. 1. n. 34.* qui etiam docet, ratihabitione facti non contrahi obligationem compensandi damnum illatum, quia ratihabitione illius non potest esse causa.

II. Quod dicitur, Ratihabitionem retrahi, & mandato comparari, cum ea moderatione intelligendum est, nisi status, & conditio rei mutata sit. Nam si quid intervenerit, quod utriusque extremi connexionem impediatur, nullus ratihabitionis effectus erit. Idem accidet, si præjudicium tertio metuatur: ut habetur in *c. si prote. & inc. quamvis de resc. in 6. Vivianus hic. Tiraquell. de primogen. q. 34. n. 19. Brunor. in locis commun. V. Ratificatio 2 Pinell. in Rubr. c. de rescinden. vendit. Barb. hic. Decius in*

H

Reg.

Reg I. C. 60. Adde, quod post alios Dynus indicat. n. 4. in illis delictis, quæ ab eo, qui ratificat, fieri non possunt, ratihabitionem maculare quidem animam peccato, sed alium civilem effectum producere non posse. Approbas à Cajo adulterium factum: malè, quia talis consensus à lege divina reprobatur: si verò quid inde Cajo nascitur mali, ad te, cujus nomine fieri non poterat, nihil attinet. Pari modo homicidium nomine pueri triennalis factum, ab eodem jam adulto irritè ratificatur, quia in pueritiâ suâ nec facere homicidium, nec ut fieret, mandare potuit. Toletus l. 1. c. 87. n. 5. *Felliz. ar. in Man. Regul. tract. 8. c. 6. n. 178.*

Præter hæc frustra concipitur ratihabitione, quando tempus, intra quod fieri oportebat, elapsum est. Nam quod amissum semel est, solâ ratihabitione restitui nequit. Denique si certam formam vel præformam ipsum mandatum in negotio gerendo lex requirat, ut in speciebus, c. Nonnulli. 28. de rescript. §. tutor autem. Instit. de auctor. tutorum. l. quid ergo 13. tit. de his, qui not. infamia. C. var. l. 3. Var. c. 16. Barbosa hic. num. 16. Teckius p. 148. Camillus pag. 522. Flamin. de resignat. l. 9. q. 8. Franc. Marcus. decis. 424. Navar. l. 3. de Regul. consil. 40.

III. Ratihabitione non semper verbis, & voce, sed factis etiam, & re ipsa fieri potest, idque pluribus modis. 1. prosecutione litis meo nomine inchoatæ. 2. solutione expensurum in lite, vel solutione census promissi, vel solutione fructuum rei. Tunc enim videor fateri, me rei ipsius dominum esse. 3. Vlu, retentione, & possessio-

ne. 4. Si exigas rationem administrationis. 5. Si agas ex contractu pro inito. 6. taciturnitate, ut si literis receptis de negotio ad te pertinente si leas, vel si major 25. annis factus toto quinquennio non contradicat dispositioni de se factæ. 7. Antiquitate temporis. Hinc enim præsumi potest mandatum intervenisse. 8. Actu fortiore, qui supervenit. Metu coactus promissisti aliquid postmodum liberâ, & spontaneâ mente confirmas, aut præstas; nunquid ratum habes? Denique si is, à cujus auctoritate contractus pendet, fide jubeat pro contractu, eundem sanè, nisi quid aliunde interveniat obstaculi, ratificare censetur. Nicolai in Regulis juris. V. ratificatio. Silv. V. Consensus. Decius in Reg I. C. 60. Gaill. l. 1. obs. 47.

Quod autem *Mynsingerus Centuriâ 4. observ. 79.* scribit ratihabitionem tacitam esse eorum, quæ cives, ac subditi committunt, si Magistratus non puniat, vel in exilium mittat delinquentes (sic enim, inquit, delicti participes fiunt) cum vulgo ratiocinatur, non distinguens inter conniventiam, & ratihabitionem propriè dictam: aliâ sententiam, quicunque non punit flagitia, approbaret, sequè illorum reum faceret, quod nemo prudens dixerit, ne contra sensum communem arietare videatur.

IV. Ratihabitione extendit se non tantum ad actum jam patratum, sed auctoritatem præbet futuro instar mandati, l. Si quis mihi bona. §. quid si mandavit. tit. de acquir. her. Ex usitatum est aliâs, ut actus factus ad conservandum aliquid, inducat voluntatem acquiren-

di de novo. Hæc igitur prima ampliatio sit.

2. Extenditur ad ea quoque, quæ per falsum procuratorem gesta sunt. Quamvis enim lex dicat ejusmodi conatus nullos esse, non tamen negat ratificationi locum esse, quamvis non paucid assentant. *V. Gaill. l. 1. obs. 47.*

3. Extenditur ad ea, quæ aliàs speciale mandatum exigunt, inter quæ est homicidium, quod ratificanti quoad omnem consecutionem imputatur. *cap. 1. de homic. in 6.*

4. Extenditur ad illa quoque, in quibus videtur acquisitum jus aliis, v. g. Ordinarius Cajo absenti beneficium confert, quod antequam ratificet Cajo, confert Sempronio, & possessionem tradit: nihilominus si Cajo ratum habuerit, etiam, re non integrâ præferetur, & habebit beneficium. *c. Si tibi absenti, de præben.*

5. Ratihabitio ut à præsentē, sic ab absente fieri potest, *l. fin. C. ad sen. Co. Maced.* Nec interest, num inter vivos adhuc reperitur is, qui actum exercuit. *Saldus ad l. falsus col. 6. C. de furt.*

6. Cùm ratihabitio fit de proprietate ipsius rei, fructus quoque continentur, adeoque fructus etiam pro tempore obligati censentur. *Ang. in l. si fundus. de pign. & hypo.*

7. De hærede ambigitur, possitne rata habere, quæ non suo, sed defuncti nomine gesta sunt? Videtur affirmandum, cum succedat in omnia jura defuncti. *V. Alex. Consil. 46. & 92. lib. 6.*

V. Dubium est, an ratihabitio, sicuti ad tempus, ita ad locum quoque actus à principio gesti retrahatur? Nec desunt in utramque partem ratio-

nes, apud *Peckium, Barbosam*, & quos ipsi allegant. Affirmativa opinio mihi præferenda videtur. Nam paria sunt, ab initio esse tale, & redire ad tale: sed si ab initio negotium esset nostrum, ipso facto sine ratihabitione, oriretur actio in tali loco ex negotio gesto. Quo etiam nunc cum nostrum esse incipit per ratihabitionem. Vnde sequitur, eum, qui ratum habet contractum, vel delictum aliquod, non in loco ratihabitionis, sed actus gesti forum sortiri. *v. gr. Stichus pro te emit domum, vel officinam Norimbergæ, l. re motâ non Bambergæ, sed Norimbergæ causam dices, qui ratum habuisti contractum ibi confectum. V. Peckium hic fol. 139. & Barbof pag. 340. n. 10.*

Obj. 1. Tutoris ratihabitio in iis, quæ per pupillû gesta sunt, nihil operatur, quamvis alioqui maxima ipsius auctoritas sit in omnibus ad pupillû spectantibus negotiis. *l. obligat. tit. de auct. tutor.*

R. Auctoritas tutoris ad ipsos actus pupilli necessaria est, quasi illorum forma, quæ si desit, omnia pupilli acta irrita censentur: quid igitur mirum, si in illis ratificandis nihil operetur voluntas tutoris?

Obj. 2. Impetratio rescripti per falsum procuratorem non admittit ratihabitionem, quamvis ad illam sufficere possit mandatum. *c. Nonnulli. c. ex parte de rescr.*

R. Lex ejusmodi ratihabitionem damnat bono publico, ne fraudibus intendat malorum hominum cupiditas, & pro forma ipsius postulationis requirit domini mandatum, quo deficiente irritus conatus est. Pari modo ad similes objectiones respondendum est.

H 2 Obj. 3. Si

Obj. 3. Si in vasor aut prado prædium meum urbanum locaverit Titio, quamvis ratam habuero locationem, nulla mihi locatio conceditur adversus Titium conductorem *l. si Urbana. tit. de cond. indeb.* quomodo igitur ratihabitio mandato comparatur quoad effectum?

R. Suppono, Titium bonâ fide, & ignoranter contractum iniisse cum injusto possessore, quo stante ad solutionem tenetur prædioni, adeoque vicissim inter illos actio locum habet: hoc verò non obstat, quò minus vero domino jus suum maneat, qui contra locantem, pro injuriâ illatâ, & mercede per Titium solutâ in judicio experiri potest. *V. Gottefr. in l. cit.*

Obj. 4. Fictio naturam imitatur. *§. adoptio. Inst. de adopt.* nec plus illi, quàm veritati tribuendum. *l. filio quem. tit. de lib. & posth.* Non ergò poterit fieri in ratihabitione, quod impossibile est. Contingit autem, ut ratum habens

vel longissimè absit, vel ignoret, quid agatur, vel denique furiosus sit, ita ut non possit mandare.

R. Fictio quæ in ratihabitione adhibetur, non respicit impossibile quid, neque rem, & actionem ipsam, prout est, vel existere posset, sed per aliquam interpretationem ex affectu ratihabentis sumit & admittit hic & nunc agi ea, quæ si verè à parte rei agerentur, talem effectum haberent. Memineris, hæc moralia esse, non physica aut mathematica, ac proinde ab illis desumptæ consecutiones nihil operantur. *V. Decium in Reg. tit. Omnia ferè 153. Everhard. in Fopius. Avi fictionis. Pichard. in princip. Instit. quib. mod. testam. infirm. num. 5. Gonsal. de Reg. 8. Cancell. Gloss. 51. nu. 28. Rot. Decis. 104. n. 3. & Decis. 266. num. 8. Decian. l. 1. resp. 11. n. 150. Jean. Mar. Novar. Question. forens. l. 1. quest. 143. n. 27. Franc. Mol. de ritu Nuptiar. l. 1. Compar. 26. Barbof in axiom. 97. Bronchorst. Cent. 2. off. 48.*

REGVLA XI.

Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est, potius quàm actori.

Sumpta est ex *l. favorabiliores. 127. tit. de reg. iur. c. Inter dilectos. de fide instrum. & c. Cum ad sedem. de restit. spoliat. & c. Ex literis. de probationibus.* His positis:

I. Notandum est, quia iudicium forense ex tribus personis constituitur, Iudice, nimirum, Actore, & Reo, par-

tes vocari eos, qui litigant, Actorem, & Reum, vel quæ constituunt iudicium normam, accusando, & defendendo, vel quia ita divisi, ac separati sint per diversitatem intentionis, & oppositionis, ut una pars, alteri consociari nequeat, quamdiu flagrat iudicandi contentio: ob quam causam stare seorsim à est

esse disjuncti ad tribunal solent, ut qui
diversæ partis, seu factionis sint; Vel
denique quæ partes sunt jure agendi.
Tamenim agendi, quàm refellendi ex
æquo concessa licentia est. Deinde *Obs-
curum* claro opponitur. Hinc clari
Oratores, & philosophi dicuntur, quo-
rum gesta, & monumenta in oculis sunt,
obscuri, quos pauci norunt. Clarus
dies, quem Solis fulgor illuminat, ob-
scurus, quem caligo obnubilat. Scien-
tia item clara, & evidens ab opinione,
fide, & suspitione distinguitur, quòd
in his obscuritas locum habeat. Iura
igitur, probationes, documenta, & in-
strumenta tunc obscura dicuntur, quan-
do Iudicis animum suspendunt, & deti-
nēt, ut clarè non videat, ubi Veritas, &
Iustitia lateat. Quemadmodū dum via-
tor si bivium, vel trivium occurrat, an-
ceps hæret, nec quæ sit eundem, distin-
de novit. Iura obscura ergò dubiæ
probationes dicuntur, de quarum æsti-
matione, & pretio non liquit, quem-
admodum *dubiam cœnam* Veteres ap-
pellarunt, quæ ciborum copia, & va-
rietate distraheret convivas, ut quid
portissimum ex omnibus carpendum es-
set, ignorarent. *Alexand. Consil. II. l. 2.*
Dicitur in Reg. Semper in obscuris 9.

III. Reo favere, non est vago & in-
ordinato affectu illius causam tueri,
quasi gratia indebita prævalere æquita-
ti debeat: sed quod ipsi utile, & secun-
dum rationem conveniens est, amore
justi tribuere; non contra, sed potius in
commodum ipsius, quando res dubia
est, præsumendū. Tam diu enim habe-
ri bonus & innocens debet, donec con-
trarium probetur: idq; tam in civili-

bus, quàm criminalibus causis. *V. Ever-
Bronhorst Centur. 4. assert. 98.* Igitur
quando in iudicio accidit, ut neque hu-
jus partis, neque illius allegata præpon-
derent, sed quæsi in medio litem desti-
tuant, absolvendum potius reum, quàm
condemnandum regula nostra præci-
pit. *Ratio* ex cit. legibus desumitur.
Melius namque est, nocentem absolve-
re, quàm innocentem damnare. *l. ab-
sentem. tit. de penis.* & minus periculo-
sum censetur errare per excessum in be-
nignitate, quàm sævitiam in asperitate.
Misericordiam volo, & non sacrifici-
um, ait Dominus. *c. Ponderet. dist. 50.*
Adde, quod reus inopinatè ad iudicium
trahitur ab adversario benè præmedita-
to, & instructo, ut merito ignoscen-
dum illi, si causam suam minori cum
industria & contentione propugnet.
Dynus. & Vivianus in Comm. Reg. huius.
Damasus in Reg. 39. Scribanus in Polit.
Christiano. c. 9. His superaddit. Aliam
causam *Caramuel in Theol. fundam. n. 60.*
quòd præsumendum sit pro possessio-
ne, in qua reus, ad iudicium protractus
persistit.

III. Amplia 1. ut valeat etiam in
reos, qui per accidens Actores est, ut, si
petat adversario imponi silentium,
qui jactat se creditorem esse. *l. diffam-
mari. C. de ingenuis manumissis.* 2. etiam si
reus nullum jus habeat, & solo posses-
sionis nomine munitus sit. Nam aliàs
etiam in pari causâ turpitudinis potior
est conditio possidentis: 3. quamvis
in se recepisset onus probandi, & minus
benè exequeretur: 4. Licet boni no-
minis præjudicio ab Actore superetur.
5. etiam si causa fisci esset. 6. non ob-
stante,

H 3, stante,

stante, quod Actor prætendat, se in possessione juris esse, de quo agitur. 7. Denique quamvis pro Actore testes essent clariores. Nam si crimen probatum sit per duos clericos, & pro reo stent duo laici, in favorem ipsius prævalebunt clericis laici. *c. clerici. dist. 8.* ad eod curæ fuit majoribus nostris fovere innocentiam quamvis dubiam, & incertam, ut ab omni periculo iniquitatis, & erroris, quam fieri potest, in judicando sumus remotissimi. *Barbos. axioma. 204.*

IV. Sunt tamen causæ quædam, in quibus contraria Iuris dispositio Actori magis quam reo favet. 1. est Matrimonii, *Reg. Nuptias 30. tit.* 2. Libertatis, *Reg. Quoties 20. tit.* 3. Dotis, *Reg. In ambigus. 85. tit.* 4. Testamenti, *Reg. In testamentis. 12. tit. 6. Si quis 33. c. fin. de sent. & re iudicatâ. ubi Gregor. IX.* Duobus iudicibus diversas sententias proferentibus, si ex jurisdictione ordinariâ processerunt, tenet pro reo, non pro actore sententia, nisi in causâ favorabili, puta, Matrimonio, libertate, dote, vel testamento pro ipso fuerit promulgata. Eodem pertinet causa alimentorum, pro quibus in dubio semper judicandum est. Imò *Tiraquell. ad quam c. piam causam extendit. V. Barbos. in cit.*

Obj. 1. Iudicium in favorem Actoris introductum est, ut quod suum est, repetat, & consequatur: ac proinde

quemadmodum actor favorabile principium habet, *l. de die rit. Qui satis cog. ita etiam media & finis eidem favere debent. l. Pomponius. tit. de acquir. possess.*

R. Iudicium pro utroque instituitur Actore scilicet & reo, sed quæ actor non præsumitur velle malignari, aut calumniam intentare, benignè auditur: At postquam ex allegatis, & adversarii refutatione causa est ad æquilibrium protracta, ut hæreat in pronunciandâ sententiâ Iudex, non actori, sed reo favendum, quia hæc via securior est. *V. Gall. l. 1. obs. 22. n. 4.*

Obj. 2. In causis criminalibus licet crimen non sit probatum, reo tamen purgandi sui causâ juramentum offertur. Nullus hic favor apparet. *l. presentis. c. de his. qui ad Ecclesiam fugerunt*

R. Reo nunquam offertur juramentum, quando paritas est inter illum, & Actorem, quod Regula nostra vult, sed quando præsumptione aliqua gravatur; vel animæ periculum imminet. *V. Sanch. l. 7. de matrim. d. 131. n. ult.*

Pro aliis Objectionibus non est necessaria solutio alia, quam ut attendes benè, num jura utimque pariter obscura sint. Sublatâ enim paritate, illi, qua præponderat, prærogativa debetur.

REGVLA XII.

In iudiciis non est acceptio personarum habenda.

Svmitur ex c. 18. Prov. Salom. v. 5. c. Novit. 13. de iudic. c. Statutum. xi. §. Insuper. cum §. seq. de rescript. l. 6. c. 1. de sent. & reudicata eod.

I. Plerique Iuris Interpretēs, Peckio teste, Acceptiōem personarum vocant iniustitiam, per quam persona personæ præfertur in tribuendo, seu conferendo ei aliquid, quod ex debito iustitiæ alteri, vel magis idōeo tribuendū aut conferendū erat. Melius, & p̄ciūs Theologi sic definiunt. *Acceptio personarum est vitium, quod id, quod ex debito iustitiæ est uni persona conferendum, exhibetur alteri non propter meritum eius ad ipsam rem, qua confertur, sed propter conditionem ipsius non congruentem ad ipsam rem.* puta, si quis conferat Episcopatum alicui, quia est affinis, quod nihil facit ad esse dignum Episcopatu: si autem hoc fiat, quia est adtus, non est acceptio personarum. Unde ad hoc vitium duo requiruntur. 1. ut quod confertur, ex iustitia debitum sit. 2. ut ratio, seu causa dandi sit impertinens. *Silv. ex s. Thom. 2. 2. q. 63. & Alesi tract. de eod.*

Iudiciorum nomine intelliguntur non tantum, quæ inter Actorem, & reum agitantur, sed illa omnia, in quibus ad merita, dispositionem, & qualitates personarum attendendam est, ut si beneficia Ecclesiastica, officia reip. gradus literarii conferendi sint.

Alioqui in gratuitis nihil vetat eligere personas pro libitu, & dare uni potius quàm alteri, juxta beneplacitum. Murmurantibus dicitur, *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. c. 20. vers. 15.*

II. Amplia. i. ut locum habeat in arbitriis, quæ iudiciis annumerantur. *l. si de meis. tit. de arb.* Idem enim optantur, & rogantur arbitri, ut bona fide æstiment, & determinent ea, de quibus alioqui multis litigandum esset. *l. Stichus 12. tit. delegat.*

2. In foro interno, ubi absolvendus, vel ligandus est pœnitens. Sacerdos enim non personæ statum, & qualitatem, sed culpæ attendere debet, ut congruam satisfactionem iniungat: de quo *V. Conc. Tr. sess. 14 c. 8.* Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum (non personarum) & pœnitentium facultate salutare, & convenientes satisfactiones injungere: ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur. *Notens hac Confessarii, de laxâ manicâ.*

3. Idem executoribus servandum est, ut non minuant, vel augeant statutam pœnam, aut supplicium odio,

odio, vel amore personarum. Hoc enim non est Iudicis sententiam exequi, sed suam, quam corruptus passione animus suggerit. *c. Officia, c. non frustra. 23. q. 5.*

Hinc merito *Dambouderus in praxi crim. c. 153.* monet Magistratum, ut cum iudicio deligant carnifices, qui liberi sint à communibus alioqui vitiis crudelitate, vindicta, maledicentia, & similibus. Nam ab homicidio, & iniquitate tum iudicem, tum executores, excusare debent tria hæc, causa iusta, ordo juris, & animus iustus. *Deuter. 21. Num. 35. Caiet. in V. Iudex.*

III. Obj. Iudex sine culpa minoribus favet, maioribus non favet, etiã in pari causa, vel contractu. Nam læsum in contractu minorem restituit, majore non restituit. 2 In pari delicto alia pœna servus plectitur, alia ingenuus. *l. divus. tit. de off. præ. 3. in c. clerico dist. 50. c. 3 de off. legati.* Pontifex justam pœnam remittit delinquenti propter affectionem suam.

R. Ad hæc, & similia, quæ magno numero opponuntur, communis explicatio est, quod respectus non fit ad personam ut licet, sed qualitatem aliquam personæ congenitam, vel propriam. Parcitur v. g. pupillo, & minori, non

parcitur majori in eodem delicto, quia propter imbecillitatē ætatis, & discretionis minus censetur culpabilis juvenis, quam senex. Durius plectitur servus, quam ingenuus, quia præsumitur ex conditione servi, quod magis ex malitia delinquat, quam ingenuus, qui ad omnem honestatem à puero institutus est. Ac proinde modus isto indulgentiæ ipsæ etiam legibus permittitur. *l. 3. C. de integ. rest. 101. tit. 11. de minorib.*

Quod verò ad remissionem, seu condonationem pœnæ spectat ex 3. Parte *Summa nostra tit. 3. §. 1.* constat, supremo Principi licere, vel partem supplicii, vel totum condonare. Nihil igitur contra justitiam Pontifex egit, cum in in citatis capitibus animi sui benignitate pœnam aliã debitam remisit. Ipsi enim jus totum subjectum est, ut dispensare in illo largissimè possit, nullo casu exempto, modo rationabilis causa non desit, quemadmodum *Sylv. & alii Canonici Iuris interpretes* fatentur. *V. qua. dixi in Summ. Part. 1 tit. 14. §. 2. Soto l. 3 de iustit. q. ult. ar. 5. Valentia in 2. 2. dist. 5. q. 7. pun. 4. Franc. Leo in Thesaur. Ecclæs. Part. 1. c. 1 & 15.*

REGULA XIII.

Ignorantia facti, non iuris excusat.

Hujus regulæ exempla extant in *c. unico. de ordinatis ab Episcopo. c. 2. de cognat. spirit. c. pen. de clerico ex. comm.*

c. Si beneficia. c. Eum. qui de præbend. l. 6. Denique l. 1 tit. de iuris & facti ignor. l. Ignorantia est privatio scientiæ

seu cognitionis, quam quis acquirere paruit. Ab errore (cum quo I. C. male confundunt) differt, quod hic in iudicio quodam positivo consistit, cum ignorantia negatione contenta sit. Alia est facti seu proprii, seu alieni, cum ignoras, quid alii de te concluderint, vel quid tu ipse ante 30. annos volueris. Iuris vel communis, vel particularis, divini, vel humani esse potest. Tam facti, quam Iuris duplex est, alia simplex, inculpabilis, & invincibilis, alia crassa, supina, vincibilis, malæ fidei, latæ culpæ, de quâ *Psal. 35. v. 4.* Noluit intelligere, ut benè ageret. De hac ignorantia non est hic sermo. Quomodo enim excusabit ignorantes, cum reos culpæ faciat?

II. Igitur sensus Regulæ est. Qui ignorantia alieni facti absque suâ culpâ laborat, excusationem meretur, quia facta aliena certo numero non continentur, sed infinita sunt, quæ proinde diligentissimam quemque & scientissimum fugere possunt. *Comitol. l. 5. q. 1. n. 8.* Proprii autem facti ignorantia, regulariter neminem excusat: quemadmodum nec ignorantia juris: ejus saltem, quod publicè propositum, & à plerisque cognitum est, unde illa Iuris Civilis Regula, *Quod quis ex culpa suâ damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. V. Decium.*

Excipe 1. Cum de damno vitando agitur. 2. Cives nupèr adscriptos. 3. Agricolas. 4. Mulieres. 5. Milites. 6. Omnes spiritu pauperes, quibus talentum ingenii inconcessum. *l. 2. de iure fisci. l. Quamvis. c. de iu. & fa. ignor.* Ipsa etiam notitia legum, & statuto-

rum magis, & minus recipit. *V. Barb. hic. Card. Tufibum. V. Ignorantia. Menoch. de arb. l. 2. Centur. 2. casu 186. & præ omnibus Fachinaum l. 8. Controvers. c. 107. ubi, an, & quomodo ignorantia Iuris lata culpâ sit, octo conclusionibus explicat.*

III. Ampliandam Regulam censet *Peckius*, ut valeat etiam in foro conscientie, eò quod ignorantia juris præsertim divini non excusat in iudiciis animæ *c. si cupis. 16. q. 1.* Mox remittit Lectorem ad *Silvestri Summan V. Ignorantia. n. 7.* Verùm in citato *cap. Si cupis.* ignorantia non fit mentio. & *Silvester* cum Theologis diversam à Iurisperitorum opinionem profitetur, videlicet omnem ignorantiam quæ involuntaria, & invincibilis est, à peccato excusare. Quod verò ad pœnam juris attinet, de qua *n. 7.* agit, eam excusare solum, quæ non habet annexam negligentiam. Nihil igitur commune habent Theologi cum Iurisperitis, quæ in foro conscientie non est, ut in Civili, locus præsumptioni.

Quod verò subdit *Peckius*, etiam præsumi dolum in eo, qui jus ignorat, non quidem simpliciter, sed quando jus resistit actui, admitti potest, maxime si de jure Civili notorio, & indubitato loquatur. *V. Gail. l. 2. obs. 48.* Omnibus igitur consideratis non video modum ampliandi nostram Regulam nisi à parte objecti de omni jure naturali, divino, sacro, & profano loquatur, à parte personarum verò omnes complectatur, qui justam ignorantie causam non habent, ut *n. 11.* diximus. *V. Cotomius in Sum. Diana. V. Ignorantia.*

I V. Obj. 1. In imperio legibus subiecto plures vivunt imperiti juris, quam periti, cum impossibile sit aliter occupatis tot millia legum addiscere, & nosse. Quod si ideo puniendi sunt, injuriam patientur.

R. In illis, quorum res ad tribunal agitur, juris notitia præsumitur, non quod revera sit, sed quia esse debet saltem in illis, per quos agunt. Propterea unicuique Advocatus permittitur, cujus operâ, utatur in accusando, vel defendendo. Adde, quod qui notoriè rudes sunt, hac Regula non comprehenduntur juxta num. 11. V. *Caramuel Theol. fundam. n. 684.*

Obj. 2. Restitutio in integrum læsis indulta juris est; læso nihilominus, & hæredi ipsius etiam post annos centum petere licet, non obstante ignorantia juris. *Bald. in l. falsam. C. si ex falsâ causâ.*

R. In hac re, cum post tam longi temporis cessationem admittitur petitio restitutionis, non habetur juris ignorantia ratio, an obesse debeat ignorantibus, sed læsionis, quam quia intermedio tempore questi non sunt, præsumitur, eos involuntariè ignoraf-

se, cum nemo tam incurius sit, ut damnum passus injustè, non quærat auxilium, nec impleret officium judicis.

Obj. 3. *Ulpianus* vult veniam dari illis, qui juris ignorantia inducti falsum aliquid, & sibi noxium confessi sunt. *l. ult. tit. de interrogationib.*

R. In *l. citatâ* à Procuratore Cæsaris interrogatus quidam, hæredem se dixit esse, cum non esset: hunc propterea conveniri non posse decernitur. Ratio ex prædictis patet, quia esse, vel non esse hæredem facti est, non juris. Regula autem manifestè pronunciat facti ignorantiam excusare. V. S. *August. l. de duab. anim. c. 10. Socinum reg. 219. Menoch. de præsumpt. l. 6. præsumpt. 23. Farinac. in frag. criminalib. Part. 2. tit. 1. n. 207. Damasum in reg. 1. Barbof. inc. ab excommunicato. de rescriptis. Nav. Man. c. 23. n. 45. Tholosan. l. 30. Syntag. c. 10. Sayru l. 2. c. 2. S. Thom. 1. 2. q. 76. art. 3. Laym. l. 1. tract. 2. c. 4. num. 1. & seqq. Bonav. in 2. d. 22. art. 2. Castro l. 2. de lege pœnali. c. 14. Guido Papa. decis. 34. num. 2. Zerola Part. 1. V. Ignorans, seu Idiota. num. 2. Filliac. Tract. 12. cap. 3. num. 80. Duem. in reg. 129. Barth. Scio. num. in reg. 219. & 220.*

REGVLA XIV.

Cum quis in ius succedit alterius, iustam ignorantia causam censetur habere.

I. **H**ic Regulæ similis habetur *42. tit. de reg. iur. Qui in alterius locum succedunt, iustam habent causam ignorantia, an id, quod peteretur, deberetur. Fidei jussores quoq; non minùs, quam hæ-*

hæredes iustam ignorantiam possunt allegare. Vnde liquidò apparet, sermone esse de ignorantia facti, quæ probabilis, & iusta reputatur, ut in superiori Reg. diximus. Sed annotandum, quòd duplex successio est aliarum personarum, alia rerum. Personarum est, cum priore gradu vacuo, is qui inferiorem tenebat, ejus in locum ascendit. Successio rerum, cum non persona personæ, sed rebus succedit; eaque duplex. Vel enim in jus universum succeditur, ut hæredes faciunt, vel in res singulares, ut legatarii. *l. 1. tit. quor. legat. §. illud teneandum. l. 7. & 8. tit. de iureiur. l. ult. tit. de exceptione rei vendita.* Successoris hoc loco nomen latissimè accipiendum est, cum nihil obstat.

II. Verba illa *consuetur habere* indicant præsumptionem, quæ pro veritate, cum aliud non suppetit, utimur, & plurimum prodest hæredi, & successori, quia non tenetur probare quicquam habens pro se juris præsumptionem. Præterea ignorare creditur non solum ea, quæ defunctus egit, sed in dubio illa etiam, quæ in ipsius instrumento continentur. *l. non est. tit. de transactionib. l. Verius. tit. de probat.* Sic Regula 1. ampliatur. 2. præsumitur etiam

ignorare tam ea, quæ nocent, quàm quæ profunt: ob eamque rem à Iudice non desertur juramentum hæredi in supplementum probationis, ne videatur compelli ad ea, quæ ignorat. *Bald. in l. Bonæ fidei. col. ult. c. de iureiur.* Imò regulare est, quòd de alieno factò nec hæres, nec alius quisquam jurare cogitur. *l. Fi leamus. tit. de in litem iurando.*

III. Obj. 1. quod *Iustinianus Imp. l. ult. c. de præscript. longi temporis* nullam scientiæ, & ignorantia rationem vult haberi, ne inextricabilis oriatur occasio novæ dubitationis.

R. Post completam longi temporis præscriptionem non admittitur ulla oppositio propter causam insinuatam, ne litem lis pariat, & nunquam sit finis dubitandi. Successor itaq; ab ignorantia suâ nihil subsidii habet in tali evêtu,

Obj. 2. Successor in culpâ est, si ignorat statum defuncti: cum inquirere possit. Ex eâ culpâ non debet lucrum capere. R. aliqui putant ignorantiam prodesse illi solum, cum in iudicio convenitur, non autem, cum actoris vices gerit: alii, non profuturam ignorantia, si ipsius negligentia manifesta sit: communiter autem præsumi contrarium. *V. Card. Tusc. lit. 1. concl. 22. Barb. in axiom. 113*

REGVLA XV.

Odia restringi, favores convenit ampliari.

I. Hæc Regula omnium gratissima sumitur ex *l. Cum quidam. tit. de liberis & posth. c. Renovantes dist. 22.*

Exemplo apud *Glossam* multa invenies, de quibus infra. Nunc animadvertendum in primis est, quid *Odia*, quid

I 2

favores

favores appellemus. Pro rebus ipsis seu objecto potius, quam animi affectu sumi, monet *Barbosa*, ita, ut odium dicatur, quicquid pœnam, damnum, vel aliam molestiam adfert: favor è contrario: quod utile, commodum, aut jucundum. Favor exem. gr. est privilegium, & beneficium à Principe concessum: odium sententia proscriptio- nis, amissionis honorum, prohibitio vel restrictio. In his restrictio- nem, in illis ampliacionem præscribit Regula, intellige, quando non liquet, sed dubium est. *Rationem* dant, quia ad liberationem, quam condemnatio- nem proniores esse expedit. *l. Arrianus. tit. de oblig. & act. & præstat com restrictio- ne odiosæ constitutionis no- centem dimittere, quam cum ampliacione ejusdem innocenter damnare. l. absentem. tit. de pœnis.* Magna utique cautione opus est, ubi de capite, & bonis civium agitur, cum hæc semel amissa recuperari non possint.

II. Ad dignoscendum, quænam odiosa sint, & quæ favorabilia non sufficit in rescripto, vel Constitutione contineri aliquid minus, vel magis gratum, cum nihil omnibus æquè conveniat, & quod uni bonum, alteri malum sit, sed ad principalem scopum, ac finem auctoris respiciendum est. Clerici exem. gr. liberi sunt ab oneribus civilibus, ipsis beneficium & favor est, civibus verò odiosum, non ob id tamen odium, sed favor censetur, quia concedentis intentio principalis fuit clericos honorare, & anteferre laicis. *V. Sanch. l. 1. de sponsal. d. 1. n. 4.* Ad particularia veniendo restringenda sunt r.

quæ æquitati, bonis moribus, legibus, & honestati videntur contraria. *Anchor. Confil. 356. Suar. de leg. l. 8. c. 27. num. 5. 2. dispensationis.* Exemplum *Glesse* suggerit. Anglis ad fidem recens conversis indultum est, ut possent contrahere matrimonium cum suis affinibus, & consanguineis, c. *quadam lex. §. quod scripsi. 35. q. 3.* quidam alius populus etiam conversus est, idem privilegium non convenit illi. Similiter Anglis in fide confirmatis non licuit amplius uti, quia causa, propter quam, desit. Aliud exemplum est de decimis ante Concil. Lateran. concessis laico, quod ad novæ sita non debet extendi, 3. restringenda sunt decreta pœnalia. Exempla sunt passim obvia. Clericorum pœnæ non concernunt Episcopis; contrahentium malè matrimonia non extenduntur ad sponsalia. Regulam generalem *Silv. insinuat V. Pœna n. 4.* Quando duo in jure omnino paria sunt, & est eadè ratio expressa, vel indubitata præsumpta; tunc statutu in uno extenditur ad aliud. Similiter licet ratio sit eadem, tamen non extenditur pœna, sed sola prohibitio. *V. Suar. de leg. l. 5. c. 2. & l. 6. c. 2. 3. & 4. Salsas eod. tr. 1. §. sect. 2. Diana Part. 2. tr. 17. Resol. 66. Less. l. 4. c. 5. n. 35.* ubi notatu dignam sententiam profert. Cum pœna sit malum, & præter Dei intentionem, decet eam minui, quantum ratio boni permittit, 4. restringenda sunt privilegia, quæ præjudicium tertio adferunt. *Hippol. singul. 453.* Nunquam enim eo sine conceduntur, ut noceant aliis. Vnde *Gail. l. 1. obs. 33. n. 6.* Æquitati conformanda sunt rescripta, & reducenda ad jus commune, etiam si natura

tura verborum resistere videatur. *c. Causam qua de reser. Gloss. in c. paratus 13. q. 1. Quamvis. tit. de in ius votando. v. qua diximus supra ad Reg. 7.*

II. Adversum hæc *Everardus* in loco de ratione legis largâ, quatuordecim limitationes, *Francus* verò in *c. 1. de temp. ordin. l. 6.* uti *Peckius* allegat viginti & unam limitationes numerat, quarum potissimas dabo. Prima est, si non factâ extensione odiosæ legis, aut statuti, tota ipsius vis impediretur, & nullum effectum haberet. *c. quamquam. de usur. in 6.* Nam si testamenti prohibitio ibi facta non extendatur ad codicillos, nihil egisse legislator videbitur, idem per codicillum disponente usurario, quod faceret testamento. Secunda, quando lex odiosa favore Ecclesiæ, resp. vel animæ principaliter sancita est. *Gloss. in c. Sciant cuncti. de elect. in 6. ad v. alios.* ubi excommunicatio in persecutores locorum, & personarum sacrarum lata eos quoque, qui non nominantur, concernit, puta Ecclesiarum patronos, qui Ecclesiastici sunt. Nisi malis dicere, idè extendi, quia Ecclesiarum, & clericorum immunitati fieret. Tertia, quando apposita est clausula, à similibus ad similia progressum licere. Tunc enim rationis identitas locum habet, & derogatur Regulæ, quàm modò versamus. Quarta. Idem & multò magis dicendum, si quæ constitutio expressè declaret contrarium: vel annexa, & connexa ita se habeant, ut absque incommodo extensionem admittant. Denique intentio legislatoris, causæ, & circumstantiæ benè ponderatæ docebunt, ubi & quando

non restringenda, sed laxanda sint, quæ odiosa videntur. *Barbos. in Comm. & axiom. 166. Farinac. in Part. 7. lit. E. n. 100. & seqq.*

IV. Quod favores attinet, suppositis, quæ *Part. 1. Suam. tit. 15. §. 13. de privil. diximus*, ampliare convenit, 1. quando forma concessionis, attendendo verba, & mentem concedentis, id exigere videtur. *Suar. de leg. l. 8. c. 10. n. 5.* 2. Quando materia pia est, puta, Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & similes. *Everhardus in loco à Minoribus ad Ecclesiam.* 3. quando tangunt jura eorum, qui concesserunt. *Barb. in c. extuarum. de auct. & usu pallii.* Nam qui sic liberalis est, juri suo facile cessurus videtur. 4. quando agitur de redeundo ad jus commune. *Barb. in c. Statutum. de praben. in 6. cum aliis. à se citatis. Sylv. V. Privilegium n. 3.* 5. quando datur intuitu annatæ dignitatis personæ. Nam viri nobilis, aut illustris favor ad filios quoque pertinet. *Sylv. V. Privilegium. num. 5.* 6. quando causa concedendi in aliis reperitur æquè, vel etiam potiore modo. Hinc militum sæcularium privilegiis fruuntur clerici, & regulares. *Everb. in loco à milite armato. n. 17.* 7. quando non facta extensione, privilegium seu gratia effectû careret. *Abb. in c. quàm sit de Iudeis.* Ad quid enim patrifam. indulgetur securitas, si familia excluditur? *Mench. de arbitr. l. 2. casu 336.* Denique absolute, & motu proprio concessa decet amplissimè explicare, & extendere quia maximæ dignitati, qualis in Pontifice & Imperatore est, convenit amplissima munera esse: nec freno coar-

ceri liberalitas Principis ullo modo debet. *l. pœn. c. de donat. inter vir. & mul. c. si motu proprio. de praben. in 6. Suarez de leg. l. 8. c. 10. 11 & 27. Salas eod. disp. 17. sect. 7. Roder. tom. 1. q. 11. art. 6. Laym. l. 1. rr. 4. c. 23. & l. 6. c. 10. Barbosa in l. 3. decretal. tit. 33. Vivianus & alii ibid.*

Obj. 1. Ignominia est pœna militum, qui exauctorantur, ac consequenter odiosum quid: eosdem simul infames reddi, quibus non addat prætor ignominia causa se exauctorasse, dicitur in *l. 2. tit. de his qui notantur infamia*. Vnde liquet, non semper restringi odia, sed aliquando ampliari. R. Aut ex utraque parte favoris nimirum, & odii attenditur jus privatum, aut ex utraque parte jus publicum, aut ex unâ parte privatum, ex alterâ publicum. In primo, & secundo casu ampliatur favor, odio verò restringitur: cum enim hinc inde paria sint, in re dubiâ convenit extendere favorem, at in tertio casu jus publicum præfertur, ut in leg. citatâ de ignominia militum. Interest enim plurimum reip. & boni publici, milites in officio persistere: quod si non faciant acerbis suppliciis coercendi sunt, ne in alios concepta malitia transeat.

Contra, *inquis*. Non minus reip. interest maleficia puniri, cum his enim ne quidem securè vivitur, nihilominus interpretatione legum pœnæ delictorum non exasperantur, sed molliuntur *l. si præses. tit. de pœn. c. pœna 18. dist. 1. de pœnitentia*. R. hinc manifestè sequitur, odia restringi, quemadmodum Regula nostra desiderat. Neque ideo bono publico favor deest: quandoquidem auctores suos pœna manet.

Volunt tamen leges mitigari potius, quàm exasperari, quia minus periculi est, in admixtione clementiæ, quàm accessu savitiæ. Vnde iudicibus etiam permissum est, ob charitatem, vel amicitiam pœnam minuere. *Tiraquell. de pœnis tempor. causa 16. Barb. in c. Ex speciali. de hæreticis*.

Obj. 2. Fisci causa maximè favorabilis est, quod ex tam multis privilegiis in jure concessis intelligimus; atamen, qui in dubiis quaestionibus contra fiscum loquitur, non delinquit, teste *Modestino. l. Non puto. tit. de iure fisci*.

R. Cum de lucro fisci quaestio tractatur, non censetur causa fisci potius favorabilis, quam aliorum: adeoque non interest, pro illius questu, vel contra illum loqui. Imò ejus habenda cum primis ratio, qui à fisco impugnetur, quæ de ipsius damno agitur, & odiosa privatis omnibus fisci aviditas, & capacitas est: quam ob rem juxta regulæ tenorem restrictionem magis, quàm favorem meretur. *Gaill. l. 1. obs. 90. & l. 2. obs. 86.*

Obj. 3. Quod in *c. Quamquam. de usuris in 6.* dicitur, Usurario, qui non cavet de restituendo, testamenti confessionem negari, odiosum est, non restringitur tamen, sed extenditur ad codicillos, & donationes causa mortis. *silv. V. Usura. § 9. n. 6. & 7.*

R. In quibus ipsa juris dispositio resistit restrictioni, regulæ hujus nullus locus est, quemadmodum in citato cap. & aliis pluribus. Et usuræ pravitas apud omnes bonos detestabilis admodum est, ut nulla illi concedi remissio queat.

RE-

REGVLA XVI.

Decet concessum à principe beneficium esse mansurum.

I. **D**esumitur ex c. *Sicui. 36 de praebend. in 6. c. 1. de privil. eo. c. Si super gratiâ 9. de off. deleg. eod.*

Beneficium à privilegio aliqui se distinguunt. Beneficium est, quando Princeps, de suo, secundum vel præter jus commune aliquid concedit, ut si feudum tribuat, vel domum aliquam propriam donet. Privilegium autem est contra jus commune, cum Princeps se lege non obstante, liberare v. g. aliquem vectigalibus declarat. Quod ut verum sit, hoc loco non interest, sed pro eodem accipitur Beneficium, & privilegium. Nec satis liquet, an in verbo *dicere*, arguti à lateat, quasi specialiter positum sit loco *debet*, quæ vox necessitatem indicat. Nam si beneficium semel concessum absq; rationabili causa mutare Princeps, aut tollere non potest, licebit dicere, quod obligatus sit, & debeat immotum relinquere, quod semel gratiosè largitus est, de quo postea.

1. Sentus igitur est. Beneficium, vel privilegium semel, & legitimè concessum de se perpetuum est, nec absque gravi & necessaria causa tolli debet, quia ut *Baldus ait Consil. 326. l. 1. principibus maximè convenit illud Psalm. 61. v. 12. semel locutus est Deus. & illud Pilati. Ioan. 19. v. 22. Quod scripsi, scripsi: & Principem non decet plures, sed unum calamum, & unam linguam habere, utque sint immobiles, quasi lapis angularis, aut polus in cælo. Gail. l. 2. c. 55. Neque audiendi sunt, qui Prin-*

cipi permittunt interdum fraude, & mendacio uti, quamvis raro, & quasi medicamento, ut cum nonnullis *Ioan. Mariana l. 2. de institut. Regis. c. 10. loquitur. imò cuilibet viro bono enitendum summopere est, ut reliquis virtutibus accumularet fidem, & constantiam in dictis, & promissis suis, turpe ac probrosus existimans argui de dubia, vel sublesta fide. Quomodo autem, & in quibus casibus possint mutare, vel tollere concessum beneficium non levis controversia est.*

Enumerantur autem sequentes 1. si in ipsa concessione fuerit error, deceptio, aut simulatio, ita ut causa, vel fundamentum sit infirmum.

2. Si causa finalis, aut tempus esset: ut si pro ætate impubere datum fuerit.

3. Si status rerum vel omninò vel notabiliter immutatus sit.

4. Si ex concessione enorme damnum sentiat concedens.

5. Si in præjudicium Principis superioris tendat: qui propterea reclamare præsumitur.

6. Si subditus abutatur. c. *dilecti. c. ut privilegia. de Privileg. Suar. de leg. l. 8. c. 29. & seqq. Silv. Armilla. Zerola. V. Privilegiâ. Vallensis l. 5. tit. 33. §. 1. Comit. l. 1. q. 107. Laym. l. 1. tr. 4. c. 22. Rosella. Duenas. reg. 73. Roder. to. 1. q. 8. Regin. l. 13. c. 22. q. 6. Marian. l. 3. de inst. reg. c. 13. Scipio Amvatus l. 2. cod. Lipsi. 2. civil. doctrina. c. 14. Barb. in c. si gratiosè. de rescript. in 6.*

III. Ex

III. Ex dictis (pro amplianda Regula) sequitur 1. quamvis nova aliqua, & opposita lex feratur, non tolli per eam beneficium, aut privilegium concessum. *Sily. n. 10. V. Privilegium. Suar. de leg. l. 8. c. 39.* Intelligi, nisi expressè dicatur per eam derogari privilegio.

2. Nec consuetudinem contrariam obesse. Non enim ad consuetudinem, privilegium, sed consuetudo generalis ad speciale privilegium trahi debet. *Bald. aut. cum clericis. C. de Episc. & clericis. Barb. in c. Ex parte. de iure patron. Suar. de leg. l. 8. c. 7. n. 11. Laym. l. 1 r. 4. c. 23. n. 27.*

3. Non obstare, si privilegium, vel beneficium absenti, vel ignoranti fuerit concessum, modò ratum habuerit. *c. Si tibi absenti. de prebend. in 6. Gloss. in c. Ex parte. de concess. prebenda in 6. V. vim. & ibi Cardin.*

4. Si beneficium Principis prohibitorium sit, ne quidem spontanea renuntiatione cessare aut tolli. *Garzia de beneficiis Part. 5. c. 4.* quæ ejusmodi beneficia vim legis habent, quæ non solet admittere renuntiationem. Quocirca clericus privilegio suo, ne coram laico iudice sistatur, non potest renuntiare. *c. Diligenti. de foro compet. Covar. in c. Quamvis pactum. part. 2. n. 9. Barb. in c. Si diligenti. de fo. comp.*

IV. Obj. 1. Si beneficium Principis perpetuum esse debet, præscriptione non poterit unquam tolli, quod omninò falsum. Præscribitur enim contra Ecclesiam quoque, *c. ad audient. de præscr.*

R. Præscriptionis ea vis, & firmitas est à jure propter utilitatem publicam concessa, ut nihil illi, præjudicent particulæ istæ, *Semper perpetuò, nunquam, & sim.* quæ subintelligi præsumitur, quantum alia leges permittunt. Igitur præscriptio non minùs Principum beneficia, quàm alia jura extinguit. *V. tit. 26. l. 2. Decretalium. de præscriptionib. & quæ dixi in Summ. Part. 2. tit. 4. §. 5.*

Obj. 2. Sententia judicis contra privilegium valet, ac consequenter tollit. *c. Inter. de sen. & re iud. & c. Suborta cod.*

R. In c. inter pars condecorata non exhibuit, nec opposuit privilegium suum: quod indicant verba illa, *de privilegiis Apostolicis in secundis literis nihil dicebatur.* Videbatur igitur jure suo cessasse: & secuta est damnatio. In c. Suborta dicitur, si Innocentii privilegium Alexandro fuit in iudicio representatum, & ipse sententiam tulit contra illud, reprobasse intelligitur. Vnde apparet non defuisse privilegio vim, & robur contra iudicium, & cassationem, nisi fortior supervenisset.

Obj. 3. Etiam ea, quæ pietatis, vel necessitatis intuitu semel concessa sunt, Pontifex vel in totum, vel ex parte commutare potest, *c. posteaquam 25. quæst. 2.*

R. Id fieri posse, rationis æquitate servata, ut ibidem additur. quod verè intelligentiæ præsentis Regulæ nequam adversatur. *Layman iusta defensio in q. 2. præambula. §. Dicendum itaque primo Tamburin. tom. 1. disp. 16. q. 12.*

REGVLA XVII.

Indultum à Iure beneficium non est alicui auferendum.

HÆc Regula non multum dissimilis præcedenti sumitur ex *c. Commissa. de elect. in 6. c. pen. & ult. de seim. nupt. l. I. tit. de feriis. l. adulter. C. ad l. iul. de adulr. indicatque non posse ab invito tolli beneficia, seu privilegia, quæ ab ipso jure habet: quæ juris communis dispositiones per inferiores auferri non possunt. c. cum inferior. de mai. & ob. Exemplum ex jure Gentium, & naturæ profert *Peckius* de concessa omnibus sui, suarumque rerum defensione, *l. Vrim tit. de iust. & iur.*, quod beneficium tanti roboris est, ut nulla Imperatorum potestate tolli queat; neque ulla lege, aut statuto. Nam capitis periculum à se quilibet impunè avertit: adeò, ut si Sacerdos intra Missarum solennia aggressorem suum defendendo se, occidat, mox redire ad altare, & inchoatam Missam perficere queat. Ita *Peckius* inutili studio, ac labore. Quis enim persuadeat sibi *Bonif. Papam*, qui Iuris Canoniciregulas colligere, & proponere statuerat, legis naturalis, quæ immutabilis est, nullamq; admittit alterationem, præcepta inseruisse: & hoc loco præsertim, ubi in Reg. præced. de beneficiis ab homine liberà voluntate concessis egerat, mutatis subitò velis ab humano, & positivo jure ad naturale transire? Quamobrem *Dyni* exemplo utamur. Reo jus*

permittit pluribus exceptionibus uti *Reg. Nullus 20. infra. l. Nemo. l. Is qui. tit. de except.* Eidem permittitur, omnes exceptiones dilatorias, & declinatorias proponere usque ad litem contestatam. Similiter filio à jure legitima decreta est de bonis paternis. *Auth. de triente. & semisse. §. 1. col. 3.* Hæc & similia nullus Iudex, aut Princeps, tollere potest, eo ipso, quia à jure indulta sunt. Non posse, dico, saltem sine causæ cognitione, & leviter. Aliàs cum totum Ius civile, & Canonicum ab homine constitutum sit, & in materiâ plurimum contingente, ac variabili, absolute loquendo, mutandi & limitandi, vel etiam derogandi potestas in supremo Magistratu permanet. Pro qualitate & diversitate temporum diversa jurentur, quemadmodum *Assuerus Rex* pronunciat *Ester c. 16. c. Licet. de Constit. in 6.*

II, Quod additur non esse auferendum, sic intelligunt aliqui, ut ab homine tolli nequeat beneficium, sed tamen à jure tolli possit: quasi ullum jus non divinum sit, & ab homine non sit. Si jus à jure tolli potest, per hominem quoque tolli potest, sed mediante jure tanquam instrumento. *§. pen. instit. de iur. natur. l. quib. l. Non est novum. tit. de legib. c. 1. de constitut. in 6.* Nihilominus prædictam distinctionem jurisperiti

K agno.

agnoscunt, & passim utuntur. Quamvis enim omnium legum origo ab homine sit, ea tamen, quæ maturo consilio sancita, & in publicum producta sunt cum approbatione omnium plus videntur habere auctoritatis, & firmitatis, quàm quæ ab homine, pro qualibet occasione, & placito, constituuntur. Auctoritatem verò, & firmitatem suam accipiunt tum ab intentione Auctoris, qui perpetuis duraturam temporibus constitutionem format, tum ab acceptatione & approbatione populi, & tacito omnium etiam non subditorum consensu. Denique ab insertione in corpus, ut vocare solent, juris, quæ insertio non est dissimilis adoptioni, quam non pro arbitrio, & brevi tempore fieri constat *V. Silvestr. in V. Adoptio.*

Meritò igitur inter conditiones seu proprietates legis ponitur à communiore doctorum sententiâ perpetuitas (negativa scilicet, cui nullum certum definitionis tempus sit præfixum) ut fusius explicat *Suarez de leg. l. 1 c. 10. n. 4. & seqq.* monetque *n. 7.* in humana lege triplicem perpetuitatem reperiri. *Prima* est ex parte legislatoris, quæ illo sublato manet. *Secunda* ex parte subditorum, quia obligat non tantùm præsentibus, sed etiam futuros, natos natorum. *Tertia* ex parte ipsius legis: quia semel lata semper durat, donec vel revocetur, vel materia ejus, & causa mutetur, ut justa esse desinat. *V. Dominic. Soto l. 1. de iustit. q. 7. art. 1. Serar. disp. de leg. n. 64.*

III. Pro resolutione eorum, quæ obijci possunt, servit communis Theo-

logorum, & Canonicarum doctrina, legem humanam sive Canonicam, sive civilem non ita perpetuam, & firmam esse, ut mutari nequeat. Causa mutandi, & abrogandi generaliter loquendo est utilitas & necessitas: Utilitas, quæ cessat; quæ urget. *l. 2. tit. de constitut. c. Non debet. De consang.* Neque hoc mirum viperi, vel ut temerarium reprehendi potest, cum Deus ipse, in quem non cadit ulla mutatio, aut vicissitudinis obumbratio, legem à se latam abrogarit, ut *S. August. expendit. lib. 6. contra Faustum. S. Tho. 1. 2. q. 97. art. 1. Silv. & alii Summistæ,* ut more suo suse declarat *Suar. l. 6. de legibus. c. 25. Salas cod. disput. 18. sect. 1.*

Idem de beneficiis & privilegiis dicendum est: ex certis causis nimirum tolli, vel minui posse à Principe, vel legislatore. Iudices tamen, de quibus videtur potissimùm Regula loqui, non possunt, quia cum ministri iuris sint, illi servire debent, non mutare leges, sed conservare. *l. 3. l. 4. § si quis condemnatus. tit. de re iud. Caramuel. in Theol. fundam. n. 602. Camisus hic.* Hinc semper præsumitur à jure, iudicem iudicasse secundùm leges, & jura. *c. Bona memoria de elect. Maranta de ord. iudicior. part. 2. §. Nonus actus. n. 21. Menoch. Consil. 100. num. 1. & seqq. Surdus decis. 170. numer. 4. Barb. in c. Bo. memor. l. de elect.*

DICES: Quid faciam, si contra supremi Principis indultum, vel privilegium ipsius Vicarius, aliquid à me exigat, seu imperat? *R. Caramuel loc. cit.* excusa te urbanè apud illum pro lato Regis mandato: si nihilominus urgeat,

geat, & sibi velit obedientiam præstari, pro securitate postula mandatum in scripto, & recepto mandato obedi, sed copiam ad Regem transmittit. Ita Carameus suadet, eamque apud Hispanos præxi observari testatur. Verum, quid lucri inde acquirat subditus, non video, nisi actionem pro tuendo jure suo apud Regem instituat, & profequatur. Pro victoria breve gaudium,

& vices gerentis immortale odium auferet, & sine metu nunquam erit: Ac proinde consultius fortè est, facta protestatione de non contempto imperio, abstinere, & ad supremum Iudicem provocare. Sic enim in possessione libertatis manebit, & occasionem suo tempore allegandi præstitam obedientiam subtrahat.

REGVLA XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

I. Consonat cum Reg. I.C. 29. Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere: & 211 Qua ab initio iniuriam fuit institutio temporis tractu convalescere non potest. Subaudi, nisi aliud quid accedat, ut per *Vadingum* declaratur. d. 1. d. 5. §. 1. Exempla copiose suppeditat *Dynus*. Nam 1. si duo impuberes contraxerunt matrimonium per verba de præsentibus irritum est, nec postea cum superarunt annos pubertatis valere potest. c. 1. de despons. impub. in 6. 2. Si impetrasti beneficium curatum eo tempore, quo carebas legitima ætate, hac postmodum adeptam non confirmatur, quæ nulla fuit initio beneficii collatio. c. si eo temp. de reserv. in 6. 3. sententia iniuste lata, adeoque nulla ex supervenienti tempore nullam vim acquirit, sed semper in iusta manet. l. si expressim. tit. de appellat. Quamobrem, ut de valore actus iudicare possimus, initium illius perveritandum est, quo vitioso nullitas

actum irritat in præsentibus, & in futuro non patitur convalescere: idque non tantum in ultimis voluntatibus, in contractibus, & iudiciis, sed etiam electionibus, usucapionibus, & possessionibus. Unde patet, quàm ampla hujus Regulæ materia sit, Sed adhuc.

II. Ampliatur 1. ut vera maneat, quamvis causa non subsistat, seu nullitatis sublata fuerit, ut patet exemplis *Dyni n. præc.* allatis. Neque enim quia ætas crevit eo usque, ut aliàs ad matrimonium contractum sufficere queat, matrimonium impuberum firmat. Deficit igitur hic *Maxima* illa cessante causa cessat effectus, quemadmodum in aliis similibus, qui in negatione, & privatione consistunt, fieri cernimus. *V. Tiraquell. in præd. regulam.*

Amplia 2. quamvis ad nullitatem actus negligentia interveniat. *verb. gr.* Mala fide cepisti contra me præscribere agrum: non reclamavi primo

K 2 quoque

quoque tempore, nec actionem institui: inde præscriptio tua non roboratur, quia ab initio nulla erat, Idem in sententiâ injustâ contingit, quæ non potest vires sumere ex negligentia condemnari, qui non continud appellat. Idem de testamento dicitur, si ab initio nullum fuit. §. 1. *Inst. de exheredatione liberorum.*

Amplia 3. ut actus non subsistens ab initio præter nullitatem substantiæ suæ etiam nomen amittat aliàs ei debitum. Nam institutio vitiosa non debet vocari institutio, instrumentum falsum; falsum testamentum, & similia, cum veris non participant eandem denominationem. l. 4. §. *Condemnatum. tit. de re iudic. l. ult. C. de sent. ex breviculo recitandis. Tiraquell. ad l. Boves. tit. de verb. signif.*

III. Obj. 1. Collatio, vel institutio facta sine consensu patroni Ecclesiæ, ad quem præsentatio spectat, initio nulla est. *c. Decernimus 16. q. 7.* eadem tamen confirmatur, si elapsum sit tempus præsentandi, ut *Felinus* declarat in *c. cum Bertoldus. de sen. & re iudicata.*

R. Quod post lapsum temporis præsentationi constitutum nulla primitus collatio, seu institutio confirmetur, non officit temporis tractus, sed negligentia patroni, ob quam jure suo privatur, rataque habetur institutio, necum damno animarum Ecclesiastica officia diutius intermittantur. Quod instante patrono irritabile, & irritum erat, superveniens patroni negligentia irrevocabiliter confirmat, teste *Felino* in *c. cum Bertoldus. n. 14. de sen. & re*

iud. V. quæ diximus in Part. 1. Summa tit. 6. §. 1. de iure patron.

Objic. 2. Contractus minorum absque curatoris auctoritate nulli sunt, l. *si curatorum. C. de integr. restit.* Si tamen quinque annis continuis post emancipationem quisquam eorum tacerit, non contradicendo, non aliter, atque si initio validi fuissent, subsistunt. R. Contractus minorum etiam sine auctoritate curatorum initi jure naturali non sunt omninò irriti, quemadmodum dix. in *Summa Paris. 2. §. 2. d. 1.* Nihil igitur mirum, si vim suam subsequenti tempore retinent. At jure Civili, inquis, non censentur unquam validi. Verum est, propterea addo, præsumi consensum illius implicitum saltem, qui toto quinquennio tacerat: que ita confirmatur contractus non lapsu temporis præcisè, sed consensu contrahentium. *V. Vivianum hic.* Idem dici potest de professione invalidè factâ, quam annis quinque proximis non retractat professus, ut latius explicat *Caramuel in Theol. fundam. num. 550. pag. 247.*

Obj. 3. Electio malè facta procul dubio nulla est, impedit tamen secundam tractu temporis subsequentem. *Gloss. in c. auditis de elect.* ergò quamvis aliquid initio non subsistat, firmari tractu temporis potest: quod utrumque est effectus realis, impedire, & confirmare.

R. Electio absque præscripto legum facta non impedit positivè secundam mediante tractu temporis, sed in prænam malè eligentium à jure reprobat: quod si recipere illam, & appro-

bare vellet, jam non irrita, sed valida
 esset. Subinde enim ex certis causis a-
 ctus ab initio nullus in gratiam alicu-
 jus acceptatur ut validus, modò nihil
 appareat, quod illum evertere queat.
 Sic iudicium cum falso procuratore
 peractum nullius momenti est. *l. licet.*

C. de procurator. domino tamen per-
 mittitur illud ratum habere, & confir-
 mare, quasi interim suspensa maneat ef-
 ficacia sententiæ, donec eam vel rejiciat,
 vel recipiat is, cujus interest *V. Gail. l. 1.*
observ. 47. n. 3. Damasum in Reg. 84. Eye-
rard Bronchorst. centur. 4. assert. 100.

REGVLA XIX.

*Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet,
 se immiscet.*

I. Colligitur ex *c. tua. de homici-*
dio, & consonat illi *l. C. in*
tit. 36. Culpa est immiscere se rei ad se
 non pertinenti. Illos notari *Caramuel*
in Theol. fundam. n. 763. existimat, qui
 officio, cui scientiæ aut potentiæ defe-
 ctu satisfacere non possunt, se inge-
 runt. *l. Idem iuris 8. §. mulionem cum l. seq.*
in ad l. Aquil. l. illicitas. 6. §. sicuti. tit. de
off. pras. Exempla deesse non possunt
 hoc ævo corruptissimo, ubi optat
 ephippia bos piger, optat orare cabal-
 lus: & nemo, quam sibi sortem aut
 fors, aut natura dedit, illa contentus
 vivit. Clericus arma gerit, prætoriam
 miles oberrat. In foro Monachus, in
 claustris causidicus auditur: præesse
 subjecti ambiunt, non audit curus ha-
 benas. Sed his tantisper sepositis, quæ
 Dynus collegit, exempla, videamus.
 Primò, qui juris notitiam falsò jactans
 in iudicem electus est, ideoque malè
 iudicat, culpæ reus est, & tenetur ac-
 tione in factum. *l. Si iudex. tit. de variis*
cognit. quia rei ad se non pertinenti
 immiscuit se per jactantiam. **2.** Qui

medicinæ ignarus curationem sibi su-
 mit, & per imperitiam curandos læ-
 dit, absque culpa non est. *Inst. de lege*
Aquil. §. Præterea. ubi ita dicitur.
 Imperitia quoque culpæ annumeratur,
 veluti si medicus ideo servum tuum
 occiderit, quod malè eum secuit, aut
 perperam medicinam dedit. *Decius in*
Reg. Imperitia 174.

Addunt Theologi, ad restitutionem
 omnium damnorum teneri. *V. Regim.*
l. 10. de obligatione restituendi n. 98. & seq.
Less. c. 7. d. 6. & 7. 3. Idem de quolibet
 artifice dicendum, ut nemo immunis
 à culpa censeatur, quando per imperi-
 tiam sibi probè cognitam aggreditur
 aliquid, quod perficere non potest.
 Excipe primò eos, qui non obstante re-
 clamazione sua jubentur agere. Excip-
 pe secundò mensorem, qui, *reste Dyno,*
 de dolo tantum tenetur, si imperitè
 egerit. Sibi enim imputare debet, qui
 cum adhibuit, nisi fuerit in læsa culpa
 quæ dolo assimilatur. *l. Quod nerva. tit.*
depositi. Less. cit. d. 7. n. 32. **4.** idem de
 eo, qui invadit possessionem vacan-
 tem:

tem: cùm enim ad se non pertinere sciat, abstinere manum debet, si vacare culpâ desiderat. *l. fin. c. Vnde vi.* Omnes enim scire debent, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere. Denique in omni munere, functione, beneficio & similibus, ubi nihil juris, vel causâ habemus reprimenda cupiditas est, ne offendamus. Optimè *Horatius*:

Cur ego si nequeo, ignoroq̄, poetâ salutor?

Quod cùm omnibus conveniat, maximè omnium Ecclesiasticis, qui officia, & dignitates in Ecclesiâ ambiunt, de quibus eleganter *Chryf. l. 4. de dignitate Sacerdotum.* Nullus, inquit, relinquitur excusationi locus in his, quæ postea committis, qui se ad susceptionem honoris illius (Sacerdotalis) opportunum spondet, nec potest ultra dicere, quia invitus hoc, aut illud feci, aut invitus in hoc deliqui: respondebitur enim illi à iudice. Cur conscius tibi tam grandis incitiâ ausus es accedere officium, quod vires tuas superat, assumere quis cœgit? *Ita Chryf.*

Quod vero ulterius à *Dym.* quæritur, an qui potuit impedire, ne alius læderetur, & non impedivit, teneatur, extra propositum est, & apud Theologos difficultate caret. Nemo enim, nisi ex officio teneatur ad impediendum, obligatur restituere. *V. Reginald. loc. sup. citato n. 101. Less. c. 13. d. 10.*

1. Porro ad nos pertinere res aliqua non uno modo potest. Ac 1. quidem, quæ sub nostro dominio est. 2. quæ in illa, vel ad illam jus habemus. 3. quia nobis commissa, aut commendata est. 4. ratione potestatis, ad-

ministracionis, vel curacionis. 5. ratione officii, seu status. Denique innotati tituli penè innumeri sunt, propter quos competat nobis jus agendi, conservandi, aut defendèdi contra eos, qui temerè aliquid prætentunt. Dicuntur autem se immiscere, quicunque attentant quicquâ quocunq̄; modo circum non tuam disponere, sive directè id fiat, sive indirectè. Nec prodest cuiquam excusatio. *Nesciebam, tuam esse.* Satis enim est, scire, quod tua non sit. Et omnes scire debent, hoc, quod suum non est, ad alium pertinere *l. cit. C. Vnde vi. Quocirca.*

III. Ampliari & extendi debet, ad eos, qui iocum prætentunt, ut non cupiditatis, aut injuriæ amore, sed vexandi causâ fecisse videantur. In ejusmodi negotiis enim non præsumitur joco, sed culpa, vel dolus. *e. sicut de præsumptionib.* nisi ex aliis conjecturis diversum quid colligatur *l. Si non convitii. C. de iniuriis.* 2. ad eos quoque, qui non suo, sed alieno nomine immiscense. Nam utriusque culpa imputatur, illi, qui substituit pro se aliû, & illi, qui ut substitueretur, consensit. Hinc quis hominem imperitiam sua commendatione ad officium aliquod promoveat, omnium malorum, quæ inde proveniunt, particeps efficitur. Nec iudex excusatur per imperitiam assessoris (si aliter potuit) quo minus malè judicando litem faciat suam, *l. si servus servum. § si fornicarius. & §. fin. ut. ad l. Aquiliam.* 3. Non culpa tantum imputatur, sed subinde periculum est amittendæ dignitatis, vel officii adepti, postquam innovuit falsam scientiæ jactatio-

rationem, aut commendationem pro impetrando adhibitam esse. Certè Episcopo competere videtur, ut instituto examine diligenter inquirat in qualitates eorum, quos promovit, & si valde ineptos comperiat, de modo corrigendi, & impediendi damna sollicitus sit. 4. quia triplex culpa est *lata, levis, & levissima.* & in lata culpa dolus, aliquando rei alienæ immiscens se non tantum in culpa, sed etiam in dolo censetur esse, ut si quis omnino ignarus medicinæ offerret se, & susciperet alios curandos. Quod si ex ipsius curatione mala ægrotus moriatur, dubium non esse, quin lege Cornelia de sicariis poena capitali teneatur, probat *Andr. Gail. l. 2. obs. 111. n. 27. Fran. Marc. dec. 646.*

IV. Objic. 1. Alieni negotii tractatio etiam nescientibus, quorum causa agitur, legibus non tantum permittitur, sed etiam commendatur, ut patet ex *tot. titulo. de negot. gestu in tit. & Codice.* R. alterius negotium agere possumus vel ipsius causâ, vel nostrâ, hoc est, vel quærendo nostram inde utilitatem, vel alterius. Cùm nostra causa suscipimus, ut inde lucrum captemus, rei sumus tanquam ad nos non pertinentis negotii invasores: cùm verò proximi causâ, ut ipsum servemus indemnem, gratiam acquirimus apud Deum, & homines. De hac igitur negotiorum tractatione leges citatæ loquuntur, & actionem concedunt etiam illi, qui pro furioso egit. *l. ait prator. §. Et si furiosi.* Igitur non immiscet se rei ad se non pertinenti, qui ita negotium alterius tractandum suscipit, quod unicuique mandavit Deus de proximo suo.

Objic. 2. Agri mensor quamvis falsum nunciarit, de culpa non tenetur, *l. Adversus. tit. si mensor falsum,* & tamen alienum agrum mensus est.

R. Qui hanc objectionem primus invenit, non videtur angustias cerebri sui bene mensurasse. Quis enim adeo hebeti ingenio est, ut non videat, agri mensorem non se immiscere, sed rogatum, vel etiam conductum accedere ad mensurandum. Cur autem, quamvis erret, de culpa non teneatur, causam in *cit. l. Vlpianus* adfert, quia imputare sibi debet is, qui pro perito imperitum elegit. Quod si data opera falsum committit, nemini dubium est, quin ex dolo teneatur etiam ad compensandum damnum.

Obj. 3. Quicumque appellare voluerit pro reo ad mortem condemnato, quis ad eum non pertineat, audiendus est. *l. Non tantum. tit. de appellat.* Non est igitur in culpa semper, qui rei ad se non pertinenti miscet se.

R. Omnium interest justitiam, & innocentiam servari, injuriam à proximo suo depellere, adeoque sanctissimæ leges censendæ sunt, quæ remedium appellationis commune faciunt, ut cui libet eo uti liceat pro quolibet etiam sibi inimicissimo, & invito simul, quem admodum in *cit. lege* dicitur. Non se igitur rei alienæ immiscet appellans, sed illi, quæ propria est humanæ societati per vinculum charitatis, quo colligati omnes sunt, sive per gratiam, sive per naturam. Et culpa vacare creditur, quod jura permittunt. *V. qua dix. in 3. Part. Summatit. 2. §. 16. de appellat. dub. 3.*

NOTA

NOTA aliquando non modò culpæ reum, sed etiam irregularem fieri, qui se impertinentibus immiscet. Casus est, si clericus, vel monachus in sacris constitutus chirurgiam exerceat per incisionem, vel ustionem. *c. sententiam. Ne clerici, vel Monachi. c. Tua nos. de homicid. Vbi Gloss. Abb. Covarr. Part. 2. Clem. §. 4. num. 9. Mol. Tract. 3. disp. 75.*

Avila disp. 6. sect. 1. dub. 2.

Excipe necessitatem, in quâ juris naturalis obligatio actum purificat. Aliis enim deficientibus ad opem ferendam indigenti, clerico vel regulari artis perito curatis permittitur, etiam per ignem, & novaculam. *Navarr. c. 25. n. 110. San. h. l. 6. Moral. c. 14. n. 18. Laym. l. 3. tr. 3. Part. 3. c. 10.*

REGVLA XX.

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur,

I. **C**onformis est Regula 43. I. C. in tit. *Nemo ex his, qui negant se debere, prohibetur etiam aliâ defensione uti, nisi lex impediât.* Etenim defensio juris naturalis est. *l. ut vim. tit. de iust. & iur.* Et jus naturale est favorabile. *§. penult. tit. de iur. natur.* Item, quia reu præter spem, & expectationem tractas ad iudicem respondere cogitur, par tus, & imparatus. *V. Ca: amiel in Theol. fundam. n. 606.* Exempla habes apud Cloissam plura. *Primò* Episcopus A. prændit Ecclesiam B. jure communi subjectam sibi esse: remque deducit ad iudicium Archiepiscopi. Capitulum Ecclesiæ B. pro defensione sua opponit primò immunitatem, & privilegium, deinde etiam præscriptionem. Ecce duas defensiones. *Secundò*, Titius Cajum accusat de debito 1000 aureorum. Cajus respondet, se nihil debere, sed transactionem de eo debito factam esse. Replicat Titius 1. transactionem illam nullam fuisse. 2. quòd

is, cum quo facta est transactio, fuerit servus transigentis. *Tertiò* in *c. Quisquis 24. q. 1.* Augustinus à Vincentio Donatista accusatus, quòd fugitivos reciperet, respondit adserendo plures causas, puta, quia abjiciendi non sunt, sed tolerandi, quos emendare non possumus: præterea propter paleam area non est deserenda, neque grex Christi idèò deserendus, quòd aliqui in eo hædi reperiuntur. Plura apud *Dynum.*

II. *Amplia 1.* ut locum habeat in exceptionibus diversis, imò contrariis. Nam qui negavit homicidium, convictus de eo excipere potest, se ob necessariam sui tutelam fecisse. Monet tamen *Causius*, non permittendum, ut simul duæ contrariæ exceptiones offerantur, sed ut successivè id fiat. *V. Gaill. de pace publ. l. 1. c. 18. n. 6. Amplia 2.* ut valeat etiam in diversis instantiis, modò dolus absit, non reservando exceptionem peremptoriam in aliud tempus, ut actori expensæ crescant. *Amplia 3.*

plia 3. ut valeat etiam post litem contestatam, quicquid reclamant aliqui, falso prætendentes hic æqualitatem servandam in actore & reo. Actori enim non permittunt leges intendere simul duas actiones, quamvis habeat, sed ex pluribus eligere debet, quã experiri velit, in eaq̃ue persistere usque ad decisionem litis. Cum enim in potestate illius sit, quando instituere velit actionem, tempus habet cuncta explorandi, quæ ad rem facere possunt: quod reus non potest, qui repente ad iudicium trahitur, non relicto spatio ad præmeditandum. *l. cuius bonis. tit. de curatore furiosi. Gall. de arresto c. 15. n. 16.*

III. Obj. 1. In *c. Veniens de præscript. Innoc. III.* cum, qui de privilegio excepit, & non obtinuit, ad præscriptionis exceptionem confugere non posse dicit.

R. Per impetrationem privilegii præsumitur renuntiatum esse præscriptioni, adeoque non admittitur exceptio. Alioqui utramque exceptionem privilegii nimirum, & præscriptionis, vel simul, vel separatim opponi posse liquet ex *c. cum persona 7. de privil. & c. Auditis 15. de præscript.*

Obj. 2. Contraria allegans audientis non est, ex Reg. I. C. 148. *Vbi re pugnancia inter se in testamento inveniuntur, neutrum ratum est.* quod exemplificari per Gloss. in *l. si Titius tit. de conditionibus institutionum* ait Decius.

R. Legem illam actori positam esse magis, quàm reo. *l. i. C. de furt.* quod minus Actori, quàm reo indulgendum videtur: cum hic de damno vitando, ille verò de acquirendo lucro decertet.

Vnde quamvis causam obtineat contra Actorem, communiter nullum detrimentum illi infert; ipse autem sine damno suo nunquam succumbit.

Obj. 3. Species quædam exceptio nis est appellatio, sed appellanti non licet contraria allegare. *l. pen. §. Sed si alius. tit. quando appelland.*

R. Qui appellat non jam rei amplius, sed Actoris personam sustinet, Actori autem ne quidem in primâ instantiâ plures exceptiones permittuntur; multò minus ergò in posterioribus.

Obj. 4. si quis neget aliquid sibi testamento relictum esse, & vincatur relictum esse, non audietur postea, si excipiat testamentum non fuisse legitimum. Pari modo si socer neget, dotem à se promissam, & convictus de mendacio excipiat, se conveniri non posse, nisi in quantum facere potest, non audietur, nec ad evitandam plenam solutionem, alia exceptione uti poterit. *l. sunt cum seqq. tit. de re iudic.*

R. Sic à jure constitutum esse prudenter, ut nemo fiduciam ponat in verbis mendacibus. Si quis igitur contra veritatem, & conscientiam suam ausus fuerit negare, quod scripsit, aut promissit, à se scriptum, vel promissum esse, meritò amittit privilegium aliàs concessum.

Obj. 5. In *c. Imputari de fid. instrum.* rejicitur ille, qui scripturas contrarias produxit, cum prævidere potuerit, utra sibi utilior foret: & Glossa ibi etiam de indirectè contrariis explicat.

R. Eodem tempore, ut monui *n. 2.* contrariæ exceptiones non sunt proponendæ

L

nendæ

nendæ quæ se mutuo interimunt. At si interjecto aliquo tempore id fiat, excusari poterit reus, ut qui non habuerit tempus præmeditandi, & singula investigandi.

Ex dictis patet solutio ad quæstionem à *Franc. Marci* decis. 277. propositam, an valeat statutum, seu stylus

Curie S. Marcellini, quo non nisi tres exceptiones admittuntur, solutionis, novationis, & falsitatis. Cùm enim Regulæ præsentis, & Iuri communi adverteretur, non potest habere locum, nisi apud eos, qui communi suffragio illud approbant, & in mores suos inducere satagunt.

REGVLA XXI.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

I. **S**upra videtur ex *c. Nulli 8. de Select. & c. Per tuas, 10. de probationibus*. Consonat illa quoque, mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. infra *Reg 33*. Nimirum, si jus illi acquisitum sit, quod tali mutatione læderetur. *Caramuel in Theol. fundam. n. 608*. Intentio igitur Regulæ est, commendare firmitatem, & constantiam in actionibus, consiliis, cæptis, ac potissimum in pactis, & conventis ad evitandas offensiones animorum, diffidentiam, & discordiam, quæ nasci ex levitate solent. Alemannica vocari posset. Huic enim genti semper culta fides, & constantia juxta illud

Fallere promissis turpe est, mens consona labris

Ficta colorata fugiat mendacia lingua. V. Auban. l. 3. c. 12.

Non ita tamen inhærendum credimus primis voluntatibus, ut in nullo eventualiter liceat: cùm usus doceat, diem posteriorem prioris magistrum, ac correctorem dici, & vulgò jam notum illud est, *δύσραγ ὀφθαλμοῦ*. Vbi igitur

causa rationabilis sese offeret, non erit prohibitum à priori consilio, vel contractu rescire, ut postea melius explicabitur:

II: **A**mplia 1. ut locum habeat in Magistratu respectu subditorum, domino respectu servorum, marito respectu uxoris, & similibus, qui in altiore gradu constituti ob disparitatem status communibus uti legibus aliquando detrectant. Nam si quid pacti fuerint cum subiectis sibi, pro libitu rescindere, aut pœnitere non debent. 2. etiam in supremo Principe. Hic enim si contractui renunciare pro libidine voluerit, non inveniet deinceps, qui inire cum illo pactum velit. Nihil vetat tamen, quin certis de causis mutare voluntatem suam, & non tantum promissis suis non satisfacere, sed etiam privatorum dominia auferre liceat. *l. Item si verberatum. tit. de rei vendit. l. 1. c. 3.* ut valeat etiam in hæredibus. Nam si in alienationem bonorum maternosum pater consensit, filius retrahere non potest, licet hæres sit, imò

necipius hæres. *V. Gaill. l. 2. obs. 2. n. 10. & seqq.* 4. Amplia, ut valeat, quamvis causa impulsiva cesset. v.g. dedisti pecuniam filio, ut apud Sempronium libros necessarios emeret, quamvis non inveniatur ibidem libros, manet concessio, quæ præsumitur voluntatem tibi non fuisse excludendi alios bibliopolas. 5. Amplia, ut non liceat mutare, quod semel constitutum est, quamvis altera pars consentiat. Nam matrimonii contractus, qui semel placuit, nulla pœnitentia vel retractatione tollitur, ne homo separet, quod Deus conjunxit, contra legis divinæ ordinationem. Verum contra hoc statim.

Objic. 1. Matrimonium ratum professione religiosa solvitur, quia novo consilio displicuit: sponsalia item à contractu Matrimonii superveniente desinunt. Ergò nihil alienum facit, cui quod semel placuit, placere desinit. *Barb. in c. Ex publico. de convers. coniugum.*

R. Non est, ut supra monui, Regulæ, aut Legislatoris intentio omnem displicentiam damnare, sed eam, quæ absque gravi causa, & necessitate fit. Considerandi igitur sunt contractus, & sponsiones, videndumque, an non includant tacite conditionem aliquam, à qua purificetur secuta mutatio, quemadmodum in sponsalibus, & matrimonio accidit. Contraho tecum matrimonium, ait Cajus, & servabo, nisi meliorem mentem, & altiorem statum elegero. *V. Car. amuel loc. cit.*

Objic. 2. Sicuti permissum est per sententiam judicis damnato appellare, ita licet ab appellatione instituta cessare. *c. Interposita. de appell.* Displicere

igitur potest, quod semel placuit.

R. Vnicuique liberum est jure suo cedere præsertim, quando per id nemini injuriam, multis verò beneficium præstat. Ac proinde qui appellationem cœptam deleat, jure suo cedit, & palmam victori, ut optarat, relinquit. *Mynsinger. Centur. 1. observ. 8.*

Objic. 3. In contractibus innominatis, quia minus crebri, & necessarii reipubl. sunt, regulariter permixta est pœnitentia. *l. ubi ita donatur. tit. de mortis causa donat. Schneidervin. l. 3. Inst. tit. 14. de obligationib. §. Quotuplex est Contractus n. 13.*

R. Si permittitur in ejusmodi contractibus pœnitentia, ipsum pœnitentem vacat culpa. Neque ideo putandum est, leges sibi invicem contradicere, cum una pœnitentiam reprehendit, altera permittit, quæ in legibus non tam verba, quam sententia attenditur & contradictionis umbra per congruam declarationem fuganda est. *l. scire. tit. de legib.* Quocirca Regula nostra exceptiones admittit non tantum in prænomminatis contractibus, sed aliis multis, & potissimè in ultimis voluntatibus: quod nemo cum testatus semel est, legem sibi, aut necessitatem imponit, à priori voluntate sua, quamdiu vivit, non recedendi: ut neque filius hæres, semel repudiata hæreditate nunquam resumere prohibetur. *l. fin. C. de repud. vel abstin. hæ.* Iudex quoque interlocutoriam sententiam revocare potest, quoniam ea prolata non cessat officium ipsius, quemadmodum cessat post definitivam. *l. Quod iussit. tit. de re ind. c. Cum cessante 60. de appell. Decius Consil.*

fil. 84. Maranta part. 6. de iudiciis. §. 1. *ma nostra tit. 9. §. 1. numer. 4. & §. 3. expedit à secundâ. num. 7. V. Part. 3. Sum. | num. 1.*

REGVLA XXII.

Non debet aliquis alterius odio pręgravari.

I. Hujus regulę æquitate nititur tit. 12. l. 4. *Cod. Ne uxqr pro marito. cum tit. sequenti. Ne filius pro patre. & Regula 76. infra. Delictum persona non debet in detrimentum Ecclesie redundare. Exempla reperies in c. Nobis. 27. in c. sicut 33. de simonia. in c. Si compromissarius 37. §. porro. de el. in 6. Declarationem in l. Sancimus. C. de pœnis. ubi Imp. Arcad. & Honorius. Sancimus, ubi esse pœnam, ubi noxa est. Propinquos, notos, familiares, procul à calumniâ summoveremus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. Ita Imp. eodem sensu, quo in S. Scriptura Deus prohibet, ne parentum iniquitas filiis imputetur. Ezech. 18. v. 20.*

Verùm *Barbosa* hęc non de culpa, sed damno sermonem esse putat, ne idem in hac Regula quod in sequenti præscribatur. Sensum igitur hunc esse. Nemo propter alterius negligentiam, fraudem, aut quodcunque delictum damnum sentire debet, quod ex contractu aliquo emergit. Non malè quidem: sed non valdè necessariò. Quamvis enim hanc Regulam de culpa interpretaremur, multũ distabit à sequenti,

quæ sine culpa, & causa quenquam puniri vetat: quod longè aliud est, quàm alterius respectu personæ pœnam sustinere. Complectamur ergò utrumque. Nemo alterius causa damnum, pœnam, vel quamcunque molestiam sentiat. Vel, ut *Caramuel* explicat in *Theol. fundam. n. 764.* Nemo, quia Petrum odio habet, gravare Paulum ipsius cognatum debet, aut in isto vindicare peccata, quæ in illo odit, nec tamen punire vult.

II. Sic explicata Regula ampliatur, & extenditur. 1. ad personas, quæ aliis in jure non computantur diversæ, cuiusmodi est pater & filius, dominus & servus, uxor & maritus. 2. ad Prælatos quoque, quia ob delictum ejus, quæ præest, Ecclesia non debet damno affici bonis ablatis, aut confiscatis. 3. ad hæredes, qui eorum, quibus succedunt personalibus obligationibus non tenentur: Nemo enim alieni criminis successor constituitur. l. *Crimen tit. de pan.* 4. ad eos, qui ad alios pertinentia bona obtinent. Vnde si fundi aliqujus proprietatis fisco addicatur, ususfructus manet intactus ei, qui à domino obtinuit. 5. denique ne quidem socius criminis odio ejus, qui deprehensus, & damnatus est, prægravatur. Hujus

Hujus enim confessio præcisè non potest nocere socio, nisi alio modò legitime denunciatur. *V. Decianum l. 3. c. 19. Gaill. l. 2. obs. 86. Barb. in c. Veniens. de testibus. Navarr. c. 17. n. 215. & l. 5. consil. 23. Less. c. 20. dub. 15. n. 131. Zerola part. 1. V. Extensio. Damasus in Reg. 21.*

Quòd exceptiones, seu restrictionem attinet in 3. part. Summa tit. 3. §. 1. dub. 13. *leximus ex S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 8.* neminem quidem pœna merè spirituali, quæ animæ noceat, propter aliena peccata puniri: nihilominus filios propter parentum noxas, & subditos propter delicta principum puniri posse, in quantum ea punitio habet rationem medicinæ.

Addidimus dub. 14. statutum valere, ut alius pro alio puniatur, modò pœna non sit corporalis. Sic parentes pro filiis, & pro familia sua dominus aliquando aperire oculos, & solvere multam debet. De qua re eleganter *Alicius de præsumpt. Regula 3. n. 40.* famulorum delicta imputari dominis scribit, quando assumunt illos, gnari improbos esse: quod notandum contra illos nobiles, qui in domo sua habent pro famulis Ionones, & homicidas. Nam ipsi tenentur ex delicto ipsorum *secundum Cardinalem in Clem. Ne in agro. §. porro.* Addit tamen, non eadem pœna, sed mitiori puniendos, eò quòd ex præsumptione puniantur.

III. Quæ obijci possunt de filiis presbyterorum, quos Ecclesia ad Ordines sacros & munia Ecclesiastica non admittit: eorum quoque quorum parentes rei læsæ majestatis sunt: dome-

sticis denique, præsertim uxoribus, adhibita S. Thomæ distinctione facilimè solvuntur. In maritis & patribus famil. specialis ratio invenitur, quia curam suorum à Deo commendatam habent; ubi quando segnes deprehensi fuerint, meritò luunt. Nam qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & infidelè deterior est: fidem negavit, intellige factis: nec in Episcopum ordinari debet, qui domui suæ præesse nescit. *1. Tim. 3. V. Gloss. in c. Vndecunque. d. 56.* ubi ita differit. Non nocet delictum patris filio, quoad vitam æternam; nocet autem quoad ordines: item quoad successorem. *c. si quis cum. 6. q. 1.* Item quoad alias pœnas. *c. peccatum. de pœn. d. 4.* Mitius tamen loquitur lex de illis, qui spurii sunt, quòd non obest eis hoc, quin possint eligi ad decurionatum, quia non est impedienda dignitas ejus, qui nihil admisit, ut *tit. de decur. l. spurii in princ. & l. generaliter. §. spurios. & Boethius.* Quid genus, aut proavos, &c. *& Juvenal. Tolle tuum Hannibalem. Malo, pater tibi sit Therites, dummodò tu sis Racida similis, vulcaniaq; arma capeffas: quàm te Therita similem producat Achilles.* Ita Gloss. Adde cui *Archid. in §. si quis 6. q. 1. Bald. in l. filios. tit. de iis, qui sunt sui, vel alieni iuris. Ang. Arcetinum §. sed etsi quis. Instir. de ingenuis. Vivian. hic. Dymum hic. & in reg. seq. Gail. l. 1. de pace publ. c. 20. Tholos. l. 31. Synt. c. 4. Gigant. de Crim. l. 1. majest. q. 13. & seqq. Barb. in c. Cognoscentes. de Constitutionibus. Covarr. cum aliis ab eo laudatis. l. 2. Variar. c. 8.*

REGVLA XXIII.

Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

I. **H**Vjus Regulæ duæ partes sunt, Vna, sine culpa neminem puniendum esse. c. Cognoscentes. de Constitut. alia, puniri quempiam posse qui culpa vacet, si causa non desit. Priorem partem uti Iuris gentium agnoscunt pariter Theologi, & Iuris Consulti. Posteriorem catachresi laborare video; quæ tamen malum aliquod vel damnum patiaris, ex grat. propter patrem tuum, vel dominum, non tamen erit pœna, nisi eo modo, quo vicissim vocares præmium, vel salarium, quod nullo tuo merito adeptus es. Sed quæ loquendum cum pluribus, vocitemus pœnam, quicquid incommodi ex aliorum culpa nobis obvenit: vel, si mavis, pœnalitatem, ut *Caramuel facit in Theol. fundam. n. 760.* Culpam requirit c. 2. de Constitut. c. 2. de his, qui sunt à maiori parte. & c. 5. §. fin. de sent. excomm. in 6. ubi vetatur, ne in Collegium, vel universitatem sententia excommunicationis feratur, ne innoxios tangat, sed irretiendos tantum de Collegio vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit. Quod pertinet memorabilis *S. Aug.* sententia, qui ad auxilium Episc. ep. 75. vel. in c. si habes. 24. q. 3. ita scribit. En adsum senex à juvene, coepiscopo, & Episcopus tot annorum à collega necdum anniculo paratus sum discere, quomodo vel Deo, vel hominibus justam possumus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno spirituali supplicio (excommunicationis nimirum) puniamus?

II. Amplia primam partem Regulæ, *Sine culpa nemo puniendus est.* 1. quamvis reus de se, innocente tamen, confessus esset delictum. Innocentia enim omnibus modis cautum leges volunt. *Gigas de crim. lese maest. §. Qualiter. q. 16. n. 3. & seqq. Item §. de probat. g. 1. nu. 5.* Vnde si Titius Cajum a se veneno sublatum dixerit, aliunde verò confet gladio occubuisse, non punietur. Ob eandem causam, qui de nimis immanibus, & multis facile confitentur, suspecti sunt, & potius desipere, quam veritatem dicere præsumuntur. 2. Si inter duos non possit discerni, uter criminis patrati auctor sit, neuter puniendus sed absolvendus est. *V. Gail. l. 2. obs. 36. n. 2. Berlich. part. 5. concl. 46.*

III. Pro secunda parte, neminem sine causa puniri, *D. Caramuel* his exemplis utitur. Hodie apud Patres Jesuitas dimissio solet esse pœnalitas: Nam tamen nemo possit sine causa dimitti, dimitti potest sine culpa; nimirum, cum datur causa ipsi non peccaminosa, forte nec libera, quæ militet contra bonum publicum, & dimissione tollatur. Eadem apud Benedictinos dimissio non est pœnalitas, sed pura pœna, quæ incorrigibilibus imponi potest (imò nonnunquam debet) ex præscripto cap. 28. Sed Prioris, Cellarii, & cujuscunq; administri depositio est pœnalitas. Quia licet non possit deponi sine causa (non enim Antistes insanire permittitur; in omnibus enim suis decretis debet Deum, & publicum bonum respicere)

respicere) potest tamen sine causa ministris deponendo imputabili, puta, si sanctus, & bonus sit, & tamen non placeat confratribus, deturque alius, quem ament, qui satisfacere possit æquè benè, vel melius.

Et veniendo ad jura universalia. *cap. de Regularib. 25. cum seq. de Simon. c. qui-
cunque 1. q. 5.* qui per Simoniam à se commissam fuerit ad Ecclesiasticum beneficium promotus, deponitur: item ille, qui per commissam ab alio, se in scio: & in priori casu depositio est pœna, in posteriori pœnalitas: in illo datur culpa, in hoc causa. Sacerdos leprosus *c. 4. de cler. agr.* ab Ecclesiæ administratione proferbitur, non sine causa, & tamen sine culpa. Sic etiam in benè gubernatis urbibus domus peste infectorum clauduntur; ipsis non conceditur aditus ad alias domos, nec sanis ad istas; & quidem homines miseri præter pestiferam luem alias pœnalitates patiuntur, non in pœnam peccati, sed majorem aliorum securitatem. Leprosi solent ab humano consortio proferbi, & ob eandem causam, etiam si culpa, quotquot morbo contagioso laborant. Irregulariter etiam non solum actu peccaminoso, sed etiam virtuoso contrahitur; puta, si Iudex aliquem capite condemnaret: Medicus ex ignorantia occideret: chirurgus ex præscripto Medici excideret aliquod membrum. Ita *Caramuel aptè*, ansecus ad mentem regulæ, alii viderint. Quomodo puniri dicatur Novitius, famulus, operarius, qui secundum conventionem exauctoratur, vel dimittitur, majori indagine indiget. Propria exempla SS. iteræ suppeditant, ubi pro parentum culpa filii, nepotes, &

eiusdem communitatis membra eodem pœnæ, (non spiritualis, sed corporalis) genere afficiuntur.

IV. Vnum pro multis sufficia exemplum. Achan, qui, ut *Iosue c. 7.* legimus, furtum de anathemate solus, & in scio: omnibus fecerat: nihilominus in univertum populum pœna à Deo constituta est, cæsis primùm tribus milibus, deinde auxilio & protectione in futurum negata. *Non ero ultra vobiscum.* Vnius sacrilegium universos affixit, ac perculit; ut non se solum, ait *S. Aug. in Ios. l. 5. q. 8.* quisque curet in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam unius corporis, & unius hominis alia pro aliis membra sint sollicita. Quo facto supremus iudex indicavit, quanta sit singulorum in aliquo cœtu communitas, cum eorum nullus seorsim solus censeatur, sed singuli sint quarundam partium instar in toto. Vides, inquit *S. Chrys. hom. 1. de verb. Isai.* Vidi Dominum, quomodo unius peccatum toti populo vindictam accersit; quomodo Deum ad versus multitudinem hostem reddidit? Lues quædam est peccatum, per ultionem evagatur, ac traducitur apud omnes, ne corruptat omnes, ut ubi cognoverint, quantas minas una peperit transgressio, fugiant ultionem, de multis alioqui sumendam æternam vindictam. Ita *Chrys.* In cuius, & *S. Aug.* verbis simul causam, agnoscere licet, propter quam alius pro alio, innocens cum reo plectatur: conjunctio nimirum est, seu vinculum, ratione cuius unum quasi corpus, aut communitatem efficiunt. Vnde nascitur alia, ut pro con-

serva-

servatione totius, partes quantumcunque innocuæ subinde patiantur. *V. Covarr. l. 2. Var. c. 8. §. Quarta.* quo in loco prolixè ostendit, quomodo hujus divini iudicii severitatem humana tribunalia imitari conveniat.

Poterit sanctissimè ait, ex causis, & propter reip. utilitatem, quo promptius, & cautius à delictis, & criminibus homines abstineant, humana lex filios, ac nepotes pœna bonorum, aliave simili afficere. Atque ita passim legibus & canonibus sancitum est, quem admodum annotarunt *Augustinus, Decius, Thomas, Alex. Alens. Arbor. & Alf. à Castro*: quibus præluxit *Gloss. in Sum. l. quæst. 4. & Turrescrem. in c. Undecunq; dist. 56.*

V. Igitur culpa & injuria vacat, quod tam civili, quàm Canonico jure, filii & nepotes eorum, qui divinam, vel humanam majestatem læserint, infamiã notentur, & indigni censeantur, quibus committantur officia, & beneficia Ecclesiastica, aliãque reip. munera. Hoc enim meretur criminum atrocitas, ut parentum, qui auctores sunt, & filiorum, qui inscii, & innocentes, communis ultio sit. *l. Quisquis. C. ad l. Jul. mai. §. filii. c. Vergentis. de heret. c. 2. §. heretici. c. Statutum. 2. eod. tit. in 6. traditque duodecim casus, quibus pro parentum sceleribus filii puniuntur. Math. de off. d. in Constitut. Neapol. tit. 2. n. 33.*

Est autem, ut hoc obiter moneam, prædictarum legum, quia pœnam sonant, & odium, non extendenda in nepotes acerbitas, cum expressè non nominentur in *l. Quisquis. §. 1. Regia.* Quod etiam Veteres observarunt. *Bart. in l.*

patri. tit. de adul. Decius consil. 64. Fraxcus in c. Statutum. 2. de heret. in 6. Quibus tamen Constitutio *Frider. Imp.* ab *Alberico* allegata in dicta *l. Quisquis. n. 9.* contradicit, & si *Saliceto* credimus, communis DD. opinio est, pronepotibus, & qui sequuntur, exclusis, eidem pœnæ nepotes subjacere. *V. Gottofr. in Not. & Jul. Clarum. §. Lefa. n. 17.*

VI. Quod minùs durum videbitur considerantibus, etiam jure divino bruta animantia, etsi libertatis, & rationis expertia, propter communionem sceleris ad supplicium trahi. *Levit. 20. v. 15.* Qui cum jumento coerit, morte moriatur: ipsum quoque pecus occidite. *Et S. Aug. inc. 19. Lev. relat. in c. Mulier. 16. q. 1.* quæritur. Quomodo sit reum pecus, cum sit irrationale, nec ullo modo legis capax? An quem admodum transferuntur verba metaphorica ab animali ad inanimale, sicut dicitur ventus improbus, vel iratum mare; ita & hîc translatum à rationali ad irrationale? Nam inde pecora sunt iusta interfici, quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam, & fortè ad imitationem provocant improbos, quorum audacia pœnarum acerbitate comprimenda est. Adde, quod cæditur infamis bestia, ut homini sit medicina, qui tanto longius recedet à scelere, quanto timidior evadit formidine pœnæ.

VII. Sed his obviare videtur sacrarum literarum auctoritas. *Ezech. c. 18.* Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super ipsum erit, & impietas

pletas impii super eum. Idem aliis in locis sæpè iteratur, & conformiter illis sacri Canones, c. 1. 2. 3. & sequentib. 1. q. 4. Et legem quisquis. C. ad l. lul. maiest. non pauci DD. irrationalem, & iniquam vocant.

Verùm ad ista jam satis in præced. Reg. n. 2. respondimus cum S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 8. & causam dedimus hinc n. 4. quibus, si placet, adde Innocentii Papæ declarationem in c. Vergentis de hæret. In multis casibus etiam secundùm divinum iudicium filii pro parentibus temporaliter puniuntur, & juxta Canonicas sanctiones quandoque fertur ultio non solùm in auctores scelerum, sed etiam in progeniem damnatorum. Cur ita? Ut temporalis saltem pœna corripiat, quem spiritualis non corrigit disciplina, Temporalis pœna ait, ut excludat spiritualem, cujusmodi est excommunicatio, quâ pro parentum delictis filii non sunt afficiendi, quia illis bonis privat hominem, quorum acquisitio ab aliena opera & innocen-

tia minimè pendet. Quam ob causam S. August. supra laudatus negat rationem inveniri posse, quomodo rectè anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus; aut quisquam etiam in domo nondum natus, si eodem tempore, quo universa domus est anathemate obligata, nascatur, nec ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri.

Quod verò legem. quisquis C. ad l. lul. maiest. Interpretes aliqui, inter quos eminent Gigu tract. de crim. l. maiest. q. 13. n. 10. irrationabilem, vel etiam iniquam vocant, nihil aliud loquuntur, quam si dicerent exorbitantem, & ab ordinario modo delicta castigandi alienam esse, siquidem in minus enormibus non nisi auctores suos pœnæ supplicium manet. V. Covarr. loc. cit. Barbof. in Comm. Reg. & axiom. 93. Farinac. part. 4. Conf. 40. Tiracquell. de iure meriti. Gloss. 8. num. 141. Decian. l. 7. c. 6. & seqq.

REGVLA XXIV.

Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.

I. Consonat illa I. C. 159. Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non obtemperat. intellige, modò nihil jubeat contra legem naturalem, aut divinam. Exempla Dynus suggerit 1. Mandavit Iudex sepulcrum destrui, quo mediante aqua pluvia nocere po-

terat, non teneor àctione de sepulcro violato, sed auctoritas Iudicis excusat. l. quanquam. tit. de aquâ pluviam arcedendâ. 2. Deposito apud me est Sempronii, qui moritur, relictis quatuor hæredibus, Iudicis auctoritate uni tantùm restituo, nec teneor àctione depositi,

M

fiti,

fiti, quia fraudis suspicionem Iudicis mandatum tollit. *l. si stipulatus. §. si lancem. tit. de solut. 3.* Idem dici potest de executoribus & apparitoribus, quibus sententiæ executionis demandatæ committuntur. *l. si quis. tit. ad Silanum.* Verum optimè notat. *Andr. Gail. l. 2. obs. 76.* cum in his & similibus præsumatur pro iudice, & processu ipsius, necessarium esse, ut juris ordine servato præcipiantur ea, quorum executio immunes reddit eos, qui obtemperant. Iudex enim non dicitur is, in quo non est iustitia, & factum à iudice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est. *l. factum à iudice. tit. de reg. iur. Glos. de crim. lassa mai. §. Qualiter quest. 16.*

11. Amplia 1. ut locum habeat in mandatis Principum, imò precibus, ut à dolo excusetur, qui obsequitur, *l. quod Principis. tit. de aqua pluvia. 2.* in mandatis dominorum, intellige, non manifestè impiis, juxta limitationem superius datam. Hinc servi, & ancillæ in multis excusantur à peccato per necessitatem obediendi, ubi aliàs periculosa cooperatio est. *Silvest. & Armilla V. Obedientia. Less. c. 20. dub. 21. n. 181.* 3. Idem dicendum de filiis. Nam si iustu patris in cuius potestate est, duxerit uxorem filius, quam leges vetant, excusatur. *l. liberorum. de his, qui not. infam. 4.* Idem de conductis operariis, si ad generale mandatum conductoris aberrant, ut excusati sint. v. g. si intrent, & fodiant in vinea aliena, quam putabant à domino sibi designatam esse. 5. ut valeat, etiamsi juramento in contrarium quis se obstrinxerit. 6. Li-

cet aliquis contra conscientiam suam videatur agere, modò non benè informatus sit, nec certam de injulitia notionem habeat: qui modus agendi etiam scrupulosè præscribi solet. *Navarr. c. 27. n. 281. Laym. l. 1. tract. 1. c. 6. n. 2.* & in quibusdam Ordinibus præcipitur obedientia in omnibus rebus, in quibus non apparet evidenter peccatum. *Rosignol. de Christi. perfect. l. 5. c. 24.*

7. Valet aliquando, cum sententia Iudicis injusta est. *c. Pastoralis §. Quia verò. de off. delegati.* ubi ordinarius jubetur exequi sententiam de legati iudicis, licet injustam esse cognoverit, quia non cognitio, sed executio tantum illi mandata est. *Excipe 1. nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere se absolvat. Excipe 2. nisi sententia notoriè injusta sit, & contineat errorem intolerabilem.* Etenim subditus quoque, cui certo cognita belli iniquitas est, non potest absque peccato militiæ nomen dare, & contra fictitium hostem arma ferre, quantumvis à Principe suo urgeatur. Quamdiu autem non est moraliter certus de iniquitate mandati, parere debet, disquisitione aliis relicta. *Barbos. in c. Pastoralis. de off. Iud. delegati. Less. c. 29. dub. 10. n. 83. & 91.*

Adde, quando conscientia reluctatur, securissimum esse, necessitatem parandi tollere, vel officio se abdicare. *V. quæ diximus in Parr. 2. Summa. tit. 2. §. 1. dub. 2. Amplia postremò, ut actum confirmet aliàs invalidum. ex. gr. si debitor pupillo solvat absque tutoris auctoritate actus invalidus censetur. Accedat Iudicis mandatum, validus erit. l. ait prator. tit. de minoribus. Mynsing.*

ing. §. Neque tamen. Instit. de auctoritate tutor.

III. Ponderant aliqui & emphasin agnoscunt in illis verbis *dolo facere non videtur*. Est enim hic præsumptio juris, quæ alio non adducto pro veritate agnoscitur: utpote fundata super verosimili *c. Quia verosimile de præsumpt.* quæ transfert onus probandi contrarium in contradictores, donec allegatur, & probetur tale quid, per quod ejusmodi præsumptio tollatur. *c. Transmissa. Qui filii sint legitimi.* ubi certa indicia, & testes ad elidendam præsumptionem requiruntur. Præsumitur ergo, eam, qui iudicis, aut superioris iussu quicquam facit, non esse in dolo, ne delictum præsumamus. *l. Merito. tit. Pro socio.* quæ tamen præsumptio probationem in contrarium non excludit. *V. Prolegom. §. 15. n. 5.*

IV. Quæ objici contra possant, ex-

pediuntur facillimè applicata illa Apollolorum regula, qua coram Iudicibus suis usi sunt. *Actor. 4. v. 19.* Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus, quàm elucidans *S. Hier. vela. in c. 93. xi. q. 3.* ait. Si dominus ea jubet, quæ sunt adversa Scripturis Sanctis, subjiciatur servus domino: si verò contraria præcipit, magis obediat spiritus, quam corporis domino. *Et infra.* Si bonum est, quod præcipit Imperator, & præses, jubentis obsequere voluntati: si verò malum respòdet ei illud de *Act. Apost. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Hæc ipsum & de servis intelligamus apud dominos, & de uxoribus apud viros, & de filiis apud parentes, quod in illis tantùm debeant dominis, viris, parentibus esse subjecti, quæ contra Dei mandata non veniunt. *Ita Hieron. cui S. Thom. & omnis Theologorum Schola subscribit.*

REGVLA XXV.

Mora sua cuilibet est nociva.

I. **H**ic regulæ respondet *133. Iur. Civilis. In condemnatione. §. Vnicuique.* Vnicuique sua mora nocet, quod & in duobus reis promittendi observatur. Alias inulta maneret contumacia, & cum iactura alterius iniquus possessor lucrum faceret, *l. Iura Natura. tit. hoc. tit.* Glossa tres casus ponit. 1. Plebanus aliquis non solvit decimas, quas Parocho suo debet *c. cum homines de decimis.* Paulò post irruentes milites evacuant horreum cunctis frugibus

sublatis, Ecce damnum ex mora. 2. Librum meum pro certo tempore commodavi tibi, eoque elapso interpellavi, ut redderes, quod noluisti indebitè, & injustè: liber deinde amissus, vel furto sublatus est, nunquid pretium libri solvere teneris? Certè sic, tuo quoque iudicio. 3. qui rem alienam furto acquisivit, continuò reddere debet: ac proinde quocunque tempore & casu, eam amiserit, ad compensationem obligatus est. *Sotol. 4. q. 7. ar. 4.*

M 2

Mora

Mora sua, iniqua videlicet illi, nociva est. Nam de illa sola Regulam intelligimus.

II. Vix definiri posse, ut accurate constet, quid Mora sit, ex *l. Mora. tit. de Usuris. Peckius* asseverat, nimirum propter humanarum actionum mutationem, varietatem, & quotidie enascentes conventionum formulas, in quibus mora committi potest. Quod si verum est, eaque cauta ut sufficiens ad tollendam definitionem admittitur, neque quid ipsa actio, conventio, pactum, aut contractus sit, scire poterimus. Quocirca Prateyus ita definit. *Mora est culpa pratermissi officii in solvendo, recipiendove debito, qua alteri nociva est. Vel. Est frustratio debitoris non solventis, vel creditoris non accipientis.* Nam species Moræ duæ sunt, quarum una in debito non præstito, altera non accepto versatur. Iterum dupliciter fieri potest, in re, & personâ. Persona dicitur in morâ esse, quando debitor opportuno loco, & tempore à creditore interpellatus, cum possit, non tamen solvit. *l. Mora 32. tit. de usuris.* Re ipsa verò, cum ipso jure, ac temporis lapsu sine ulla creditoris interpellatione obligatio solvendi debitorem monet. *l. Sed etsi 23. de solut.* Nam dies ipsa solutioni præfinita satis interpellat, moramque inducit efficaciter, nisi satisfiat. *l. Magnam. C. de contrahen. & committen. stipulat.* Lex quoque instat, & monet sine hominis facto: adeoque si non præstetur debitum, moram incurris, & damnum. *l. fin. §. prater ea. C. de iure dotium.* Cæterum quæri potest, una, an plures interpellationes neces-

sariæ sint pro culpabili mora. *Tholos. l. 21. c. 14. n. 4.* unam sufficere docet, modò legitime facta sit. *l. Quod te. tit. si cerium petatur. l. Si ex legati causa. de verb. obligat. eod.* Addit, creditorem quoque culpæ reum, & damni fieri, quando à debitore oblatum debitum, & depositum legitime suo loco, & tempore, non accipit, cum possit, ac deberet prudenter agendo: quo in casu sibi ipsi iniquus, & nocivus est, debitor autem officio suo præstito ab omnibus quæ sequuntur, incommodis ac damnis liberatur. *V. Tholos. l. cit. n. 5.*

III. Amplia 1. ut valeat etiam, quando difficultas aliqua vel impedimentum obstat solutioni. Nam si ejusmodi fuerit, ut prævideri possit, nihil conducit ad excusandum. *l. pen. tit. de iure dot.* quemadmodum nec excusat, si te aliquid certò curaturum promissisti, quod talibus promissis non debet, aut potest quælibet difficultas obistere. *Barr. cons. 226.* Quod verò aliqui extendunt etiam ad impossibilitatem generis, & quantitatis, quasi horum obligatio nunquam intereat, juxta veritatem Theologiæ Christianæ admitti non debet. Absolutè enim, & omnimodè ad id, quod impossibile est, nemo obligatur, ex *Reg. 6.* superius explicata, & *Silvestrum in V. Facere.*

2. Ut valeat, quamvis res ipsa, quam debebas, casu, aut culpa alicujus perierit intra tempus purgandæ moræ concessum. v. gr. Cum non reddidisses equum die constituto, unum mensem, ut moram purgare posses, indulgisti intra hoc spatium equus perierit, ad æstimationem equi teneris, *l. Sancio.*

l. Sancimus. C. de fideiussor. Less. c. 16. d. 6. n. 1. & seqq.

3. Quamvis debita reseodem, quo apud debitorem modo v. gr. incendio apud creditorem periisset. *l. Cum res tit. de legatis. l. filio famil. §. si post. tit. de solu. matr.* si post divortium res deteriores factæ sunt, & vir in reddenda dotemoram fecerit, omninò detrimētum ipse præstabit: Adde, fructum rei quoque seu interesse, prout à Iudice decisum fuerit.

4. Quamvis creditor in monendo & exigendo post contractam moram parum diligens fuerit. Nam post acquisitum jus ex mora nihil ei imputari debet. *l. Merito. tit. de vi, & vi armatâ.*

5. Quamvis debitum ex parte solummodò liquidum sit. Nam mora secundum illam partem, quæ liquida est, committitur, si ad interpellationem creditoris debitor non solvat. *l. Qui solidum. tit. de leg. & fideicom. 2. ubi dicitur, si partem (fideicommissi) solvi sibi desideraverit, neque acceperit, in ea moram passus intelligitur.*

Denique mandatum, quod tempore limitatum erat, propter cessationem & moram debitoris perpetuum efficitur. *l. Si mandato. §. ille illi. tit. Mandati. ubi Gloss.* Mandatum tempore finitum mora fit perpetuum: ne causa sua propter quam, stante ipsum concidat, & mandantis intentionem fallat.

IV. Objic. 1. Si is qui promisit exhibere equum ex. grat. certo tempore moram primò faciat: postea verò quasi respiciens exhibeat, culpam diluisse, at veniam mereri videtur. Mora igitur illi tunc nociva non est. *l. Cel-*

sus tit. de arbitris. ubi dicitur, si oblatum accepit (creditor post moram) penam petere non potest, doli exceptione removendus.

R. Equitas in contractibus exigit, ut veniam mereatur, qui in præstando negligens est, indeque nihil damni emergit: si quis igitur post terminum elapsum promissioni suæ satisfaciatur ignoscere possumus tarditati, ex quâ res nostræ deteriores factæ non sunt.

Objic. 2. Titius emptor, venditorem interpellat, ut rem tradit, is verò moram facit: iam nunc culpabilis est. Si tamen postea offerat, ego verò recipere nolim. mora illi non amplius nociva censetur. *l. Illud sciendum. tit. de periculo, & commodo rei vendita.*

R. Cum uterque contrahentium peccat, hebræus hebræo, latro latroni jungitur, & paria delicta mutua compensatione tolluntur. *l. viro, atque uxore. tit. solu. matr.* æquum verò est cæteris paribus ultimam moram attendi, nisi in priore dolus intervenerit. *l. Si per emptorem. §. ult. tit. de actionib. empti, & venditi.*

Objic. 3. pater ex mora filii sui obligatur. *l. Cum filius fam. tit. de verb. oblig. fideiussor ex mora principalis l. mora eod. tit. socius ex mora socii. l. de duob. reis. l. In condemnatione. tit. hoc. tit.* Vnde sequitur, non suam cuique, ipse alienam quoque moram obesse.

R. De patre & filio mirum videri non potest, quæ in eiusmodi rebus civilibus pro una persona habentur. *l. fin. C. de impuberum, & aliis substit.* Fideiussor autem intelligitur in omnem

causam fidejungere. *l. Si fideiussor. tit. de fideiuss.* quæ sit de natura actionis. Sociorum denique commune periculum; commodum & incommodum est, & sibi quisque imputare debet, qui parum diligenti socio se conjunxerit. *Instit. de societate. §. fin.* Qui parum diligentem socium sibi assumit, de se queri, sibi que hoc imputare debet.

Objic. 4. Cajus me injusto metu coëgit ad tradendum illi equum meum, adeoque in morâ constitutus est, non

reddendo, quod iniquè possidet nihilominus si casu aliquo, seu fato equus perierit, ab onere restituendi illum liberatur. *l. Sicum. §. 1. tit. mandati.* ergo mora aliquibus non est damnosa.

R. Quamvis à reddenda specie, seu equo ipso, qui periit restituendo liberetur, non liberatur tamen ab æstimatione seu pretio: & præterea poenam tripli solvere cogitur. *§. Tripli. Instit. de action.* Nihil igitur lucri ex mora sua trahit. *V. Socinum in reg. 328. & seqq.*

REGULA XXVI.

Ea, quæ fiunt à Iudice, si ad eius non spectant officium viribus non subsistunt.

I. Idem penè verbis *Ulpianus in l. seu Regula. l. C. 132.* dixit olim factum à iudice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est. Nam quæ geruntur à iudice, vim & effectum sortiuntur ab officio ipsius, & jurisdictione: hoc igitur sublata corrumpant omnia, necesse est. Ad quod declarandum *Glossa* utitur exemplis in speciem, & ad literam impertinentibus. Nam 1. simplex presbyter ait, ordines conferendo, chrismando, Virgines consecrando nihil agit. *c. Quorum vices. d. 68.*

2. Indulgentiæ ab Episcopo datæ ultra tenorem Conc. Generalis validæ non sunt. *c. Indulgentiæ de poen & remiss.*

3. Simplex Sacerdos, Archidiaconus, Decanus, vel Cantor, non tamen Episcopum ordinavit aliquem in Diaconum proferendo verba aliàs consue-

ta. Talis non est, nec agnoscitur pro Diacono propter defectum potestatis *Ita Gloss.* Verè quidem, sed non ad primarium Regulæ finem, ac scopum: nisi sub *Judicis* titulo quamlibet potestatem intelligas cum *Caramuel. in Theol. fundam. p. 242.* Igitur Dyni exemplis utamur. 1. Si iudex Laicus condemnaret aliquem, quem constat clericum esse, & non de jurisdictione sua, non valet ipso jure sententia. 2. Idem dicendum, si contra laicum pronuntiat sententiam, cujus competens iudex non est. 3. Si tempore feriarum iudex processit, utraque parte non consentiente, ipso jure non valet sententia. 4. Invalida dispositio est, si iudex pupillo sibi non subiecto tutorem dederit, & vicissim, si pupillo subiecto non subiectum tutorem. *l. scire oportet. §. fin. tit. de excusat.*

fat. tutorum. Ita ferè Dynus, subjun-
gens Regulam intelligendam esse de il-
lis tantum, quæ constat, non pertinere
ad officium Iudicis. Nam in dubiis pro
iudice præsumitur, ad munus cuius
spectat examinare ea, quæ ad suam juris-
dictionem pertinet. *c. super literis, de rescr.*
l. si quis aliena. l. 15. tit. de iudic. & interim
gesta valent per eum mero jure. *Barb.*
hic ex communi. Addit *Panorm. in c. Su-*
per literis, cit. Iudicem ideo suspectum
non fieri, quod non ingerit se, sed quod
sui muneris est, facit juxta *l. 2. tit. si*
quis in ius vocetur. c. Qualiter, & quando.
de accusat. Ista tamen suas exceptiones
habent, quemadmodum in Auctoribus
apud *Dynum* citatis reperiri in addi-
tionibus *lit. E. f. 261. V. Gaill. l. 1. obs. 34.*
Roderic. tom. 11. q. 14. art. 3. §. Adversen-
dum tamen.

11. Amplius ut valeat tam in extra
judicialibus, quam in judicialibus ju-
dicis auctoritate expediendis. Cuncta
enim quæ hujus generis sunt, à legitima
judicantis potestate pendent. *Anchoran.*
hic. col. 2.

2. Ut valeat non solum, quando ab-
solutè quippiam definit iudex, sed et-
iam, quando modum consuetum non
observat in citando, examinando, reci-
piendo testes, & similia. *Gaill. l. 1. obs. 48.*
& 54. Idem de loco & territorio di-
cendum.

3. Ut valeat etiam contra statutum,
de non opponendo ullam exceptionem
quia exceptio iudicis incompetentis
etiam post tres sententias conformes
opponi potest. *Gaill. l. 1. obs. 42. n. 12.*
Gloss. in Clem. 1. de sequestratione posses-
sonum. Decius Consil. 520. n. 12.

4. Ut extendatur ad supremos
Principes, & iudices. Nam si Papa
limites potestatis suæ prætergressus
sententiam ferat in paganum aliquem,
& infidelem Dynastam, vel populum
defectu potestatis non subsistet. *Silv.*
V. Papa. num. 7. Item si Imperator
quamvis pio affectu circa personas,
vel res Ecclesiasticas etiam cum ma-
gno emolumento disposuerit, nul-
lum robur habebit. *c. Verum. c. Im-*
perator. dist. 96. Gaill. l. 2. obs. 32.

5. Quamvis partes in latam senten-
tiam consentiant, non ideo rata, &
valida erit, quod non ad partium vo-
luntatem, sed iudicis auctoritatem, &
potestatem attendimus. Si autem de
eadem re pactum inire voluerint, ju-
ra minimè resistunt, cum nihil hinc
detrimenti timendum videatur.

6. Denique si cum *Gloss.* extendere
velis ad alios etiam non iudicis, qui
qualemcunque potestatem habent, la-
tissimum campum aperies, sed absque
fructu, & præter intentionem Regulæ,
ut supra monui.

III. Obi. Sententia excommunica-
tionis etiam injusta metuenda est. *c. Quis-*
bus. Episcopi xi. q. 3. Ergò non semper
invalida est actio impertinentis iudi-
cis.

R. in citat. cap. sermo est, quemad-
modum *Gloss. notat.* de sententia ex-
communicationis, quæ est justa ex or-
dine judiciario, sed aliunde con-
stat eam injustam esse. Timenda er-
gò dicitur, tum propter auctori-
tem iudicis, pro quo in dubiis
militat præsumptio, tum propter
execu-

executionem, quæ apud ignaros cursum suum habet, & plurimum nocet etiam innocentibus.

Obj. 2. In *l. Capitalium. §. famosos. tit. de pœnis.* statuitur, ut qui deliquerunt, in locum delicti remittantur, ut in solatium, & satisfactionem eorum, qui læsi sunt, in præsentia illorum castigentur; nihilominus Iudex raptorem

virginis non remittens nulla pœna afficitur. *l. un. C. de rapto Virg.*

R. Ita specialiter sancitum est odio raptus, quia crimen est, nec quoad malitiam internam simplex, nec quoad familiæ perturbationem & innumera damna. Iudex igitur non remittens raptorem, quæ muneris sui sunt, exequitur, & laudem meretur.

REGVLA XXVII.

Scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus.

I. **C**oncordat illi *l. c. 187. Nemo fraudare videtur eos, qui sciunt, & consentiunt.* Nam qui injuriam ad animum suum non revocat, de relinquere, & contemnere censetur. *§. ult. Inst. de iniuriis.* Pro explicatione notandum est, 1. copulativè dici, *scienti, & consentienti*: quod nihil obstat, quò minus scienti injuria fiat, quemadmodum contingit omnibus, qui in manus latrocinantium incidunt, quos nihilominus injuriam pati, manifestum est. Similiter consentienti & non scienti injuria fit, puta amenti, vel impuberi. 2. Quid hic *dolus* vocetur, nimirum omnis calliditas fallacia, machinatio ad circumveniendù, & fallèdum alium adhibita secundùm *Labeonem. tit. de dolo malo. l. 1. & 2.* 3. Quod dicitur *scienti* intellige, vel de actuali cognitione, vel debito habendi illam. Nam qui ignorat, quod scire debet, excusationem non meretur *cap. 1. de postul. Prælator.* 4. duas esse partes Regulæ, uti *Dynus*

observavit. Vna est *Scienti, & consentienti non fieri injuriam: altera Scienti, & consentienti non fieri dolum*, eo scilicet modo, ut inde actionem habeat passus, aut deceptus.

Exemplum sit *i. si ingenuus* cum serva matrimonium contraxit liberè, sciens servam esse, non potest excipere dolum vel injuriam, *c. si quis ingenuus. & c. si femina. 29. q. 2. 2.* Si duo clerici etiam in majori ætate se invicem jocosa levitate percusserint, neque injuriam inferunt, nec excommunicationem incurrunt. *c. 1. de sent. excommun. 3.* Qui domum emit, sciens servitutem debere, de ea non habet exceptionem, sed sibi imputet. *l. 1. tit. de actione empti, & venditi, ita Gloss.*

II. *Amplia 1.* sive re ipsa sciat, sive præsumptivè tantùm: sive consentiat expressè, sive tacitè. Hæc enim in jure æquantur. *V. Gaill. l. 2. obs. 98. n. 21. Barbos. in axiom. 218.*

Amplia 2. Sive scientia, & consentus,

fas, præcedat, siue sequatur, contra opinionem *Glossæ, Dyni,* & aliorum quorundam. Nam qui annos pubertatis excessit, & ratificat contractum in minori ætate dolose in initum sciens & volens censetur remittere injuriam illius, non faciendo ut nulla fuerit, (*hoc enim impossibile est*) sed auferendo sibi ipsi jus de injuria conveniendi alterum.

Amplia 3. Quivis consensus propter vehementem aliquam passionem amoris, aut timoris minus liber fuisset. Hinc mulierum, quæ vi amoris inducæ matrimonium cum hæreticis viris inierunt, dotes cum omnibus maritorum bonis confiscantur, ut sibi impudent, quæ consenserunt. *Gaill. l. 2. obs. 84.*

Amplia 4. Ut non censeatur injuriam passus, licet ultra dimidium in contractu læsus sit, quod remedium. *leg. 2. c. de rescin. venditione.* concessum non competit venditori, qui rerum suarum pretium, & valorem nosse debet. Ipsi ergo culpa dolus accidit, non alterius. *Gaill. l. 2. obsery. 29. n. xi. Alex. l. 5. Confil. 125. Fachin. l. 2. c. 20.* Idem de filio dicendum, qui cum scientia, & consensu legitimæ suæ renunciavit, vel querelæ inofficiosi testamenti. Non poterit enim postea de recuperando agere. Idem de quolibet, qui injuriam condonat, ita tamen, ut non putetur simul remisisse damna, & interesse, de quo *Mynsing. Centur. 4. obs. 10.*

Amplia 5. ut neque ad pretium rei alienatæ agere liceat. Nam si dominus feudi Vasallo rem alienanti consentiat, pretium illius repetere non potest ut *Baldus. & Alex. ad l. dotalem. tit. solu. matr.* responderunt. Nam desunt ta-

men, quibus contrarium placeat apud *Peckium hic.*

III. Obj. 1. Qui Clericum suadente diabolo percutit, quantumvis liberè volentem, excommunicatus est. *c. Si quis 17. q. 4.* ergo sciens, & volens injuriam pati potest: Idem & multò clarius apparet in Martyribus, adeoq; Salvatore nostro Christo, qui non tantum volentes, sed etiam gaudentes susceperunt injurias, & mortem.

R. Privilegium Canonis, *Si quis, &c.* non concernere personas immediatè, sed ipsum Ordinem clericalem. Huic propterea injuria fit, quando clericus æditur.

Adde, quod Regula consensum validum requirit, qualis in Clerico percusso non reperitur, quod non licet illi renunciare privilegio suo, & dare licentiam aliis ad sui verberationem. *Caranuel Theol. fundam. num. 668. & 824.* Quòd Christum, & Sanctos martyres attinet, cum gaudiò sustinuerunt tormenta, ut pervenirent ad æternam gloriam, neque consenserunt in lævitiam, & injuriam sibi factam, sed designatam à Deo, & præparatam à Tyrannis mortem hilari acceptarunt animo, conformantes se divinæ voluntati. Hinc dicitur *Sap. 5.* Stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, quæ videlicet non tesserunt jure suo ad expetendum pœnas à Tyrannis injuriam facientibus. *Silv. V. Consensus. n. 2. Less. c. 7. d. 3. n. 14.*

Obj. 2. Monachum vel monialem semel, iterumque habitu abjecto egresam Monasterium recipere tenetur, nec objicere licet. Sciens volens destrui

N

ruisti

ruiſti nos, ſi viciffim deſeramus, non facimus injuriam tibi. *c. Pervenit. 27. q. 1. c. quidam monachi. 16. q. 1. R.* Si monialis reſipifcens agnito errore ſuo admitti petat, hujus bonæ voluntatis, non prioris malæ habenda ratio eſt: ſi autem retrahitur invita, animæ ejus conſulitur, ne æternum pereat. Et quæ hoc ab Eccleſia ſic conſtitutum eſt favore totius Ordinis Monafterici, quemadmodum clericali privilegio renunciare clericus non poteſt, ita nec Monafterico moniales. Quamvis igitur ipſi fugitivæ non fieret injuria, deſerendo & abjiciendo illam ſic volentem, fieret tamen Ordini, qui habet jus oviculas ſuas etiã invitas colligendi, & reducendi. *V. quæ diximus in part. 1. tit. 17. §. 2. & 3.*

Obj. 3. De illis etiam, quæ abſque ignorantia, & dolo largiti ſunt Imperatores, conqueruntur, quaſi dolo & injuria circumventi. *l. 1. C. de petitionib. honor. ſublatis.* Fieri igitur injuria poteſt ſcienti, & volenti.

R. Imp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius in *l. citat.* in verecundam in quibusdam honorum inhiationem, & importunitatem accuſant, quo factum, ut aliqua non concedenda concederent. Vnde colligimus deſuiſſe ſcientiam ſufficientem, & liberum conſenſum Injuriam igitur faciunt, & dolose agunt, qui nimia importunitate, & reticentia veri Principum animos ſollicitant, & ad largiendum impellunt. Paria enim cenſentur, per importunitatem concedere, & coacte concedere. *s. Audacter. 8. q. 1. Gaill. l. 2. obſ. 58. ubi n. 5.* monet, reſcripta Principum tacitam hanc clauſulam continere *ſi preces veri-*

tate nitantur. c. Sedes. & c. Si quando de reſcript.

Objic. 4. Qui motu coactus damnoſam hæreditatem adiit, in integrum reſtituitur. *l. Si mulier. §. Si metu. tit. de eo. quod metuſ cauſa.* quod ſignum eſt, injuriam paſſum eſſe, licet ſciens volens egerit.

R. Licet metuſ non tollat voluntarium ſimpliciter, ut cum Ariſtotele communiter Philoſophi & Theologi agnoſcunt, tamen quia plurimum minuit ratione ſubjecti, & cauſæ impellentis, juris æquitate metuſ paſſis indulgetur, ut reſtitui poſſint beneficio clauſulæ generalis edicti prætorii, *ſi qua mihi cauſa iuſta videbitur. l. 1. tit. Ex quib. cauſis maiores. VVeſenbec. in l. 4. tit. 2. Tholoſ. l. 13. c. 4.*

Obj. 5. Raptoribus Virginum pena mortis decreta eſt. *l. Raptores C. de raptu Virginum.* nec licet excipere, quod ſciens volens rapta ſit.

R. Iure civili obtinere legem illam, quæ præſumptione nititur, raptam eſſe invitis parentibus, volentem, & repugnantem, in ſuper vitiatam: Verum, quia oriente veritate præſumptio occidit, quemadmodum pluribus demonſtrat Andr. Gaill. *l. 2. obſ. 97. num. 16.* cum ſufficienter conſtiterit puellæ vim nullam illatam eſſe, ſed potiùs in abductionem ſuam liberè conſenſiſſe, citatæ legis pænæ locum non habet, manetque Regulæ, quam verſamus, inconcuſſa veritas, ſcienti, & conſentienti non fieri injuriam. *V. Jul. Clar. §. ſin. in V. Raptus. Sanch. de Matr. l. 7. diſp. 13. Coninck de Sacram. diſp. 31. dub. 4.*

REGV

REGVLA XXVIII.

Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

1. **V**ide, quàm ad amussim *Paulus* I. C. in *Regula* 183. Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentiam. & l. *Quod verò. tit. de leg.* Sunt enim odiosa c. *Sanè. de privileg.* adeoque non amplianda, sed contrahenda. c. *Odia* supra. Exorbitare dicuntur, quæ ab orbita, seu via communi descedunt, quod S. Scriptura vocat, declinare ad dextram, vel sinistram: cujusmodi sunt dispensationes, privilegia, & statuta juri communi contraria, quæ in consequentiam, hoc est, alias personas, & similes casus non debent extendi. *Exempla* peti possunt ex *Reg. 15.* Superius explicata, ubi diximus, Ea restringenda esse, quæ quia *Juri communi* adversantur, odiosa sunt. Exemplum *Gloss. est ex c. Quanto de iudiciis.* Laicis quamvis incapaces sint juris spiritualis & illi annexorum, concessum est, ut possint jus patronatus possidere, quatenus ipsi inducerentur ad fundandum, ædificandum, vel dotandum Ecclesias; illud privilegium verò non debet in consequentiam trahi ut etiam causarum spiritualium iudices fiant. Aliud exemplum sumit ex *Bonifacii VIII. Bulla*, tunc recens edita quæ incipit, *Super Cathedram præminentia Pastoralis*, & habetur in *clem. Dudum. de sepult.* ubi Minoribus, & Prædicatoribus facultas

conceditur in locis suis sepeliendi eos, qui elegerint apud illos sepulturam, & non teneantur de funeralibus, & quibuscunque obventionibus, nisi quartam partem Parocho dare. Hoc privilegium vi illius *Extrav. neque Carmelitis*, neque Augustinianis competit per *Regulam, Quæ à iure communi, &c.* Dyni exemplum notissimum est. Aliquis non legitimè natus impetravit, ut valeat promoveri ad beneficium, etiam curatum. Virtute illius dispensationis non potest habere, nisi unicum beneficium, c. *1. de filiis Presbyterorum.* Addit *Canisius.* Cui dispensatio facta est ad dignitatem, vel beneficium Ecclesiasticum nulla mentione facta curati beneficii, non potest ad curatum admitti, nec ad plura beneficia, quam unum, quod dispensatio in utroque casu lædit jus commune. Quo spectat illud *Pomponii* in l. *patri. 20. tit. ad l. Iuliam. de adult.* Patri datur jus occidendi adulterum simul cum filia, quam in potestate habet: itaque nemo alius ex parentibus idem jure faciet, sed nec filius familias pater. Cùm enim id juri communi adversetur, ad alios parentes minimè transferri debet juxta tenorem hujus *Regulæ.* *Fachinus* l. 7. c. 28. *Suar.* l. 6. de leg. c. 3. *Rodr.* 1. q. 55. art. 18. V. *quæ dixi de extens. legum in Prolegomen. §. 7.*

N 2 II. Vnde

II. Unde colligitur, Regulam ampliandam esse. quævis eadem ratio, & causa videatur in uno, & altero. Nam consequentia non admittitur. Permissum, ex. gr. Principi est, nominare Prælatum pro hoc loco propter necessitatem, licet ergo simul pro alio, ubi eadem necessitas est.

Amplia 2. imò licet ratio, & causa major sit. Poena suspendii constituta est illis, qui pecuniam injustè aliis eripiunt: non inferes benè. Simili modo, & magis puniendi sunt, qui alios honore & æstimatione sua iniquè spoliât per calumniam, aut detractionem. Adde, hinc deficere illud, cui licet, quod plus est, multò magis, quod minus est, licere debet. *inf. reg. 53.*

Amplia 3. ut concessio non extendatur ad omnia, quæ in actu, vel negotio continentur. Adulterii crimen ex. gr. quinque annorum spatio præscribitur, *l. Adulter. C. ad l. Iuliam. de adult.* At si conjunctus incestus sit, ad eum non extenditur. Item si quid statutum fuerit contra Ecclesiam Parochialem propter interesse publicum, non debet applicari Ecclesiæ Collegiatæ, quæ simul Parochialis est. *c. Canon. c. statutum. de elect. in 6.*

III. Hinc excipiet ea, quæ statutuntur, vel disponuntur ad pias causas;

quales sunt pro religione pauperum alimonia & similibus.

Item quæ salutem animarum concernunt: in quibus extensio ad similia, aut paria facile permittitur, modo non præjudicet in aliis. *Barb. hic. Quocirca Peckio* teste à libertate ad piam causam, à pia causa ad alimenta, à dote ad piam causam, à fisco ad Ecclesiam, à pupillo ad rempubl. bona consequentia, & justa argumentatio procedit. *V. Eberh. in Topicis loco 61. 62. 71.*

Præterea admittitur extensio, 1. quando id bonum publicum exigit. 2. in necessariis, & inseparabiliter connexis. 3. in correlativis. 4. in illis, quæ sub communi significatione verborum comprehenduntur. 5. in iis quæ æquiparantur à lege. 6. quando agitur de excludendis fraudibus. 7. quando unum alterius loco surrogatur. 8. quando aliter evitari non potest absurditas, vel incommodum sequeretur ex impedita extensione. Denique si extensionem sibi legislator reservavit.

Atque ex his observationibus omnia quæ objici possent, nullo negotio dissolvuntur. *V. Peckium in Comm. n. 10. & 12. Zerola V. Extensio. Eberh. in loco. A speciali. Azor l. l. 5. c. 16. Silv. in V. Lex. q. 18. Salas de leg. tract. 16. disp. 17. sect. 6. Emm. Sa in V. Gratia. Franc. Marcum. decis. 491.*

REGULA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

I. Sumitur ex *l. fin. C. de auctoritate serv. rust. prædiorum.* Nec obscura ratio est, quod alteri per alterum iniqua conditio

conditio imponenda non est. *l. Nondebet alteri. tit. hoc. tit. Diaz. in Reg. 105.* neque id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri. *l. Id quod nostrum. tit. eod.* Sed intelligenda Regula est de iis causis, & negotiis tantum, quæ ita singulos, ut uniuersos tangunt. In aliis manifestum est, maiorem vel sanio rem partem ex omnibus sufficere. *Duen. in Reg. 294.* Exemplum habes in concedendo iure aquæ ducendæ, ubi omnes vocandi sunt, qui ius habent. *l. In concedendo. tit. de aquâ pluui. arc.* Similiter in adoptione faciendâ adesse omnes convenit, & auctoritatem præstare, quod omnes concernit. *l. fin. C. de auctoritate præstanda.* Vide *Glossam*, sed non crede, quod addit, Monachis professis, qui renunciauerunt propriæ voluntati, austeriorem regulam imponi posse, etiam ipsis non approbantibus. Neque enim pro omni iugo ferendo propriæ voluntati renuntiant, sed pro iis quæ in Regula Ordinis continentur. Vnde quilibet cum *S. Bern. l. de præc. & dispens. dicere potest.* Vota mea Prælati nec augeat, sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. *Silv. V. Obedientia. nu. 12. Less. c. 46. dub. 5. Suar. tom. III. l. 10. c. 8.*

II. Amplia I. & extende ad causas piæ, cuiusmodi est iniurias remittere, pia legata facere, exequi testamenta, & ultimas voluntates. In his si non tua solius res agitur, convenit aliorum consensum requirere, ne cuiquam præjudicetur.

2. Ad favorabiliâ: cuius generis est legitimatio filii naturalis, qui in successionem parentum, & consanguineo-

rum non admittetur, nisi omnes consentiant. Omnium enim interest, quis vel qui in bonis succedant. *Gaill. l. 2. obs. 140.*

3. Ad absentes, qui vocandi sunt, ut cum reliquis sententiam dicant, vel suffragium ferant, quemadmodum in *Summ. part. 1. dixi. tit. 6. §. 2. de elect. c. Quia propter. eod. Anton. Cucubus. l. 1. instituit. tit. 7.*

4. Ad ea quoque, quæ valde commoda & utilia videntur. Domum ruinofam, quæ communis tibi est cum sorio, restaurare cogitas. Utilitas manifesta apparet. Non facies tamen absque consensu focii, qui concernit illum. Quid enim si nummi desunt pro contribuendo? Licebit tamen absque ipsius damno, si nolis postea actionem intendere. *l. ex duobus. tit. de negot. gestis.*

Obj. I. Monialibus etiam invitis (*de Monachis ead. ratio est*) arctior clausura, & vivendi modus imponi potest, & à Bonifacio 8. imperatur in *c. Periculo. so. de statu Regularium in 6. iun. Gloss.*

R. In citato cap. non imperatur novus vivendi modus, sed laxa manica restringitur, hoc est disciplina regularis circa solitudinem, & clausuram monasteriorum ad primum institutum revocatur *Conc. Trid. sess. 25. c. 1.* Neque verum est, quod *Gloss.* ut certum sumit, alium modum, quàm in professione sua voverint, Monachis obrudi posse ut *n. 1. indicavi, & latius in Summ. part. 1. tit. 15. §. 7. dub. 1. de reform. Ordinum. V. Roder. II. q. 74. art. 2.*

Obj. 2. Vt servus plurium ad clericatum admittatur sufficit unius domini

ni consensus, quamvis aliorum idem jus sit. *l. Nullus dist. 54.*

R. Ita quidem *Gloss.* loquitur: textus autem sit habet. Nullus autem Episcoporum servum alterius ad clericatum promovere præsumat, nisi fortè eorum petitio, aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eo vindicant potestatis. Vides non dici *unius*, sed *eorum* omnium scilicet quos concernit.

Obj. 3. Si civitas frumentum superfluum habeat, cives cogit ad emendum illud, & si indigeat, ad vendendum cogit. *l. Vn. C. Ut nemini liceat in emptione specierum se excusare.*

R. Magna, & communis necessitas non audit leges, sed ad subsidium cogit etiam nolentes. Cum enim quilibet civis Reip. membrum sit, ad totius corporis incolumitatem conservandam jure naturæ obligatur. Nullo igitur consilio, aut consensu opus est, sed sola officii recordatione, in quo præsumitur observantia. Hinc nulla rusticis injuria fit, quando in civitatem compelluntur inferre, quæ ad victum necessaria sunt, nisi fortè hoc ipsis valde damnosum foret, & alio medio levare inopia posset. *V. Sosinum Regula 435.* Vendere rem suam nemo compellitur, cujus enumerat 58. fallentias inter quas 14. est si resp. velit compellere cives ad emendum frumentum, quod habet superfluum.

Objic. 4. Si duo fratres vel socii habeant unum, & indivisum agrum, potest unus totum colere, & seminare, licet alter contradicat, nec tenetur ei fructus exhibere.

R. Cum ager per se ad frugem de-

stinatus sit, nec aliud obstat, contraria unius voluntas pro nulla, & facta habetur, nec alius consensus, quam communis omnium benèvolentium requiritur. *Franc. Duen. loc. cit. Alagata in c. Cum omnes de Constit.*

Eadem resolutio ad aliam similem objectionem servit. In locum communem absque aliorum consensu, mortuum inferre licet. Cum enim sepulchri jus commune sit, contra pactum conventum nititur, qui resistit, & uti volentem socium impedire conatur: adeoque ipsius dissensus pro nullo habetur. *V. Decium in l. Si socius. tit. si certum petatur. & alios apud Duen. l. cit.*

Objic. 5. Quando hæres debitoris obæratu hæreditatem adire recusat, nisi creditores partem debitorum remittant, iudicio majoris partis statur, quæ si remiserit, aliorum nulla habetur ratio, si dissentiant.

R. *Everardus Bronchorst. Centur. 4. assert. 91.* Idem major pars creditorum præjudicat minori, quia agitur de liberando debitore. Vnde favore liberationis conventio illa reliquis nocet: licet alioqui in his, quæ sunt communia pluribus, ut singulis, factum majoris partis non sufficiat. Ita ille. Dici etiam potest idem hic, quod in omni communitate locum habere, ut maior pars prævaleat: idque tacita quadam conventionione, ut quæ in contrarium attentantur, pro irritis habeantur: quandoquidem plures ex omnibus certa ratione inducunt ea constituunt, quæ prodesse eunctis queant.

Neque obstat, quod de proprio uniuscuiusque commodo videatur agi: quia

quia hæredis exceptio, & damnum imminens ex hæreditatis neglectu causam communem facit, & periculum, cui avertendo conspirare in unum omnes debeant.

Objic. 6. Fiscus habens cum aliquo privato rem communem, invito illo alienare eam potest, quamvis minimam

partem obtineret. *l. Multum. C. de comm. rer. alien.*

R. Fiscus hęc, ut aliis in multis privilegiatus est, & independenter agit, nec tamen præiudicialiter. Commodius enim multò omnibus est, rem totam, quàm illius partem distrahere. *l. Mavus. tit. famil. ercise.*

REGVLA XXX.

In obscuris minimum est sequendum.

I. Idem verbis in Reg. I. C. 9. dicitur, *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Cujus rei duas causas invenio. Prima est, quod minimum in maximo continetur, maximum verò à minimo abesse potest. Qui ergò minimum sumit, in dubio quo aliud de voluntate disponentis non habetur, nequaquam errat. Altera est, ne quisquam gravetur, aut plus iusto præstare cogatur contra disponentis voluntatem. Titius disposuit in testamento, ut Cajus haberet 10. urnas vini non determinando genus, & locum: Bambergenses autem putantur majores esse Herbipolensibus: In dubio accipiet Herbipolenses, ne hæres nimium gravetur. Aliud exemplum de nummis *Glossa* ponit. Si legentur 100. scuta, seu daleri, posito, antiquos esse majores, non habebit illos in dubio, cui promissio facta est, sed novos, quorum valor, & spatium minus est.

Eadem *Gloss.* monet, in dubiis ejusmodi eventibus non attendi primo, quid sit maximum, vel minimum, sed quid sit verisimilius attenda rei natura,

consuetudine loci, & similibus: deinde ad id, quod expressè, & quod tacite agitur: denique, quid minimum sit idque in rebus quantis. In speciebus enim, & artificibus *Medium* attendere oportet. In pœnis quoque, & contractibus Regulam habere locum. *Dynus ait.* Vnde apparet latitudo Regulæ, quam idcirco.

11. *Amplia 1.* & extende ad Contractus. Qui promisit frumentum dare, oleum aut triticum, non quod præstantissimum exhibere tenetur, sed satisfacit, dando quodlibet. *l. 3. tit. de tritico & vino legato.* imò si dederit granum vel guttam, ut *Coninck* loquitur *disp. 21. de sponsal. dub. 3. n. 24.* Item, qui promisit Canonicis S. Jacobi singulis annis dare 20. aureos, ita ut singuli duos habeant, aucto Canonicorum numero non tenetur superaddere, ut qui recens accesserunt, tantundem accipiant.

Amplia 2. ad testamenta, & legata, ut supra insinuavi. Vbi obscuritas esse potest in quantitate, qualitate, numero, ac similibus. Sequeris ergò minimum.

Amplia 3.

Amplia 3. ad sententias iudicum, & arbitrorum. Nam ex tribus iudicibus si unus reum condemnarit ad 20. alter ad 15. tertius ad 10. aureos solvendo, huius qui minimum taxavit sententia prævalebit. *l. inter pares. tit. de re iudicata.* In aliis causis diversum sequimur. *V. Decium in reg. 9. tit. §. ult.*

Amplia 4. Ad pœnas & supplicia. Minus hîc infligendum erit, ut tutiores simus. *l. pen. tit. de pœna.* Et si quis condemnatus sit ad pœnam capitalem, de exilio intelligitur. *Panorm. in c. Quanto de iureiur.* Si amputatio manus decreta sit, de sinistra intelliges. *V. Azor. t. l. 2. c. xi.* ubi multis exemplis illustrat.

Amplia 5. ut locum habeat in legibus humanis. Nam de harum interpretatione cum dubitatur, & quæ durior est, nimis incommoda tibi rationabiliter apparet, eam amplecti poteris, quæ minor, & mitior est. *V. Salas de leg. d. 10. sect. 2.*

Amplia 6. ut locum habeat in conflictu opinionum. Quamvis enim in dubio communior sequenda sit, ita ut temerarius existimetur, qui contra eam iudicat, fallit tamen, quando nimis rigida est. *Iason ad l. placuit. C. de iudiciis.* Plura de opinionum delectu invenies apud *Bonacina tom. 2. d. 2. q. 4. p. 9. Laym. l. 1. r. 1. c. 5. Busenbaum l. 1. r. 1. c. 2. & 3.*

Amplia 7. Ut valeat in quolibet occurſu plurium malorum. Si uxor ducenda est, quare minimam, non corpore sed vitiositate. Si iter faciendum, equum, vel navim inquire. Denique cum expiare peccata tua hîc, vel in altera vita debeas, elige hîc algere, quàm

in Purgatorii flammis sudare. In peccatis si ullam eligi posset, idem diceretur. Nunc autem quod nullum eligi potest, cum offertur optio mortem temporalem potius, quàm Dei offensam eliges. *c. Duo mala. dist. 13. V. Henric. l. 12. c. 6. Rosignol. de perf. Christ. l. 2. cap. 21.*

III. Obj. 1. Si plures simul eiciendo trabem occiderint hominem, omnes pariter lege Aquilia tenentur. *l. Item Mela. §. si plures. tit. ad leg. Aquiliam.* Item in dubio, habueritne quis animum occidendi, an iniuriandi, non præsumitur, quod minus est animum iniuriandi, non verò occidendi habuisse. *l. 1. c. de sicariis. l. si non convitii. C. de iniur.*

R. Certitudo facti dubium, & electionem tollit. Cum ergò omnes pariter id egerint, unde secuta mors est, non habet argumentum ullum Iudex diversam sententiam proferendi. Cunctos ergò simul eadem lege teneri pronuanciat. De animo iniuriandi, vel occidendi ex circumstantiis facti iudicandum est. Si modus aggrediendi crudelitate involuit, nulla causa est, cur benigniore iudicio reus afficiatur. De his ergò, & similibus non facile est certam Regulam præfigere. Arbitrium iudicis terminabit.

Obj. 2. Multæ leges extant, in quarum aliquibus id, quod maximum est, præfertur, in quibusdam medium, in quibusdam nec hoc, nec illud.

R. Hinc nihil aliud sequitur, quàm in particularibus multis contineri exceptionem, quæ Regulæ derogat. Quod si examinare volueris, deprehendes ob eandem

eamdem causam, nimirum evitandi periculi, & injuriæ non haberi rationem *Minimi, & Maximi*, ob quam Regula præcipit habendam esse. In donationibus verò, testamentis, & similibus inspicienda est mens, & voluntas auctoris. Cùm enim cuilibet arbitrium sit, lege non obstante, rerum suarum alienationem facere, vel mini-

nimum, vel maximum, vel mediocre poterit eligere. In quibus autem intentio ipsius latet, indaganda erit secundùm regulas de interpretatione legum traditas in *Prolegom.* §. 5. Salvo Regulæ nostræ præscripto, ubi nihil melius occurrit. *V. Franc. Turzanum in Fallentis Regul. Juris. n. 108. Everard. Bronchorst Centur. iv. assert. 99.*

REGVLA XXXI.

Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

Rationem dat Vivianus, quia denunciationes ad hoc fiunt, ut certior quis efficiatur. *l. Item veniunt. tit. de pet. hered.* In casum igitur certificatio cogitur, ab eo, qui certus est. *Pone casum, ait Gloss. c. ult. D. xi. V. sup. c. Si duobus de appellat.* in Archiepiscopo, qui sciens illum excommunicavit, qui appellaverat ad Papam. Item in eo, qui sciebat rem, quam emebat, servitutum debere, quæ non aget ex empto, quanto minoris. *l. i. tit. de act. empt. & venditi.* Addit *Dynus.* Qui mancipia vendunt (de animalibus idem dicitur) edocere debent emptores de vitiis, & moribus illorum: aliàs tenentur actione redhibitoria, vel quanto minoris. Sed si emptor sciat, vel scire possit, non tenetur amplius instruere illum.

Jam verò, quis dicatur certus esse, aliojus rei notitiam, seu sciëntiam habere, non levis quæstio est, etiam à *Peckio* mota, & variis allegationibus discussa. Si

autem Philosophos admittimus, dicent nobis à motivo, seu causa propter quã, defumi posse. Ea causa vel intrinseca, vel extrinseca est. Illa in Moralibus, & judicialibus rarò deprehenditur. Extrinseca consistit in auctoritate dicentium, literis, tabulis, documentis, signis, conjecturis, ac similibus: indeque nascitur varietas cognitionum, ut alia aliam certitudine antecellat.

Certus igitur non continuò est, qui à quocunque homine quippiam audit, & intellexit, sed inspicienda est attestantis dignitas, vitæ conditio, & status, quia multum interest, Davusne loquatur, an heros. Neque sufficit in genere assertum, sed qualitates rei, & accidentia ponderanda sunt. Literæ quoque, & instrumenta authentica sint, oportet. Denique prudentia, & discretio docebit inter dubium, & certum distinctionem. Presumitur autem ignorantia, nisi scientia probata fuerit. *infra Reg. 47. V. Dynum. & Peckium in Reg.*

Reg. iur. 13. Ignorantia facti, non juris excusat.

II. Amplia 1. ut locum habeat in a-
ctibus natura sua malis, ac prohibitis,
ubi alia, quam naturali insinuatione,
vel promulgatione minimè opus est.
Inexcusabilis enim censetur, quicun-
que naturaliter legem cognoscit, & ne-
gligit. *Ad Rom. c. 12. v. 2.*

Amplia 2. Ad iudicia & contractus.
Nam neque trina citatio necessaria est,
cum reus se exhibet: neque emptori vi-
tia rei venditæ aperire tenetur vendi-
tor, si prius nota erant emptori.

Amplia 3. Ad testamenta. Lex enim
non vult eum certiore fieri, qui insti-
tuit illos, quos ipsa vetat institui, præ-
sumens nimirum illi notam esse prohi-
bitionem.

Amplia 4. Ad sententiam iudicia-
lem, & amissionem juris alicujus. Nam
licet sententia per inhabilem iudicem,
qui communi opinione habilis existi-
matur, valida sit, non tamen ut aliqui
tradunt respectu illius, qui ejus inhabi-
litem norat. Similiter gesta per Pro-
curatorem excommunicatum occultè
communiter quidem subsistunt, non
valent tamen respectu ejus, qui scivit
excommunicatum esse. Contractus et-
iam non subsistit respectu illius, qui
sciebat ab inhabili ad contrahendum
factum esse.

III. His tamen non obstantibus
multi casus sunt, in quibus certitudini
accessio fit, idque tum maximè cum
præter cognitionem rei alius finis in-
tenditur. *l. denuntiasse 17. §. quid ergo.
cit. de adult. Barb. in Additam. pag. 169.
ex gr. 1.* Ut reus absens contumax de-
clarari possit, trina citatione vocandus

est, nisi fortè una peremptoria citare-
tur *l. contumacia. tit. de re iud.*

2. Ne præcipitanti accusetur ju-
dex, trinam monitionem præmittit
Clerico, priusquam clericali privile-
gio spoliatur. *c. Contingit. de sent. excom.*

3. Idem faciendum præscribitur an-
te excommunicationem ferendam. *c.
Constitutionem. in 6. eod. Indices sive mo-
nitionibus tribus utantur, sive una pro om-
nibus, observent aliquorum dierum compe-
tentia intervalla. 4. Testes in testamen-
to non adhibentur, nisi rogati, quamvis
de re ipsa satis constet. quod scilicet pro
solennitate sic constitutum est ad ma-
jorem firmitatem. *l. hæredes. §. pen. tit. de
testam. V. Fa. h. l. 2. Controv. c. 35.**

5. Quamvis rem totam iudex co-
gnitam habeat, nihilominus à partibus
informari, & implorari debet, non ut
ignorantia liberetur, qua omnino vacat,
sed ut iudicii processus, & forma serve-
tur. *l. Dies. §. hoc autem. tit. de damno inse-
cto. Qui non postulavit, experiri non potest.
Postulare autè dicimus pro tribunali petere.*

IV. Objicit. Titius à Sempronio hæ-
res institutus filio præterito, probè no-
vit, testamentum inofficiosum, adeoque
nullum esse: hoc tamen ipsi non oberit,
nisi à filio moneatur, & interpelletur.
l. Si filius. tit. de lib. & posth. & ibi Doffores.

R. Cum nemo præsumatur ita rerum
suarum oblitus esse, ut silentio trans-
mittat aliis, dubitare licet hæredi scri-
pto, eum, cui debetur hæreditas, jure
suo cedere, malleque jam obentis si-
lenter frui, quàm de obtinendis in ju-
dicio litigare. Quamdiu igitur nihil in
contrarium movet, jure suo gaudet
Titius, quamvis testamenti vitium non
ignoret. Obj. 2.

Obj. 2. Falcidiam detrahendam esse quamvis optimè nôrit, legatarius, nihilominus de eo admonendus est ab herede antequam faciat defalcationem. *Mynsing. Institut. tit. de lege Falcidia.*

R. Etsi legatarius bene sciat quartam partem de legatis detrahendam esse, non scit tamen, quanta sit bonorum portio, quantaque ea pars quæ demenda est. De hac ergò edoceri debet, idq; ad præcavendas lites, & exceptiones,

quarum proventus est maximus, ubi agitur de discernendo, & dividendo *Meum, ac Tuum.*

Ex dictis colligitur Regulam valere in rebus civilibus potissimum: in spiritalibus, & cognitionibus quæ ad permonendam & perficiendâ voluntatem pertinent, alio jure utimur. *Iastorum semita enim quasi lux splendens crescit usq; ad perfectum diem. Prov. 4. v. 18.*

REGVLA XXXII.

Non licet aëtori, quod reo licitum non existit.

1. Idem Vlpianus dicit in 41. Reg. I. C. *Non debet aëtori licere, quod reo non permittitur.* Pro exemplo Legislae ponunt. Si aëtori petenti datur dilatio propter testes, ergo etiam reo. Non placet Dyno, quia affirmativum est. Igitur negativa exempla vide. 1. Post cognitâ testium depositiones, testium ulterior productio reo non est licita. *Auth. de testib. §. Illud tamen.* Eandem ergò veritam esse aëtori convenit, imò magis, cum rei causa censeatur favorabilior iuxta Reg. xi. supra explicatam. 2. Post litem contestatam reo non licet Procuratorem revocare. *l. Quæ omnia tit. de procurat.* Igitur nec aëtori licebit. 3. Reo non licet obscure respondere, dicendo, *Faciam*, quod de jure facere debeo, cum verisimiliter scit, quid debeat facere. Idem ergò nec aëtori licebit, ut nimirum libellum obscuris terminis conceptum offerat. 4. Reo prohibetur militem constituere procuratorem. Eandem legem sibi positam esse aëtor cogitet. Causam si quæris, ex jure æqualitatis danda est. Hujus enim ma-

xima curam in rep. esse cõvenit, quæ pacis, & tranquillitatis mater est, bonorum omnium conciliatrix, quemadmodum pluribus exemplis, & estificationibus declarat *Peckus* addens, duas hic regulas tractari, unam quidem affirmativam tacitè, alteram verò negativam expressè. Affirmativa est. *Quicquid permittitur aëtori vel iure, vel per rescriptû, vel aliàs, reo quoque debet esse permissum. c. 2. de mutuis petition. l. petenda. C. de in integr. rest.* Hoc tamen restrictionem admittit, ut postea videbimus. Nunc illâ,

II. *Ampliat.* Quamvis malitia in reo notetur. Permissum namq; illi censetur quâdo evidentè justam causam tuetur, aëtoris malitiâ, & calumpnias pari numero compensare, juxta vulgare illud à *Gloss.* allegatum, *Qui habet jus in principali, cavillationes, & malitias adversarii potest per alias repellere: nec videtur fraudem facere, qui fraudè repellit. t. de leg. ii. l. Cum pater. §. Titio.* & sic intelligi potest. *c. Dominus noster. 23. q. 2. Ita Gloss.* Verù ex textu cit. *cap. Dominus noster.* nihil aliud colligimus, quàm insidias

O 2 licere

licere infidiis opponere, & hostem fallere. Vnde non sequitur, idem licere per calumnias, aut confictas criminationes. Ab hisce igitur utrique abstinendum, actori videlicet & reo. Si tamen actor calumniam profuderit falsò, retorquere licebit ad eliciendam probationem, vel impetrandam palinodiam.

Rectè Gaill. *tr. de arrestis. c. xl. n. 34.* Cautelis iniquis non indulgendum, sed cum vulpibus vulpinandum.

Amplia 2. Quamvis jurasset fidem servare reus, Actor verò non jurasset. Cum enim absque juramento obligetur, si se fellerit, non est, cur jurato imputet promissi violationem. *V. Gaill. l. 1. de pace pub. c. 3. n. 16.*

Amplia 3. Vt neque privilegium Actorem eximat, à communi sorte. Nam si laicum aliquem coram Episcopo conveniat clericus, non potest postulare, ut secundùm leges, & morem laicorum puniatur: quod secundùm eas puniri ipse omninò detrectat. *c. Quod clericus, de so. compet. l. 1. tit. Quod quisque iuris.* Et sic quidem extenditur affirmativa: restringitur verò & limitatur quoque. Nam 1. Reus non potest ordinarium judicem suum recusare. *l. Nemo. C. iurisd. omnium iud.* Actori è contra ex pluribus unum eligere licet, coram quo reus comparere cogatur.

2. Actori licet petere, & impetrare per rescriptum extraordinarium judicem. *l. Si quando. C. de dilat.* Idem reo minimè permittitur. *Auth. Vt omnes obed. iud. §. Hac considerantes. V. Dynumbic.*

Pro Regula ut hic expressè ponitur negativa, unicam Ampliationem reperio, quòd nimirum non liceat Actori, quod reo illicitum est, licet hic improbis moribus sit, ille verò probatis. Huius enim ita non habetur ratio in tribunalibus, ut nec optimo & innocentissimo in sua causa permittatur, testem, aut judicem agere. *Sed contra hac.*

III. Objic. 1. Actor reum de crimine publico accusare potest: reus verò non potest Actorem similiter accusare. Quod ergò non licet reo, Actori licet.

R. Quemadmodum Regula affirmativa, ut ex dictis liquet, limitationes habet, sic negativa quoque. Idèd autem reaccusatio negatur reo accusato, quia præsumitur, non veri amore, sed vindictæ studio crimen retorquere: & quod convenit te purgare tuam famam prius, quàm maculare alienam. *l. Is qui reus. tit. de publ. iud.* Qui reus factus est, purgare se debet, nec ante potest accusare, quàm fuerit excusatus; constitutionibus enim observatur, ut non relatione criminum, sed innocentia reus purgetur.

Objic. 2. In *l. Si quando. C. Vnde vi.* Actori permittitur juramento edicere rerum amissarum pretium, & secundùm illud iudex procedere debet: Reo autem, quantumvis juraverit, fides negatur.

R. Actoris in amissione bonorum juramentum recipitur, quando aliter probare non potest, quid, & quantum reus sustulerit. Vt reo idem permittatur, magnitudo criminis, & perjurii peri-

periculum non patitur. V. Gaill. l. 2. obs. 64. n. 8. & l. 1. de pace publ. ubi contra superius dicta probat, etiam post publicationem testium in criminali-

bus licere reo novos testes producere sive super eisdem, sive super diversis capitulis: Actori verò prohibitum esse.

REGVLA XXXIII.

Mutare quis consilium non potest in alterius detrimentum.

I. **H**uc respicit 21. superius explicata. Quod semel placuit, amplius displicere non potest. & iisdem penè verbis. 75. In. Civilis. Nemo ait, potest mutare consilium suum in alterius iniuriam. Quæ postrema verba indicant consilii mutationem non ubiquè improbari. Regula igitur limitanda, & restringenda est, ad ea consilia, placita, pacta, & acta, ex quibus jus alteri quaesitum est, quemadmodum exempla Dyni demonstrant. Nam electori post completum scrutinium non licet revocare calculum, aut suffragium, quia electus inde jus acquisivit, quo privari sine causa & culpa non debet. Idem valet in iudice post latam sententiam, contrahente post absolutum contractum, aut sponsonem. confitente, teste, ac similibus. Aliàs nemo vetat, consulenti, medenti, instruenti & similibus mutare sententiam & consilium suum, cum nihil inde damni proximo adventurum creditur: imò expedit sapere, & necessarium est, retractare prius constituta. l. Nonnunquam. tit. de collatione honor. Felinus in c. Ne imitari. de Constitut. Guterrus. l. 3. q. 30. n. 38. Fabian. l. 7. c. 16.

II. Amplia 1. Præter ea quæ ad Reg. 21. diximus, quamvis cum hæretico nobis negotium sit. Certè non obstare fidei disparitatem, & religionis, ex multis SS. locis colligimus. Genes. 34. 49. 2. Paralip. 26. Ezech. 17. 4. Reg. 3. Iosue 9. 2. Reg. 21. Et mendacium est luculentum, quod sectarii nostri temporis dicunt, à nobis doceri, fidem hæreticis servandam non esse: de qua re V. Heriberti Rosveydi dissertationem An. 1610. Antwerp. excusam, ubi receptissimam DD. sententiam vocat Robert. Syvertium. Molanum de si. her. servan. l. 1. c. 29. Becanum. T. 2. Op. Opusc. 1.

Amplia 2. Ut valeat in quolibet hoste. Hinc Iosue laudatur in c. Innocenti 22. q. 3. qui etiam deprehensa fraude Gabaonitarum, pacem, quam dederat, revocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti religione, ne dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solveret. Laudantur ob eandem virtutem Romani potissimum à Valerio Maximo l. 6. c. 6. de fide publica. E contra ob perfidiam Pœni cum primis, alijque reprehenduntur ab eodem l. 9. c. 6. V. Gregor. Tholosan. de Rep. l. 11. c. 10. & XI. ubi agit de Treugâ, &

cederibus. *Lipsum l. 4. Civilis Doctrina. c. 14. Mariana l. 2. de institut. Regis. c. 10. Politico-Christianum P. Scribanii c. 24. Ad. Contzen. l. 3. Politicor. c. 7.*

Amplia 3. Ut actor institutam litem pro arbitrio deserere non possit reo invito. *l. purè. §. fin. tit. de doli except.* Quid enim si reo hic, & nunc plurimum profuit, inceptam causam dijudicari, & absolutoria sententia finem imponi. Melius hoc certè erit, quàm interrumpi, ac deseri.

Amplia 4. Ut valeat in consiliis, quæ animo obligandi minimè dantur. Nam si iurisperitus in causa per judicem sibi commissa consilium dederit, mutare pro libitu non potest: imò pati cogitur illud in propria causa contra se.

Ita DD. ad *l. 1. tit. Quod quisque iuris.* Quamobrem in consiliis decisivis non debet apponi clausula, *salvo meliore iudicio.*

III. Obj. 1. Actor ante litis contestationem consilium mutare potest, & exhibitum libellum emendare. *l. Edicta C. de edendo.* quod in damnum rei cedit, qui idcirco diutius cogitur in lite permanere. *Pract. Ferrar. tit. de formâ libelli. §. salvo iure.*

R. Quando mutare & corrigere scriptum suum Actor volet, non permittet iudex, nisi priùs expensas retardati processus reo compenset, quo facto nullum damnum sentiet. *Alciatus ad di. l. Edicta. Gaill. l. 1. obs. 74.*

Obj. 2. De Pontifice qui Ecclesias & beneficia unit, vel separat: de principe, qui concessa privilegia revocat,

de mandante, qui revocat voluntatem, & similia, in quibus omnibus

R. Considerandum esse, an cum damno aliorum, an sine causa, & quo tandem modo fiant: aliàs constare nequit, an præter allegatam Regulam, an secundùm illam acciderint.

Pontifici certè non aliter permilla est beneficiorum, Ecclesiarumque unio, & divisio, nisi quando evidens utilitas, vel necessitas exigit. *Em. Sa. V. Papa.* Ad Principis officium spectat, non mutare pro libitu, quæ benè constituta sunt, ne in tyrannidem inclinet. *Sily. V. Princeps.* Mandans si revocaverit mandata sua cum aliorum noxa, satis faciet restituendo.

Obj 3. *Inl. Si sterilis. §. 6. tit. de act. empti & venditi.* Paulus ait. Si quis domum vendiderit, excipiens sibi habitationem, dum viveret, vel in singulos annos decem aureos, posse emptorem nunc habitationem, nunc pecuniam præstare, quæ vicissitudo non potest non esse molesta, & damnosa venditori.

R. Peckius à iure non agnosci damnum hoc, cum vulnera suis telis facta patiatur venditor: nec mereri ullum juris subsidium, cum sibi ipsi obset. *Fulgosius* censet, non esse variationem, quæ fit ex natura, & potestate contractus. Brevissimè dici potest *Volenti non fieri iniuriam, & consequenter neque damnum, aut noxam.* *Soto de iust. l. 3. q. 3. art. 3. Menoch. Consil. 98. n. 39. Barb. in axium. 126.*

RE.

REGVLA XXXIV.

Generi per speciem derogatur.

1. Idem 80. Reg. Iu. Civ. confirmat In toto iure generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. Approbatur etiam in c. 1. & c. Pastoralis. §. Quoniam. de rescript. Bart. in l. Mavius. de legat. 2. Genus accipitur non pro Logico, cui species subjectæ sint, sed pro eo, quod quomodo libet plura singularia continet, adeoque latius patet, ut vestis, pecunia, numerata, triticum, mandatum, & similia. Species igitur dicimus, quod communi aliquo quasi sub genere continetur. l. 2. & 3. tit. Si certum. petatur. l. In nave. 31. tit. Locari. Exempla, inquit Dynus, sunt in legatis in substitutionibus, in contractibus, in legislationibus, & rescriptis; quæ explanatione indigent.

Primo igitur in legatis, Si testator legavit uni speciem, & alteri genus, huic per speciem derogatur. v. gr. Titius hortum habeat: Cajus domunculam in illo. Quamvis enim hæc videatur hori quædam pars esse, non Titio, sed Cajo cedit.

Secundo in substitutionibus. Testator patrem, & filium, in una bonorum suorum parte in solidum instituit, eoque invicem substituit: deinde instituit alios hæredes ex reliquis partibus: denique addit, *Omnes invicem substituo*. Sub hac generali institutione non continetur pater, & filius, sed quod specialiter sibi invicem substituti sunt, de-

rogant substitutioni generali. Tertio in Contractibus. Si stipulor ab aliquo librum scribi non de nocte, sed die, non per discipulum, sed per se, & dolum generaliter non committi, ipse vero per alium æquè malum scripserit, & non per discipulum committitur stipulatio ex generali clausula de dolo, sed ad casum stipulatione expressum non pertinet. l. Doli clausula. tit. de verb. oblig. Quarto in legislationibus. Si Summus Pontifex generaliter mandaverit quicquam, & privilegio exceperit nonnullos, per hoc speciale privilegium derogatur constitutioni generali. In rescriptis idem fit, nec difficile est exemplis confirmare. V. tit. de rescr. & quæ diximus in Prolegom. §. 6. & §. 10. Item tit. 15. §. 12. De privileg. Regularium.

II. Amplia 1. ad minus speciale. Quemadmodum enim generi per speciem derogatur, id est, minus commune communiore, ita si dentur duæ species quarum una latius pateat, ei per restrictiorem derogabitur. l. Si servo manumisso. tit. de pecunia legata. Est enim utrobique eadem planè ratio. Porro cum de personis, & de rebus seu causis sermo sit, magis speciale censetur, quod personas respicit, ut si causæ pupillorū uni alicui committantur, alteri vero ultimarum voluntatum, si contingat causam substitutionis agi contra pupillum, is erit iudex, cui causæ pupillorum commissæ sunt. Bald ad l. 1. q. 3. de off. preconf. Am-

Amplia 2. Ut obtineat five genus præcedat speciem, five sequatur, quem admodum in Rescriptis apparet. Sive enim speciale mandatum tempore antecedit Constitutionem generalem, five sequatur, idem effectus erit, quia æquè repugnat, quod posterius est, atque quod prius est. *V. Barbof. in c. 1. de rescript.* ubi inter mandata, & privilegia discrimen facit, quod mandatum posterius speciale derogat præcedenti generali, etiam nulla ipsius mentione facta: privilegium verò non derogat, nisi illi, cuius expressa mentio fit. *Damasus in Regula 3. Generalibus, &c.*

Hicce additur à quibusdam tertia ampliatio, in quâ æquitati præfertur rigor, quando nimirum æquitas est scripta in genere, veluti, quod nemo debeat locupletari cum alterius injuria: rigor verò sit scriptus in specie, ut in usucapione, & præscriptione. In his, & similibus æquitati, ut generi præfertur tanquam species rigor. Verùm hoc, nisi rudi Mineryâ dictum fateantur, à bona Philosophia, & veritate alienum est. Nam si æquitas juris remissio & benignitas est, ut in *Prolegom. §. 16.* ostendimus, quomodo illi rigor inest, ut species generi? obtinet quidem (quod pro exemplo ponunt) in usucapionibus, & præscriptionibus rigor, & eatenus æquitatem excludit, sed non propterea, quod illius species sit, sed potius quia illi contrariatur, ut amarum dulci. Imò in usucapionibus non tam rigor, quam remissio rigoris esse videtur.

III. Multa opponuntur, quæ viden-

tur hanc Regulam minuere, vel omnino tollere. Sed recepta duplici observatione omnibus satisfieri potest. Una est in specialibus quibusdam causis contrarium à jure sancitum esse, ut nihil mirum, videri queat, si à communi præscripto Regulæ præsentis devient: illique velut communi præcepto singularitate sua adversentur. Altera duplex genus esse, Dialecticum unum, alterum juridicum, ut *num. 1.* indicavi. Dialecticum sub se continet species propriè dictas illisque omnibus inest, & de singulis affirmatur, cum sit illarum natura communis. Vnde sequitur, quod harum specierum nulla derogari possit generi. Non enim si dixeris, homo est, sequitur, animal non esse, imò sequitur oppositum. *Everh. in loco à specie n. 4.* In juridico genere aliter se res habet; ubi necessaria est oppositio quædam & repugnantia, ex qua nascitur generis ablatio, vel derogatio, ut in exemplis allatis patet. v. gr. generaliter constitutum est, ut nemo duas simul Ecclesias habeat, quarum sit Rector, vel Episcopus. Omnes hæc sanctio constringit, utpote communis, & generalis. Pontifex Antonio supplicati permittit plures simul Ecclesias: quæ concessio repugnat edicto generali, *Nemo habeat, &c.* Nihil mirum igitur, si eidem derogat. *V. Barbof. de potest. Episc. part. 3. alleg. 124. nu. 5.* Hicce notatis, & observatis absque negotio diluuntur omnia, quæ acervatim à *Rechio* opponuntur.

RE

REGVLA XXXV.

Plus semper in se continet, quod est minus.

I. Conformis est Regulæ 80. *infra, & 113.* Intoto pars continetur, ex quibus tertiam regulam educit *Causus. Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.* 33. *infra:* quæ non caret exceptionibus. Præsentis verò Regulæ facilis explicatio est, si cum *Cardm. Tufcho* apud *Barbosam* restringatur ad totum integræ, & quantitativum: in his enim semper, quod plus est, in se, quod minus est, continet: ac proinde nulla requiritur hæc juris interpretatio, sed naturæ principiiis fulta Regula subsistit.

Exempla *Glosse* sunt I. *ex c. Si quis dederit 24. q. 1.* ubi orta controversia, quæ poenitentia imponenda esset, cum alii 5. annorum, alii 7. alii 10. nominassent, *Iulius Pontifex* quinque annorum poenitentiam approbavit: quia hæc numerus continetur in illo, quem omnes posuerant.

2. *Ex l. Diem. tit. de arbitris.* Si ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnet, quinque deberi *Iulianus* scribit, quod in hanc summam omnes consentiunt.

3. *ex Instit. de servit. §. Actus.* Qui actum habet, hoc est, jus ducendi jumentum, aut vehiculum, etiam iter habet, sed non è contra. 4. addit *Dynus.* Si absolutus sum à petitione universalis, ut hæreditatis petitione, à partibus quoque absolutus videor. & qui à rerum singularum petitione remove-

tur, ab earum universitate removetur. *l. Iulianus. tit. de exceptione rei indicata.*

II. Ex quibus liquet, Regulam extendi, & obtinere 1. in iudiciis, ferendâ sententia, & statuenda pœna. 2. In arbitriis. 3. indebitis. 4. in hæreditatibus. Nam qui bonorum suorum quartam partem volens mihi relinquere, scribit semissem, aut dimidium, quarta mihi obveniet. Insuper ampliari potest, ut valeat in tellificationibus. Dicat unus testis, se fundum possedisse 30. annis, alter annis 10. possedisse, de decem annis probata possessio est. *V. Gaill. de pignorationib. obs. 18. n. 10.* Simili modo, si unum instrumentum dicat de pluri, alterum de minori, huic fides debetur, *l. Sempronius. tit. de leg.*

Addit *Peckius*, interdum valere Regulam, quamvis requisitæ conditiones desint: v. gr. Servo decreta libertas est, si 10. aureos dederit. Ille per errorem dat 20. quemadmodum *l. 1. Reg. c. 18.* David pro 100. petitis præputiis ducenta obtulit, non dubium est, libertate donari, cum in majori non petitâ summâ contineatur minor, quæ petita erat. *l. 3. §. Si plus. tit. de statu liberis.*

Objic. I. Si Pontifex mandavit Titio dari præbendam integram, & magni valoris, puta, 500 aureorum, non poteris etiam volenti, & præoptanti minorem conferre, quamvis in majori hanc contineri certum sit.

P

R. Om.

R. Omnia rescripta PP. stricti juris sunt, & respuunt interpretationem, quemadmodum in *Proleg. §. 10.* diximus. Ideò non valet alterius beneficii collatio, quia extra voluntatem concedentis est, qui personæ dignitati provisum desiderat: quod in minori beneficio non fiet.

Obj. 2. In hæreditate partes contineri n. r. supponitur, nec obscurum est; hæredi tamen non licet unam alteramve partem duntaxat adire, sed totam, quanta est, hæreditatem capere debet, vel penitus abstinere l. 2. tit. de *acquir. vel omitten. hæreditate*: imò nec filius hæres institutus legitimam retinere potest, & residuum hæreditatis repudiare. *Cynus in l. Hæres instituta. C. de impuberum subst. quem Baldus, & Caserio sequuntur.*

R. Regula Iuris Civ. 7. est. *Ius nostrum non patitur, eundem in paganis & testato & intestato decepsisse, earumque rerum naturaliter in se pugna est, ut testatus, & intestatus quis sit.* Hinc manifestè liquet, repugnare leges, ut testamentum, & hæreditas dividatur: adeoq; cessat Regulæ nostræ dispositio de minore, quod contineatur in majore, seu tota. *V. Decium in Reg. cit. Ius nostrum.*

Eadem responsio aliis quoque objectionibus applicanda est. Universe enim quando jus aliquod in particulari resistit: vel quando dispar ratio inter-

venit, à communi placito receditur. *V. Canis. & Barb. in Comment.*

Obj. 3. In l. *Gracè. §. Illud. tit. de fideiuss.* *Ulpianus* dicit, commune esse in universis, qui pro aliis obligantur, si fuerint in duriolem causam adhibiti, eos omninò non obligari: In leviori planè causam accipi posse.

R. Obscuritatem in hac lege imaginatur *Peckius*, eamque auget plurimum DD. interpretationibus, sine causa. Etenim *Glossa* expositio plana & facilis est, non obligari fideiussores ultra æquitatem, ubi causa durior, vel deterior est. Tu promisisti mihi centum, & das fideiussorem pro ducetis, ad hanc summam non tenetur. Si autem promisisti mihi centum, tunc potest dare fideiussorem pro quinquaginta. Ecce quam benè conveniat cum Regula nostra, quod eam obscurare, vel etiam evertere putabatur.

Obj. 4. Ex mente *Papiniani* irrita stipulatio est sic facta. Hanc summam centum aureorum, quæ est in mensa, dare spondes? Si in mensa non sint centum aurei, sed pauciores. l. *Si ita stipulatus fuero. tit. de verb. oblig.*

R. Stipulatio non excedit mentem contrahentium: proinde inanis est promissio, cui non respondet quantitas rei promissæ. Neque enim in 80. vel 90. sed 100. aureos convenerant. *Meuschen. de arbitr. casu 213. n. 30.*

REGULA XXXVI.

Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.

- I. Eodem sensu Reg. I. C. 173. Qui dolo desit possidere, damnatur, quia pro possessione doli est. Et 192. Partem esse conditionem oportet ejus, qui quid

quid possideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet, idque idco ne cui dolo, & fraus patrocinetur. *a. Sedes. de re script. l. 1. §. 1. tit. de doli mali, & met. exc.* Vix regulæ hujus, & ulus apparet in rei vindicatione. *l. Quod si dolo. 22. cum l. prac. tit. de rei vendibat.* Item in petitione hæreditatis, in actionibus ad exhibendum, noxali, rerum amotarum, in interdicitis, quorum bonorum, quorum legatorum, & ne quid in loco publico.

Exemplum *Gloss.* producit ex *c. Ecclesia s. Maria. Ut lite pendente.* Cùm possideres rem meam, ad fraudandum desisti possidere, possum agere contra te, rei vindicatione, quasi adhuc possideres. Nam quod dolo dimisisti possessionem, pro possessore agnosceris. Quod si rem ipsam redhibere nequeveris, ad æstimationem iudex condemnabit. *2. ex l. Sed etsi. §. quod ait. tit. de petit. hered.* Si possessor pro hærede dolo desit possidere, conveniri potest, non secus, atque si adhuc possideret. Si autem res fortuito casu periit, immunis erit, modò non fuerit in mora restituendi.

Cæterum quod dolo non præsumitur, allegans illum probare debet. *l. Quoties. §. Qui dolo. tit. de prob.* Circumspiciet ergò Actor, num quid inter venerit, ex quo conjectura sumatur, doli admisi, puta, si post litem contestatam rem vendidit, vel donavit. Nam si ante hoc fecerit, non vindicatio rei, sed actio in factum dabitur, ex titulo de alienatione iudici mutandi causa facta.

11. Amplia. Ad eum quoque, qui

toto tempore bonæ fidei possessor extitit. *l. Si bona fid. tit. de noxal. actionib.* Si bona fidei possessor. (ait *lul. Paulus.*) eum servum, quem bona fide possidebant, dimiserit, ne agi cum eo ex noxali causa possit, obligari eum actione, quæ datur adversus eos, qui servos in potestate habent, aut dolo fecerunt, quo minus haberent, quod per hoc adhuc possidere videntur. 2. Ad eum, qui aut verè possedit, aut possidere existimatur, cuiusmodi est colonus, & qui causa rei servandæ in possessionem mittitur. *l. 3. §. Creditor. tit. Vti possidetis.* Hoc autem delicti, & fraudis odio fit, ne dolo alioqui impunitus maneat, sintque melioris conditionis homines improbi, quàm boni, & iusti. 3. Is quoque pro possessore habetur, in sui damnum scilicet, qui mentitus est, se possidere. Nam in iudicio, si quis respondeat, se rem, de qua vindicanda agitur, possidere, in eoque persistat usque post litem contestatam, condemnabitur ut possessor, etiam comperto mendacio. *l. Is qui. se. tit. de rei vendic.* 4. Idem dicendum de eo, qui per dolum efficit, ne possideret. Nam disertis verbis. *Ulpian. l. Sed etsi. §. perinde. tit. de petitione hæreditatis.* Is, ait, qui dolo fecit, quò minus possideret, ut possessor condemnatur. Accipies, si ve dolo desierit possidere, si ve dolo possessionem nolueritmittere. Quod verum, cùm quis in ea causa est, ut ex contractu, vel quasi contractu teneatur acquirere. 5. non interest, utrum res aliquando possessa adhuc extet, an verò perierit, & quocunque modo vel casu perierit.

6. Perinde fuerit etiam, fructum ex illa perceperit, vel non perceperit. *l. 1. §. ex die. tit. de vi, & vi armat. l. Certum C. de rei vendic.* Nam si malæ fidei possessor fuit, tenetur etiam de fructibus, quos non percepit, & quos diligens paterfam. percipere potuisset. 7. Ad illum extendi debet, qui non dolo, sed lata culpa desit possidere. Ea enim regulariter, (exceptis causis capitalibus) dolo æquiparatur. *l. Mulier. §. Sed etsi. tit. ad S. C. Trebellianum. Gaill. l. 2. obs. 110. n. 2.* 8. denique idem in beneficiis Ecclesiasticis locum habet. Nam qui dolo possidere desinit unum, ut obtineat alterum, re cognita pro possessore duorum condemnabitur. *Rebuff. in Tract. nominationum. q. 9. n. 19.*

III. Objicitur, inter possessorem, & eum, qui possidere desit, multæ differentiæ sunt, quo modo igitur æquiparari possunt? Differunt 1. qui verè possidet, directa actione convenitur, qui desit possidere, utili tantum. 2. Qui possidet, legis subsidio defenditur, habetque exceptionem ad quos-

cunque non dominos, quavis ipse malæ fidei possessor sit. Illi verò, qui desit possidere, lex non succurrit. 3. possessor de re ipsa, desinens possidere de pretio illius, & valore convenitur.

R. Quemadmodum fictio, & Veritas differunt, licet hujus vicem illa suppleat, ita effectus illarum diversi esse possunt, ubi ratio aliqua suadet. Iamque dolo vitium est legibus, & æquitati inimicum, merito punitur in illis, qui malum creditoribus suis machinantur. Quæcunque igitur contra eos constituta sunt, in ultione fraudis tendunt, nec ulla ratio permittit, ut eadem cum veris possessoribus libertate gaudeant. Quod si etiam malæ fidei possessor legibus juvatur, ad commodum Actoris, & facilitatem recuperandi amissa pertinet. *Breviter*, qui dolo possidere desit, pro possessore habetur in sui damnum, non verò commodum, *V. Io. Andr. in Gloss. Dynum in Reg. Bona fides infra. Bartol. in l. Quoties. tit. si famul. furt. sec. dicatur.*

REGVLA XXXVII.

Vtile non debet per inutile vitari.

I. Inutile hæc dicitur, quicquid est, contra legem, vel naturam ejus rei, de qua agitur, & latissimè vagatur per materiam contractuum, testamentorum, litium, judiciorum, constitutionum, electionum, promissionum, & similibus: indeque, ut *Dynus* notat, innumerabilia exempla prostant. Paucis

illustrabimus. 1. Si electio prælati, vel Episcopi valida secundum Canones fuit, per falsam, & inutilem confirmationem non irritatur, sed manet in suo robore. *c. Si confirmationem de elect.* 2. donatio ultra 500. aureos vitiosa est, quod prohibita. *l. Sancimus. C. de donationibus.* Excessu sublato manet summa

Summa quingentorum licite facta. 3. ad contractum pupilli auctoritatem præbuit unus tutor falsus, & alter verus: propter hunc censetur validus contractus, quia utile per inutile non vitatur, intellige, quando inutile ab utili separari potest. *Ex emplum vide.* Aqua putei quoad usum separari non potest, pecora inde haurientia separari possunt. Tu plura, quam oportet, pecora ad aquatum ad meum puteum ducis, tollo, quæ numerum superant. Ducis non plura, sed insecta, non separo aquam putei, sed claudo. Item emisti censum pretio excessivo, ex centum sex, aut plures florenos paciscendo: contra Imperii leges actum est. Tolle excessum, in pretio 6. florenor. constabit pactum. *Gail. l. 2. obs. s. l. 1. §. Trebarius. tit. de aqua quotid. & aestiva. V. Alciatum Tom. IV. pag. 120.*

Ratio non una datur. *Primò* enim communi agentium, & contrahentium sensu obtinet, ita interpretandam esse dispositionem, ut potius valeat, quam irrita sit. Tollatur ergo, quod inutile est, & maneat utile. *l. Quoties. tit. de rebus dub. c. Abbate. de verb. signif. 2.* quod dignius, & potentius esse, ad se trahit, quod minus dignum, & validum. *Vt* illa verò magis digna est nemo ignorat. 3. Naturam imitari convenit, quam cernimus rejicere impertinentia, & inutilia, reliquis conservatis. 4. Tacitus contrahentium consensus esse præsumitur, ut si quid minus idoneum intervenerit, pro nullo habeatur, nec id eò actus pereat. Denique alius sæpè actus, qui per se, subsistere potest ex levi causa annullaretur. *l. 1. tit. de verb. oblig. Vivianus hic.*

II. *Amplia* 1. ad personas. Nam si in una persona vis agendi deficiat effectus subsistet in alia, ut si unus tutor verus sit, & alter falsus, hujus defectus non perdit robur alterius, neque gesta invalidat. 2. Quamvis aliquo modo resistere videatur tacita voluntas agentis. Nam si Monachus in professione sua per pactum aliquid ex bonis reservare nitatur, facturus professionem nihilominus, rejecto pacto valida erit professio. *Barb. in c. Cum ad Monasterium. de statu Mon. 3.* Valet etiam in rebus Ecclesiasticis. Prælatus servum Ecclesiæ manumittit, quod suppono licitum, simul eidem prædium donat, quod jure vetitum: hoc sublato valida est manumissio. Item si ultra triennium faciat locationem, rejectis annis imperimentibus valet triennii spatium, uti constitutum est. 4. Etiam contra Principem & Magistratum. Sub pena confiscationis vetitum est frumentum evexere: quidam cum frumento vinum evexit, hoc relicto solum frumentum fisco cedit. Eadem ratio in aliis prohibitis mercibus est. 5. Idem in rebus impossibilibus accidit, ut quæ natura, vel jure impossibilia sunt, non vitient ea, quæ sunt possibilia. Unde dispositio, promissio, & votum de re partim possibili partim impossibili, quoad partem possibilem adimpleri debet. *Baldus ad l. 1. tit. de condition. institutorum.* Eadem ratio in aliis omnibus est, in quibus tacite subintelligitur, *Modò res dividua sit. V. Sanch. l. 9. de Matrim. d. 35.*

III. *Objic.* 1. Multi actus vitantur per appositionem certæ conditionis

P 5 nis

nis, vel diel. Vtile igitur per inutile vitiari potest. Ejusmodi actus est electio, postulatio, matrimonium, & sim. Dynus ad Reg. 50. infra. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neq; diem.

R. Ex Notatione prædicta. Ejus generis actus non sunt dividui, & de illorum essentia est, ut absque conditione, & tempore fiant. Ridiculum sanè est dicere, Contraho matrimonium pro die ultimo mensis Augusti, ut tunc primum valere incipiat. V. Dynus. l. cir.

Obj 2. Inter duos stipulantes unius idonea interrogatio, per incongruam alterius responsionem omninò destruitur & impedit stipulationem. l. 1. tit. de verb. obligat.

R. Cum secundùm Philosophos forma det esse rei, minimè illius defectus nocet tam in naturalibus, quàm mora-

libus. In stipulatione ut legitima sit, utriusque partis debita sponsio requiritur: quòd si una defecerit, non tam vitiabit actum, quàm ne fiat, impediet.

Idem dicendum est de electione Episcopi, quam irritant electores non legitimi: compromissis item, ac similibus pactis, quæ certis quibusdam legibus, & conditionibus alligantur, & earum defectu vitiantur. V. Baldus cum 10. casibus pro affirmativa & negativa parte. & Decium in l. Certe conditio. tit. si certum petatur. § Quoniam. Molin. de primo gen. l. 1. c. 2. n. 28. Layman l. 1. tract. 1. part. 2. c. 2. n. 13. & tract. 4. c. 19. num. 7. Card. Tusch. lit. V. Conclus. 373. Trauell. de Retractatu tit. 1. c. 1. fin. Barbosa axiom. 231.

REGULA XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

I. **H**Æc Regula spem commodi & lucri illis adimit, qui non ratione officii sui, sed quia injustam esse existimant rem, de qua agitur, illius causam, seu fundamentum subruere nituntur, non autem illos, qui ad id certa ratione ducuntur, quem admodum in exemplis videre est. Nam 1. Si tu Sempronii testamentum, in quo legatum habes, vel ut inofficium viter, ac temerè impugnes,

carebis eo, quòd inibi assignatur. l. Papinianus. tit. de inoff. testam. 2. Qui Decretales Summorum Pontificum non esse authenticas dixit, pro se nullam allegare, & subsidium ex ea sperare debet. c. Quo iure. Dist. 1. 3. Compositionem beneficiorum si oppugnare quis ausus fuerit, beneficium ex ea non reportabit. c. Cum olim. De censibus. Idem dic de quolibet Contractu, instrumento, testibus,

ribus, & similibus: quod iniustum reputat esse, quod persequitur non debet inde emolumentum capere. *Caranius Theol. fundam. num. 699.* Intellige, si id temerè fiat, & si in ea actione perseveret, nec ante iudicis sententiam pœniteat. Tunc enim venia dignus videbitur. *l. alia causa est. C. De his, quibus ut indignis auferantur hereditates. Gloss. hic. Canisius, & Vivianus.*

11. Amplia 1. Ad fructus jam perceptos, ut restituere teneatur, qui causam acquisitionis suæ impugnat: idque propter improbam intentionem suam. *l. Si in area. tit. de condict. indebiti.*

2. Ad eum, qui id oppugnat, quod habet similitudinem omnimodam cum eo, ex quo fructum sperat. Qui *exemp. grat.* accipit ex donatione causa mortis, separata à testamento, non potest testamentum impugnare: Si autem fecerit, acceptum restituet. *l. Si verum. tit. de bonis libertorum.*

3. Ad eum, qui licet non impugnet, celat tamen. Legatarius enim, qui testamentum subtrahit, & occultat, ex eo nihil consequitur, sed legato suo privatur.

4. Ad eum, qui absque oppugnatione non satis facit: adimplendo voluntatem testatoris. Nam si tibi legitur aliquid eo fine, ut tutelam filii testatoris geras, idque monitus omitas, quod assignatum tibi est, non consequeris. *l. pœn. C. de leg.*

5. Ad eum, cujus conatus irritus fuit. Nam qui falsas tabulas dixerit,

nec obtinuerit, ad defuncti iudicium aspirare non potest. *l. Qui falsa. C. de falsis.*

6. Quamvis impugnatione specialiter non fuerit prohibita à testatore, verb. grat. Sufficere enim meritò censetur juris non scripti prohibitio.

7. Denique oppugnator non tantum spe integrorum fructuum privatur, sed neque minimam illorum partem accipiet, quamvis eam non impugnarit; dummodò rei impugnatae annexa sit.

III. Objic. 1. Non repugnat aliquem impugnare concessionem beneficii Ecclesiastici, & pro eodem denudò instare, *c. Capitulum de reser.*

R. Fieri id posse, ubi diversi respectus inveniuntur, sive personarum, sive iudiciorum, ut in casu citati capituli. Nam oppugnatione, de qua hactenus, non præjudicat extraneis, sed iis tantum, inter quos agitur, juxta receptum illud. Res inter alios acta aliis non præjudicat. *c. Cum olim de censib.*

Objic. 2. Depositum habens quamvis negaverit illud, re comperta non prohibetur ex eo jus suum requirere. *l. Si quis inficiatus. tit. depositi.*

R. Qui *loc. cit.* depositum inficiatur, justam ejus rei causam habuit, quod num petens illud legitimum mandatum haberet, meritò dubitabat. Vnde quæ ipsi ratione depositi debentur, jure exiguntur.

Obj. 3. Ex eo, quod quis oppugnavit,

vit, exceptionem habere potest, secundum mentem Iulii Pauli. *l. Dispensatorum. tit. de solutionibus.*

R. Non, qui exceptionem habet, etiam emolumentum habet. Scpe enim, cui exceptio permittitur, actio negatur. *l. Si quis in area. tit. de condict. indeb. l. Paulus. tit. de doli exceptione.* Defensionem enim, quocunque licet, modo, jura favent. *l. Arrianus. tit. de actionibus.* aded, ut excipiendo liceat quoque propriam turpitudinem allegare: fieri autem simul potest, ut inde locupletior non evadat.

Obj. 4. In *l. Papinianus. §. Meminisse. tit. de inoff. testam.* Vlpianus pronunciat, eum, qui testamentum inofficiosum, aut ruptum improbe dixit, non privari illo, si poeniteat, & desistat, sed tunc primum, cum usque ad sententiam judicium improba mente perseverat.

R. Iam supra n. i. monui, Regulam de illis loqui, qui absque justa causa & cum pertinacia inhiunt oppugnationi

contractus, testamenti, rescripti, vel alterius cujuscunque dispositionis. Parcitur ergo poenitenti tum hic, tum in aliis quoque, sed ante consummatum delictum. Vnde *l. qui ea mente. tit. de furtis.* Vlpianus dicit, qui furto furripuit rem, etiam mutato consilio furem manere, eo quod talis poenitentia non faciat innocentem. *V. Glossam hic. I. Clarum. §. fin. q. 60. n. 21.* ubi dicit, se vidisse duos igne comburi, quod falso accusaverant aliquem de heresi, quamvis condignam poenitentiam, & satisfactionem obtulissent. Et commune est omnibus criminibus. *Simanca teste. Enchirid. tit. 58.* ut nihil poenitentia prosit, ad liberandum a legum poenitentia reum: sed solis hereticis, qui resipiscunt, ac poenitent, venia conceditur, & in sacro Inquisitorum foro clementia est. *c. Ad abolendam. de hereticis l. qui ea mente. tit. de furt. Barb. in c. Vrgentis. de heret.*

REGULA XXXIX.

Gum qui prohibetur, prohibentur omnia, qua sequuntur ex illo.

I. **H**ic regulæ videtur similis alia, quamvis non sit, cum quid prohibetur, & omne id, per quod pervenitur ad illud, videtur prohibitum. *l. Oratio. tit. de sponsal. l. Cum lex. de fideiussorib. l. legem. in fine. C. de naturalib. lib. Dico, similem videri, nec tamen esse, quod in hac prohiben-*

tur media, in illa vero extrema, seu consequentia.

Exempla per *Glossam* cumulantur.
1. Cum carnes prohibentur, simul prohibita censentur, quæ ex illa trahunt sementinam originem. *c. Deniq. dist. 4.*
2. Prohibita concupiscentia per legem, prohibita intelliguntur omnia mala

malis, quæ sequuntur ex illa. c. Nam concupiscentiam. de Constitutionib. 3. Prohibita alienatione prohibetur venditio, donatio, manumissio, & similia.

4. Furto prohibito prohibetur omnis rei alienæ usurpatio, & mœchia prohibita omnis illicitus concubitus, c. penale 14. q. 5. c. Meretrices. 32. q. 3.

5. Cui prohibetur Ecclesiæ communitio, ejus quoque stipendia prohibita intelliguntur. c. Pastoralis. de appell. Plura V. apud Carocium in Comm. huius Reg. part. 4. Addit Gloss. ad hanc Regulam accordare. 42. infra. Accessorium naturam sequitur principalis.

II. In ratione reddenda non conveniunt Interpretes. Ioan. Monachus à toto, & partibus sumit, ut, qui prohibet Matrimonium, v. g. censetur ejus antecedentia, consequentia, & adjuncta prohibere, ex quibus quasi partibus matrimonii corpus constituatur. Melius alii cum Baldo ex causa finali, & mediis: optimè Philosophi ex dependentia necessaria, & inseparabili antecedentium, & consequentium. Nam in iis, quæ per accidens, & quasi fortuito ad factum aliquod, vel pactum sequuntur, nulla consecutio fieri potest. V. Vivianum hic.

Eidem fundamento innititur illa oppositis terminis concepta Maxima, Concesso uno conceduntur omnia necessaria ad illud. I. Cui iurisdictio data est. tit. de iurisd. omn. Iudic. l. Ad rem mobilem. §. qui procuratorem. tit. de procuratorib. l. 1. §. fin. de off. eius, cui mandat a est iurisdictio. l. Avibus. tit. de legatis. III. ubi Gloss. notat legatis avibus etiam avitaria comprehendi, sive quibus con-

tineri aves non possunt. Et Navarr. in principio de poenit. dist. 5. n. 28. monet, extendi ad illa quoque, sine quibus potest quidem, quod concessum est fieri, sed non satis commodè, juxta l. quicumque §. Si ei, quem. tit. de inst. act. Vnde Aretinus in c. de testib. col. 3. damnavit Glossam c. Solet. de sent. excomm. in 6. quæ dixit, delegatum non posse, quem ad cautelam absolvere. Ex eodem Theologi cum Navarr. deducunt, potestatem audiendi, & cognoscendi peccata Sacerdotibus à Christo concessam esse, quando Ioan. 20. v. 23. remittendi illa, & ligandi potestatem impertivit. De illa re enim, de qua cognovit iudex, judicare & pronunciare potest. l. de qua re tit. de iudic. Quomodo Apostoli, eorumque successores conscientiarum iudices constituti sint, accuratè demonstrat. Bellarm. l. 3. de poenit. c. 2. & seqq.

III. Amplia I. Ut locum habeat non tantum in illis, quæ ex contractu v. gr. sequuntur, sed etiam in illis, quæ ob contractum sequuntur. Dicuntur autem ex contractu sequi magis immediatè, ob contractum verò, quæ remotiora sunt: intellige, si eandè, vel parem cum immediatis connexionem habeat.

2. Ut non tantum prohibita, sed etiam irrita sint, quemadmodum donatione, & alienatione bonorum dotalium, & Ecclesiasticorum patet. In multis aliis tamen fallit, ut postea patebit.

3. Quamvis illius, contra quem agitur negligentia interveniat. Prohibita est præscriptio contra visitationem Superioris, eaque simul quæ visitationem comitantur. Quamvis Superior

Q

rior longissimo tempore visitationem negligat, non curat contra illum præscriptio. *c. Cum ex officio de prescript.*

Addit *Peckius*, eum, qui prohibetur ab aliquo, prohiberi etiam ab eo, quod est illi simile, aut æquivalens. Sed hoc ut in uno alterove contingat, per accidens fieri cenletur, & in aliis plurimis fallit. Nam *exem. gr.* clericis prohibita est negotiatio, non tamen quælibet emptio & venditio, etiam proposita hedera. Mulieribus concio, non tamen quælibet pia exhortatio, quales Monialium præfectæ faciunt, & quarum multæ *S. Teresa* extant in ipsius Vita. Multa fercula jejunium solvere vulgò credimus, multa pocula non item, quamvis majora hinc mala, & incommoda jure timeantur.

I V. Obj. 1. Ex contractu quovis prohibito sequitur obligatio, & transfertur dominium. *l. eleganter, tit. de dolo.* Nam si dolus causam contractui dederit, resque tradita sit, non de venditione rei actio datur, sed de dolo. *R. Baldus apud Peckium*, dominii translationem non sequi ex contractu tanquam ex causa immediata, sed sequi ex voluntate tradentis, qui vult transferre dominium, quod potest transferre etiam ex causa falsa, & putativa. Verum ista responsio neque objectionem tollit, neque veritati conformis est. Legistæ enim communiter ita definiunt Contractum; quod sit ultrò citroque inter duos, aut plures obligatio. *l. Labeo, tit. de verb. sign.* quæ definitio causalis est, q. d. Contractus est

actio pariens obligationem. Vnde sequitur, obligationem & dominii translationem effectum primarium, & inseparabilem esse ipsius contractus. Ac proinde ad objectionem dicendum est, obligationem contractus, & translationem dominii non pendere ab arbitrio hominis, cum sit proprietas naturalis, adeoque prohiberi non posse, non magis, quam si velles posito adulterio prohibere, ne inde sequatur injuria.

Obj. 2. Contractus ob turpem causam omni jure prohibitus est: si tamen dederis promissum, repetere non licet. *l. 2. C. de condict. ob turpem causam.*

R. Causam ipse textus citatæ legis indicat, quia facta rei traditione melior est conditio possidentis, adeoque supponitur dominium rei translatum esse. Pari jure possessio rei uxori donatæ à viro in uxorem transit, non ratione contractus, & donationis prohibita, sed quia maritus tradendo rem, à se possessionem abdicat, quæ non à contractu, sed voluntatis suæ arbitrio pendet. *V. Canis.*

Obj. 3. Ne quis fundum alienum ingrediatur, prohibitum est. *l. 3. tit. de acquiren. rer. dom.* nihilominus, qui ingressus fuerit, & feram cœperit, suam facit. *Gloss. in di. l. R.* Actio injuriarum conceditur fundi domino, quod illi sufficit; feræ dominium capientis jus gentium concedit, quod Regula nostra non intendit impedire. Adde, quod inter fundi ingressum, & feræ capturam non nisi adventitia, & quasi fortuita connexio est.

REGVLA XL

Pluralis locutio duorum numero est contenta.

I. **H**anc iidem verbis expressam invenies in l. *Vbi numerus 12. tit. de testib.* Plura exempla Glossa fugerit. Nam 1. in c. *Hoc quoque. de Consecr. dist. 1.* duo sufficerē dicuntur Sacerdoti quando pronunciat *Dominus vobiscum, & Orate fratres.* 2. in c. *Is cui. de praben. in 6.* concessionem plurium beneficiorum ultra binarium non extendi decernitur. 3. Cum servo alicui testamento legatur libertas post annos, vel dies, de duobus intelligitur. l. *libertas. tit. de manumiss. Ratio*, quod in obscuris, quod minimum est, sequi convenit. Excipe 1. casus omnes, de quibus in jure aliud statutum est. In testamentis solennibus 7. testes requiruntur: in depositione pecuniæ tres, in donatione causa mortis quinque. V. *Specul. de teste. §. Restat. Sylv. V. testis. n. 5. Armilla n. 7.* Excipe 2. pronomina, *Nos, Vos, Noster, Vester.* Vfus enim obtinuit apud Prælatos, ut quasi multis ipsi æquipolleant, non singulari, sed plurali demonstratione utantur, ad dignitatem sibi & venerationem conciliandam.

E contra pluralis numerus, pro singulari interdum usurpatur, & tunc potissimè, cum nomina singulari carent, ut cernis in voce *liberi*. Vnde si pro liberis tuis testamento aliquid relictum sit, licet unicum filium habeas, valebit. **Et universè pluralis vox in**

singulari verificatur, quando eadem est unius, & multorum ratio, vel cum necessitas suadet, vel aliàs absurda interpretatio foret, quemadmodum fuscè declarat Tiraquell. in l. *si unquam. V. suscepit liberos. C. de revoc. donat. Rebuff. in tract. nominationum q. 9. Felinus in dist. 1. in princ. Barb. axiom. 179.*

II. **Amplia 1.** Ut non tantum sufficiat, sed etiam requiratur pluralitas, cum videlicet lege aliqua, vel statuto decernitur. Quocirca si novum opus in pluribus locis fiat, non sufficiet una nunciatio, quamvis propter vicinitatem suffectura videatur, quod in singulari fiat, lege constitutum est. l. *de pupillo. §. Si in plurib. tit. de no. op. nunc.* Forma enim neglecta actum viciat & inanem reddit. l. *hæc consultissima. C. de testam. l. Scia. tit. de auro. & argen. leg. Gaill. l. 1. obs. 12. n. 4. 5. Barb. axiomate 100. Suar. de leg. l. 3. c. 31.*

Amplia 2. Ut valeat in tempore etiam: quia ut n. præc. indicavi, si non determinetur, sed dicatur sequentibus annis, aut diebus, de duobus accipi debet. *Iakolenus l. Inter illam. §. fin. tit. de verb. signif.*

III. **Obj. 1. l. 1. tit. de optione, vel electione legata.** Divus Pius Proculo rescripsit, ei, cui servorum legata sit electio, tres posse eligere. Ergo non semper in binario salvatur pluralitas.

Q

R. Aliquē

R. Aliqui favore testamentorum ita constitutum esse, quibus nimirum largior interpretatio debeat. *l. in testa memis. tit. eod. Bart. & Accurs.* Id verò non ubique fieri *Peckius* animadvertit. Nam in testamentis quoque, quod minimum est, deberi, patet ex *l. Nummis. tit. de legat III. & l. fideicommissa. §. Si quis decem. tit. eod.* Subdit deinde aliam explicationem minus probabilem, & supervacaneo labore: quia Regula nostra nihil aliud vult, quam pluralitatem in duobus conservari posse, & sic faciendum in dubio. Cum ergo in *cita. l. Imperator* alium numerum determinarit, cessat Repetere hujus usus, quemadmodum in aliis similibus, ubi certus numerus lege, statuto, vel consuetudine requiritur.

Objic. 2. Si heredi suo testator præcipiat, ut in æde Sacra ponat, statuas Apostolorum, non de duobus, sed omnibus intelligere videtur, & duodecim ponendæ erunt. *Bart. ad l. Titia. tit. de aur. & arg. legato.*

R. Verba intentioni non autem intentioni verbis subjicienda est. *c. Intelligentia. de verb. signif.* Intentio autem ex usitato hominum more colligitur. Cum ergo quicumque de Apostolis loquantur, omnes simul comprehendant, ut qui unum Collegium, vel Senatium faciant, dubitare non possumus, quin 12. statuas voluerit poni testator, de quo Obj. facta est.

Obj. 3. Ad veritatem pluralis locutionis ne quidem duo requiruntur, sed verificari in uno potest: eo modo, quo Cicero Antonii *liberos nominavit*, cum unum tantummodo filium haberet. Idem fit, si testator utatur voce liberorum. Vnicus enim filius sufficiet. Vnde *Caius in l. 148. tit. de verb. signif.* Non est sine liberis, cui vel unus filius unicave filia est.

R. Apud Grammaticos & Dialecticos vox *liberi* & similes positione pluralis est, significatione verò singularis. Propterea qui te accepisse literas dicit, vel habere pugillares, non nisi de una Epistola, vel libello intelligit. Non inficiabor autem, qui *liberorum* nomine utitur, de pluribus accipere posse, quod ex ipsius mente, & intentione discernendum erit. Certè qui se arma ferre dicit, audientem suspendit, ut definire nequeat, an de solo ense an verò, ense simul, & scuto, vel scilopo loquatur. Eadem incertitudo est in his propositionibus. *Eleemosynam dabo Monasteriis hujus urbis. Ad sacros ordines me dispono: horas Canonicas nondum exolvi. In plerisque item, in quibus dictio Plus, plures, & similes usurpantur, quarum indeterminationis ex circumstantiis, &*

consuetudine sermonis dependet. V. Barb. axiom.

179. Plura, Pluralitas.

REGVLA XLI.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

HVjus Regulæ intellectus, quæ eadem cum 121. *Iur. Civilis secundum Dyni mentem* propriè procedit in conditione potestativa, quæ pendet ex factò legatarii tantùm, vel hæredis scripti, vel alterius, cui erat scripta. Nam si per casum aliquem impediatur à conditione implenda, debetur ei legatum, quia per eum non stabat, quo minus imperetur conditio. *l. Quæ sub conditione. tit. de conditionib. institutio- num. Ita Dynus nimis angustos limites constituens. Melius alii regulam valere putant in iudiciis, contractibus, testamentis, pœnis, & similibus. V. Vva- king. D. 3. d. 6. §. 5.*

Nam, ut exemplis confirmemus, quod iudicia attinet, non valenti agere propter impedimentum, non currit præscriptio. *l. 1. c. de annali except.* In contractibus, si actum cum Advocato sit, promissaque 100. aureorum summa pro victoria litis, debetur illi, quamvis per transactionem finita lis sit: quod per illum non stetit, quò minus ad optatum finem causa perduceretur. Idem cum proportione de mercede, & salario operariorum, & famulantium dici potest. *V. Gall. l. 1. obs. 44. n. 12.* ubi generaliter affirmat, quando salarium ex stipulatione debetur, tot obligationes esse, quot anni sunt, ideoque pro anno incepto totum salarium deberi,

ita, ut salarium initio anni solatum propter impedimentum superveniens repeti non possit. *l. 1. §. Divus. Severus. tit. de var. & extraord. cognit.* Subdit deinde, eadem ratione Professoribus nondocentibus ob grassantem pestem, vel aliud legitimum impedimentum totius anni salarium deberi, quod non stat per eos, quò minus officio suo ulterius fungantur. Excipit tamen, nisi promissum sit salarium, si operæ præstentur, quod tunc existentia conditionis requiritur. Prudenter hoc, ne communi hominum iudicio, & praxi contradicamus. Quis enim hoc ævo ulli vel simplicissimo persuaderebit, si operarios in vineam conduxit, ut nihil laborantibus propter pluviam vesperi mercedem persolvat? Quod testamenta attinet, in iis locum habere, patet exemplo legati supra adducti. In pœnis similiter nam sicut à culpa excusatur impeditus ab agendo, sic etiam à pœna. *l. Aliud est fraus. tit. de verb. sign. l. 1. §. Actiones. autem. Institur. de action.*

II. Impedimenta legitima censentur. **1.** Morbus. **2.** Captivitas. **3.** Infectio aëris. **4.** Mors parentum, & consanguineorum. **5.** Pericula viarum, inundationes, tempestas, & similia. **6.** Defectus rerum necessariarum ad iter. **7.** Nuptiæ secundum illud, *Vxo- rem duxi.* **8.** Bellum. **9.** Causa rei publicæ.

publicæ fo insidiæ, quæ timentur, & id genus alia.

Porro, quod hæc facti sunt, non juris, probari debent ab eo, qui allegat, se impeditum fuisse. Probat autem, 1. tale fuisse impedimentum, ut removeri non potuerit. 2. Impedimentum illud in causa fuisse, ne præstaret, quod aliàs præstandum erat, adhibitamque diligentiam sufficientem, qua tolleretur. *V. Menoch. de arbitrariis. l. 2. Centur. 2. casu 118.* In multis casibus juramento probabitur. *Barb. in c. Quia propter. de elect. & c. Cum in tua. de divortiiis.* Excipe 1. nisi semel perjurus fuerit, juxta Reg. 8. supra explicatam. *Semel malus semper præsumitur esse malus.* Excipe 2. nisi velit impedimento suo acquirere actionem. Tunc enim juramento rejecto testes adhibendi sunt. Excipe 3. nisi agatur de gravi præjudicio. *Gail. l. 1. obs. 91. num. 5. & obs. 143. num. 4.*

III. Amplia 1. ut valeat, quamvis non suo casu, & causa, sed etiam suorum impeditus est, puta, infirmitate patris aut matris. *Gloss. in can. Omnis. dist. 23.*

2. Ut invalidam reddat excommunicationem. *Panorm. ad c. 2. de testib. cog.*

3. Sententiam cujuslibet Judicis, qui impedimentum non ignorabat.

Innoc. in c. pen. de dilationibus.

4. Ut extendatur etiam ad accessorium. Nam justè impeditus non potest condemnari ad impensas. *l. Si cum dies. §. Si quis. tit. de arb.*

5. Ut non tantum à damno præferretur, sed lucrum insuper acquirat.

Nam impeditus adire propter absentiam suam, vel filii sui, restituitur ad commodum hæreditatis. *l. Cum quidam. tit. de acquir. hered.*

6. Ut sufficiat aliquando, conditionem implere, per actum æquivalentem, cum videlicet intentus finis obtinetur, que madmodum fulius declarat *VVading. loc. cit.*

IV. Pro solutione eorum quæ obijci possunt, scire oportet, Regulam hanc nulli patrocinari, qui dolose agit, vel seipsum data opera ad eludendum judicium, aut creditores impotentem reddit ad agendum, comparandum, solvendum, & similia exequenda. Item quando de re modica agitur impedimenti excusationem non admitti ex doctrina *Panorm. l. 2. consil. 5. Tiracuell. l. de iudicio in reb. minimis ferendo. V. Decium in Reg. I. C. 121. Barb. axiom. 96. 92. 159. Surdus de aliment. tit. 9. q. 29. n. 13. & seqq. Item. Consil. 298. num. 1. & Consil. 322. num. 26. Reginald. l. 23. c. 7. num. 77.*

REGVLA XLII

Accessorium naturam sequi congruit principalis.

1. Idem tenor, licet non in eodem verbis in Reg. I. C. 38. continetur.

Porro principale vocamus, quod in eodem præcipuum est, & quasi causa, seu fundamentum.

damentum illius quod accedit: unde tanta est utriusque conexio, ut principaliposito, vel ablato, accessorium quoque ponatur, vel auferatur. Nam ubi eadem ratio est, idem debet esse iudicium. *l. illud. tit. ad l. iul.* Exempla passim obvia sunt. Nam 1. si gratia de beneficio surreptitia est, instrumentum quoque de eo surreptitum erit: & si à Pontifice constitutus sit executor pro recipiendo Canonico, quem admodum morte Pontificis principalis gratia non extinguitur, ita nec officium executoris, quod accessorium est. *c. Si super gratia. de off. delegati in 6. 2.* In iudiciis, cui commissa est causæ cognitio, commissa censentur illius adjuncta, ut testium examinatio, pœnæ impositio, & similia. *c. praterea. c. prudentiam in si. eod.* 3. In contractibus, prædium vendito censetur etiam venditus aquæ ductus prædium debitus cum aliis accessoriis. E contra nulla res ex spiritali, & corporali mixta, vendi, emive, potest, si spirituale in illa sit potissimum, seu principale, corporale verò accessorium. *Reginald. l. 23. quest. 2. n. 117.* 4. In testamentis domo legata, etiam hortus in illa legatus est. *l. prædii. §. qui domum. tit. de legatis.* Præterea si matrimonium non subsistat, neque dos, neque donatio propter nuptias: & rupto paterno testamento rumpuntur pupillares tabulæ. *l. Papi manus. §. Sed nec. tit. de inoff. test.*

11. Amplia 1. Ut valeat, quamvis accessorium majoris pretii sit. *Pomponius* enim ex Sabino respondet, gemmæ auro vel argento inclusæ illis cedunt. *l. Et si non sint. §. perveniamus. tit.*

de auro, & argento legato. Barb. axio. 4. n. 7.

2. Ut extendatur ad præscriptionem: hæc enim & principale, & ejus accessorium complectitur, modò ab initio insit.

3. Ad ea, quæ videntur pœnalia, & communiter restringi solent. Sicut enim creditur juramento vim passis, de veritate rerum amissarum, ita etiam creditur de pretio, & estimatione illarum, cum hæc sint accessoria. *Gail. l. 2. obs. 64. Bald. in c. Conventicula. tit. de pace iur. confirm.*

4. Ut valeat, sive agatur de principali inducendo, sive tollendo, sive confirmando. Idem namque in accessorio fiet. *Barb. l. cit. n. 13. & 14.*

5. Si principale cesset, aut destruetur, sive per exceptionem, sive alio quocunque modo, destruetur etiam accessorium. *Cotta in Memorabilib. V. Constitutum.*

6. Denique alicui ad res spirituales extendunt. Fides, inquit, principale est, bona opera accessoria. Unde sublata fide operam bonorum exiguus vel nullus fructus est. quod in ore Catholici hominis, de fide viva intelligitur, in Lutherano de mortua. Dic igitur, principale est regnum Dei, hoc querentibus reliqua adjicientur.

III. Obj. 1. Matrimonio dos accessoria est, & propterea cum matrimonio concidere deberet, ut n. 1. insinuat, id tamen aliquando non fit, quod sublato propter adulterium matrimonio dos penes maritum manet, quem penes uxor non manet. *l. Cum mulier. tit. solu. matrim.*

R. Odio adulteræ sic constitutum

tura

tum est, ne mulier improba ex iniquitate sua lucrum reportet. *l. Consensu. C. de repud. silv. v. Adulterium. n. 8.*

Adde, quod in tali eventu non proprie sed abusive dos appellatur, propter memoriam videlicet matrimonii antecedentis.

Obj. 2. Promissio de usuris solvendis irrita est, utpote de re turpi: Si tamen accedat iuramentum, non perinde irritum est, sed implendum. *6. Debitores. de iureiur. Vbi Alexand. III. Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent: si vero de ipsarum solutione iuraverint, cogendi sunt domino reddere iuramentum.*

R. Iuramentum ita accedit promissioni, ut cum ea velut principali non efficiat unum quid, sed per se stat, & specialem obligationem inducit, non homini, sed Deo: quam ob causam cautè dicitur in *cit. capite, cogendi sunt Domino reddere iuramentum*, cui videlicet per iuramentum obligati in reverentiam nominis ipsius exequi debemus, quod per se licitum, & à nobis juratum est. Hinc fit non raro, ut circa iuramentum, vel dispensandum vel irritandum disponat iudex, contractu nihil immutato, sed quoad omnia, salvo, & integro permanente. De quo

V. Summistas, & nominatim. Zerol. in part. I. V. Iuramenti absolutio.

Obj. 3. in *l. Quid tamen. tit. Quibus. modis usufructus amittatur*, proposita, questione. Si fundus villæ fuit accessio, an cum illa etiam fundi usufructus extinguatur, respondet *Alpianus*, non extingui. *Ibid. in l. Fundi. dicitur. Fundi usufructu legato, si villa diruta sit, usufructus non extinguitur, quia villa fundi accessio est.*

R. *Peckius* id fieri, quia unum non est accessorium alterius, sed utrumque, id est, tam villa, quam fundus legatur, ut principale: ac proinde in eis Regulæ locum non esse. Verùm huic commento textus repugnat. *Villa fundi accessio est. Nisi ly accessio non pro accessorio sed pro communi accidente placeat accipere: in quo sensu dicendum erit, juxta consuetam istiusmodi sermonis proprietatem, villam non esse accessorium, neque fundum principale, de quo Regula loquitur: sed sensum esse, quòd villa per accidens se habeat ad fundum. Sive enim ad sit fundo. Sive absit, perinde habetur. Manet enim usufructus, qui super fundo, sive arboribus, & arboribus instructo, sive iis omnibus dispoliato constitutus est. V. Bronchorst Centur. IV. Ass. 93.*

REGVLA XLIII.

Qui tacet, consentire videtur.

I. Regulam hanc, si nudè inspiciatur defendi non posse *an Ca. nisius. & idèd ad certas species coartandam esse. Multis enim in casibus accidit,*

accidit, ut sciens & tacens non censetur consentire. Quæ causa si sufficiens est ad Regulæ accusationem, nulla vitio caret. Quam enim ex omnibus dabit *Camillus*, quæ non habeat limitationem suam? Si autem in hac peculiaris difficultas est, peculiari studio tollitur. Equidem de vero sensu multum laborant, & discrepant Interpretes apud *Barbosam* hic. Ac *l. Gloss. ult. in c. Nonne de presumpt.* Cum, inquit, de dominio rei amittendo agitur, tacens non censetur consentire. Accordat *Barbosa* in *c. Continebatur. de his, quæ fiunt à Prel.* Quis enim ita desipit, ut rem suam non coactus, projicere velit? *l. Cum de indebito V. qui enim. tit. de probat.* Huic explicationi contradicit *lex. si servus communis. 39. tit. de donat. inter virum.* Vbi ex præsentia, & taciturnitate inducitur donatio pro parte domini, quod dominus habet in servo. & *c. Si servus sciente. d. 54.* dominus amittit servum clero insertum, quod cum sciret, non contradixit, taciturnitas illi pro consensu reputatur.

2. Eadem *Gloss. & abb. l. citato, quos Angel. Silv. & alii* plures sequuntur, ita distinguunt. Aliquos actus contradicendo impedire possumus; alios non possumus. Circa priores qui tacet, consentire videtur, circa posteriores non item. Ratio manifesta est, quia non hi, sed illi à nostra libertate, & arbitrio pendent. Verùm hæc quoque interpretatio cum præcedente refellitur in *c. cit. Si servus.* & plures instantias patitur. Nam inter actus, quos contradicendo impedire dominus queat, est pignoris constitutio, & tamen licet præ-

sens sit, ac taceat, non censetur consentire nisi aliud addatur *l. 2. C. Si alienares pignori.* Item venditio rei pignori obligata sicut etiam rei alienæ, est actus, qui à creditore, vel domino impediri non potest, & tamen si venditio fiat præsentem creditore & tacente, consentire præsumitur in liberatione pignoris, cum jus pignoris remisisse censetur. *l. 2. C. de remiss. pign. l. Si debitor 4. §. 1. tit. quib. mod. pignus.* Unde sequitur, distinctionem supra datam, ut non omnino inanis videatur, non sufficere tamen, ut tacens consentire, vel dissentire præsumatur.

3. Alii igitur apud *Barbosam* magno numero allegati in favorabilibus tacentem consentire, in odiosis & præjudicialibus non consentire affirmant. Nec absque ratione. Quis enim nisi mentis inops oblatum respuat aurum. Huc nimirum naturæ nos inclinatio impellit, ut quæ commoda, & amica nobis, quolibet modo quæramus, & acceptemus; repudiemus verò, quorū ingrata memoria est. Omnes expetimus utilitatem, & ad eam rapimur. *Cic. l. 3. de off.* Sed huic intelligentiæ obstant leges, in quibus etiam circa præjudicialia tacentium consensus præsumitur. *V. Gloss. l. In co. 45. V. Invitum. tit. de ritu nuptiar. & l. Invitum. tit. de servitut. urbanis. eod.*

4. Supposito igitur, quod omnes recipiunt, de eo, qui nullam actus, vel contractus notitiam habet, Regulam hanc minimè loqui, cum nihil volitum, quod nunquam cognitum, ut Philosophi dicunt, hic erit genuinus sensus. Tunc tacens consentire præsumitur,

R. cum

cum res hinc inde aequaliter dubia est, & in contrarium nulla coniectura apparet: ac multo magis si pro affirmativa parte probabilis aliqua causa eluceat: v.g. quia res commoda, amabilis, aut honorifica est. Nam universè præsumptio, quæ in naturæ affectibus fundatur, raro fallit. *Fachin. l. 8. c. 64.*

11. Vnde sequitur, veniendo ad particularia. 1. Qui ad oblationem, & collationem beneficii, vel muneris honorifici tacet, consentire præsumitur. *Card. in clem. 1. de concess. præb. Barb. axiom. 217. n. 2. Idem de filiis dicendum, pro quibus præsentibus & tacentibus, parentes contrahunt sponsalia. c. un. de desponsat. Sauch. l. 1. disp. 23. n. 3. Connec. disp. 21. d. 3. n. 34.*

2. Qui duobus sibi objectis unum excusat, alterum silentio transmittit, hoc agnoscere, & fateri existimatur. Exemplum Christi est, *Ioann. c. 8.* ubi cum objecissent Iudæi ipsum Samaritanum esse, & dæmonium habere, hoc negavit, alterum siluit, fatendo tacitè se illum Samaritanum esse, qui generis humano salutarem medicinam adferret. *c. Nonne. de præsumptionib.*

3. Prælati videns inordinate quædam fieri, si neque puniat, neque moneat, consentire merito creditur, maxime si correctio non minetur aliquam perturbationem. Tunc enim iudicat, indulgendum aliquid, ne subditi nimia severitate offendantur. *Sauch. de matr. l. 6. c. 11. n. 11.* Simili modo si clericus proroget jurisdictionem iudicis non sui præsentis & videntis Episcopi, videtur Episcopus consentire.

4. Si pater sciat filium suum lude-

re, & pergræcari, ac nihilominus pecuniam subministrat, tanquam approbator omnium malorum, quæ inde sequuntur, reum se facit.

5. Reus in iudicio si nihil ad objectare respondeat, nullam exceptionem obtendat, patrat criminis suspicionem certissima tenetur. Nihil enim hic fingi causa potest, cur cum facillè possit, non contradicat, quasi conscientia testimonio tam valida gravatus, ut desperet. Idem de quolibet contumace dicendum. *Barb. l. cit.*

6. Consentire præsumitur, qui dolo aut fraude tacet. Ex eo enim videtur lucrum captare sibi, vel aliquid mali adversario suo intendere. *l. 2. C. si alienares pignori detur.*

7. Coniunctio personarum eandem præsumptionem parit. Nam si compromittatur in te, cum præsens sis, reclamare ad incommodum tibi imminens facillè potes. *l. Liber captus. C. de captivis.*

8. Quandoquæque ratione alicujus præcepti, juris, vel antecedentis consensus obligatus es. Promisisti ex grat. possessionem mihi tradere. Te cunctante, vidente tamen, per iudicium aliunde acquiri: consentire te leges fingunt. *Gloss. in l. 2. C. de acquir. possess.*

9. Cum in collegio illicitum aliquid agitur, qui non contradicit, ut impediatur, dum potest, cum aliis omnium malorum reus efficitur, ut qui consenserit. *Panorm. in c. 1. de his, qui si. à mai. part. Capituli.*

10. Et postremò, si cum taciturnitate

tate jungatur actus positivus, verb. gr. Subscriptio. l. fideiusfor. §. 1. ff. de pign.

11. Amplia 7. Vt locum habeat etiam in dissimulante, qui fingit se confessionem, vel allegationem adversarii sui non audire. Dissimulans enim pro tacente habetur. Bald. ad l. 2. c. de bonis, qua liberis. & ad l. Suum. C. de repulian. hereditate.

2. Vt extendatur ad acquisitionem domini, & juris. Nam diuturna patris taciturnitas patientis filium delatam hereditatem possidere, inducit ratificationem. Bald. ad l. 1. C. qui admitti ad hon. poss. Filius quoque sciens patrem suum naturalem agere pro impetranda sibi legitimatione, praesumitur approbare, & consentire. §. Generaliter. Auth. quibus modis naturales efficiantur legitimi.

3. Vt è contrario operetur aliquando amissionem juris favore causarum piarum. Nam qui scit, & dissimulat, rem suam alienari in Ecclesiam, hospitale, aut pauperes consentire censetur intuitu tam sancti operis. Bald. l. 1. C. de remissione pignoris. Item favore litium dirimendarum partium silentium inducit renunciationem feriarum favore hominum introductarum. Felinus in c. si diligenti. de fo. compet.

4. Vt operetur consensum, adeoque delicti confessionem. Nam interrogatus à iudice super crimine delato, si cum possit respondere, obmutat, pro confesso iudicabitur: Secus tamen,

si adversario interroganti non respondeat. l. Certum. §. 1. tit. de confessis, v. Caramuel. in Theol. fundam. n. 652.

5. In quibusdam vim stipulationis habet taciturnitas. Licet enim ad stipulationem communiter verba requirantur, & consensus expressus, taciturnitas nihilominus vim stipulationis habet, si consuetudo ferat, vel si de re favorabili agatur. Bald. ad l. de quib. ff. de leg. Sic pater praesens & tacens, quando filius creatur decurio, obligatur pro ejus administratione, non secus, atque si fideiussisset. l. 2. ff. ad municipales. Item taciturnitas ejus, qui patitur se scribi executorem testamenti, nocet illi, ne postea excusetur, si testator sit conjuncta persona. Romanus ad l. que dotis. n. 38. tit. solu. matr. Barbof. in axiom. citato.

Ex dictis facile solvuntur, quæ obijci possunt. Vel enim lex obstat praesumptioni consensus, vel periculum alicujus mali, vel desperatio eventus, vel denique alia circumstantia, prout sapiens iudex arbitrabitur. V. Bartol. in l. Quae dotis. ff. solu. matr. Bald. l. 6. de reg. iur. Felin. in c. Nonne. de praesumpt. Molin. l. 4. de primog. c. 2. Covarr. in Rubr. de testam. part. 3. n. 12. Menoch. de praesumpt. l. 3. praef. 9. Sanch. l. 1. disp. Matrim. l. 1. disp. 5. n. 5. Azor. 1. l. 1. c. 4. Laym. l. 1. tract. 2. c. 3. num. 3. Lugo de iust. disp. 23. sect. 5. Baribol. Socinus in

Reg. 484. Bronchorst. Centur. IV. ass. 94.

REGVLA XLIV.

Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.

1. **E**Adem est I.C. 184. *Qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare.* Aliqui in odiosis locum habere tradunt, ut *Ornatus disp. 29. n. 53.* quod nihil absurdi continet. Qui verò eandem esse cum præcedente Regula arbitrantur, hallucinantur. Non enim hic de consensu tacito agitur, sed ad interrogationes pertinet, quæ ad elicendam responsionem fiunt. Creditor ex. gr. Titium interrogat, an non fateatur, sibi 100 aur. debere: Titius, cum extra iudicium sit, sciatque se debere, nihil respondet, sed purè tacet. Nec fateri cum Regula dicit, neque negare: eò quòd inter affirmationem & negationem positivam intermediat silentium, in quo nec affirmatio nec negatio continetur. Coram Iudice tamen pro confessione accipitur silentium quod tenerur justè querenti veritatem præstare. *c. 2. de confessionis in 6. Navarr. c. 25. n. 26. Azor. III. l. 13. c. 25. Damasus in Reg. 47.*

II. Exemplum habes I in *c. Anteriorum 2. q. 2.* Iudex contra me sententiam definitivam protulit, tacui, cum possem appellare. An idcirco consensu, aut fassus sum crimen? *Mimine.* Negavi igitur. Neque hoc, sed reservo jus intra decem dies, si videbitur, appellandi.

2. Ex *c. Nihil prodest. de prescript.* ubi dicitur, Taciturnitatem Pontificum, & patientiam in rebus pauperum nullum præjudicium facere. Vnde concludimus generaliter, quando Prælati quicquam dissimulat ad vitandum scandalum, aut aliam causam, non valere argumentum, quod propterea consentiat, vel approbet: nec tamen contradicit, sed in medio hæret.

3. Ex *Accursio Gloss. adfert.* Si domino contradicente servus contrahat, tenetur de peculio tantum, & deducitur, quod domino debetur. *l. Si quis servum. tit. de peculio.* Si autem domino expressè jubente, tenetur in solidum. *l. 1. tit. quod iussu.* Cum verò scit, & tacet, nec deducit sibi debitum, nec in solidum tenetur, sed tributoria tantum. *l. scientiam. tit. de tributoria actione.*

NOTA Tributoria actio dicitur, quæ inter dominum, & eos, qui cum servo cõtraxerunt, pro rata lucrum dividit, qualiscunque sit negotiatio. v.g. si contigerit servum diversis atque etiam domino suo debere, cogitur merces suas in medium proferre, quarum pro rata æris alieni fit divisio, nec in ullo dominus potior est, sed debitum æqualiter dividitur. Si quid amplius ad hujus Reg. intellectum desideratur, ex dictis ad præcedentem sumi potest.

REGV-

REGVLA XLV.

Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

I. Obscurum quid vocemus, ad Reg. xi. diximus. Ad explicandum quid verosimile sit, verosimilibus conjecturis opus est. Arbitrabitur vir prudens omnibus inspectis, & perpenlis. Dynus præterea indicat, percipi primò ex comparatione rerum ad invicem, vel comparatione rei ad pretium. l. i. tit. de rebus dubiis. 2. Ex vicinitate Scripturarum. l. Servus plurium. tit. de legatis. 1. 3. Ex dignitate personarum. l. Titia. tit. de auro, & argento legato. 4. Aliquando ex charitate, & necessitate personarum, di. l. Servus plurium. §. fin. 5. ex consuetudine loquentis. eod. Vbi autem ista deficiunt, ad proprietatem verborum recurendum est, & in horum defectu ad viri sapientis arbitrium. In hoc enim genere rerum, ut Alciatus benè advertit in præmio tract. de præsumpt. certa regula constitui non potest, sed ex factorum diversitate colligitur.

ii. Verosimilitudinem magnæ importantiæ esse ait Hippol. in singulari 343. quod apparet 1. ex eo, quia pro veritate agnoscitur. l. Cum quid. tit. Si certum petatur: & paria sunt habere pro se veritatem, & præsumptionem in verosimili fundatam, quamdiu contrariū latet. Iason & alii ad l. Imperator. tit. de leg. 1. 2. Verosimilitudo onus pro-

bandi in adversarium rejicit. l. In persona. l. Circa. l. sive possidetis. C. de probat. Eadem quippe illius, ne præsumptionis natura & efficacia est, de quo V. Guido. Papam in tract. de præsumpt. & Prolegomena §. 15.

3. Quamvis ab onere probandi non semper, & omninò relevet, corroborat tamen probationem, cui adjungitur. Nam qua non profunt singula, multa iuvant: & nihilominus aliquando unum verosimile ad sententiam sufficit, c. Afferte. de præsumpt. Gaill. l. i. de pac. publ. obs. 17. n. 8. l. i. obs. 108. n. 13. Quocirca adversarius contra quem verosimilitudo, & præsumptio militat, de validioribus probationibus sollicitus esse debet. l. Non est verosimile. tit. Quod metus causa.

4. Habenti semiplenam probationem communiter juramentum deferretur in supplementum probationis: hoc tamen in eo, qui verosimili, & præsumptione munitus est, locum non habet c. fin. de iureiur.

5. Testi aliàs non idoneo, cum verosimilia producit, creditur. Menoch. consil. 23. Barb. in 32. de testib.

III. Quærentibus exempla in omni materia se offerunt. Nam i. in contractibus si rem magni pretii quis duplo aut triplo minoris æstimet, vendatque,

datque, verosimile est, aut gratiam aucupari euentium pro futuro, aut mala fide comparatam esse. Item si pecuniæ magnam summam pauper Mercator mutuo det, probabile est ab alio sumplisse.

2. In Matrimonio. Si mulier ante corrupta livortii causa dicat se à viro suo incognitam esse, illo negante, nisi impotentia ipsius manifesta sit, pro viro iudicabitur, quia verosimile est officio suo non defuisse. *Gloss. hic.*

3. In testamentis. Testator de eo quoque disposuisse creditur, quod si monitus fuisset, fecisset. Item si quis instituto filio substituit illi Titium, intelligitur, si filius liberis careat. Non enim verosimile est, extraneum nepotibus voluisse præferre.

4. In delictis & pœnis. Qui pecuniam furatur, & equum, probabile est non reliquisse sellam, & frenum. Et si filium suum pater verberat, potius correctionis causa, quàm ultionis facere putatur.

5. In privilegiis. Si clericus ad contumeliam, vel injuriam quamcunque sileat, non ideò remittere quicquam de jure suo, & privilegio videtur.

6. In causis etiam spiritualibus. Qui tenue beneficium cum pingui commutat, non procul abesse à Simonia censetur. Infans expositus cum scheda baptismum testante pro baptizato habendus est, ut pluribus probat. *Comital. l. i. q. 1.*

7. Qui se passim exponit periculis & occasionibus ad incontinentiam invitantibus indicium facit, non esse voto castitatis obstrictum.

Denique quæ ad præsumendum feruiunt, huc trahi possunt, quia omnis præsumptio veritatis cupida est, & quàm proximè nititur accedere. *Bald. Consil. 180. l. 3. Oldrad. Consil. 13.*

IV. Amplia I. Ut prævaleat verisimilitudo, quamvis contraria probatio potentior esse videatur. Plus namque paucis testibus verisimilia allegantibus, quam centum aliis minus credibilia dicentibus creditur. *Bald. in l. testium. C. de test. Hippol. singulari. 343.*

2. Quamvis iuramentum obistere videatur. Duo testatur Cajus, unum cum iuramento, alterum sine iuramento. Illi standum jure communi videtur: at si in isto plus verisimilitudinis appareat, prævalebit. *Panorm. in c. per tuas. de probat. Bald. in l. fin. C. de iudic. Atque hoc maximè observandum esse monet. Hippol. Singulari 298.*

3. Quamvis verba improprie sumenda forent. *l. Si uno. tit. locati.* Nam si verba improprie sumenda sunt, ut actus valeat, etiam sic accipi possunt, ut verosimile inspiciamus, & secundum illud iudicemus. *Aleiat. Reg. 3. præsumpt. c. 30. Barb. axiom. 223.*

4. Quamvis per se aliàs strictissimè accipienda res esset, uti mandatum. *c. Cum in illis. de præbend.* Id enim quod verosimile est, præferretur: quandoquidem in eiusmodi eventibus ad finem & intentionem potius, quàm verba attendendum. *l. Quoties. ff. de reg. iur. Gaill. l. i. obs. 35. n. 2. & l. de pace. publ. obs. 4. n. 26.*

V. Obj. 1. Casus omisus in lege, conventionem, vel testamento habendus est pro omisso. *l. Commodissimè ff. de lib. & posth.*

postb. l. post dotem. ff. solu. matr. Ergo non est recurrendum ad verisimilia, quibus suppleatur eiusmodi defectus.

R. Casus omissus pro omissio habetur, quando aliud natura rei, & ratio non suadet. Contingit autem non raro, ut talis sit dispositio, & tanta rerum connexio, ut ab expresso ad tacitum necessariò faciendae extensio sit. Bald. in c. Quia. de iudicis. Barb. axiomate 39. n. 3.

Obj. 2. In l. Veteribus. ff. de pactis. dicitur interpretationem faciendam esse contra eum, qui legem conventionis potuit apertius dicere, & inf. reg. 57. idem repetitur: quasi velint iura hæc alio medio opus non esse, puta conjecturis, & similibus.

R. Facere interpretationem contra obscurum legis conditorem, & uti verisimilibus non repugnant inter se. Imò utendum hisce pro interpretatione temperanda, ne per illam nimium gravetur. Verisimilitudo enim rationis, & naturæ amica est. Aymo cons. 75. n. 24. Baldus consil. 130. l. 3.

Obj. 3. Omnis probatio necessariò concludere debet, nec sufficit fieri pos-

se, ut res ita se habeat, vel non habeat, sed certitudo requiritur. l. non hoc. C. Unde cognati. l. Neque naturales. C. de probationibus.

R. Aut quaritur de his quæ certo cognosci, & probari possunt, aut de illis, quæ non nisi probabilibus, & verisimilibus confirmantur. In illis valet regula, necessariam probationem adhibendam: in his sufficiunt ea, quæ demonstrationum loco subduntur, & fidem faciunt, juxta rei qualitatem, & conditionem. Bald. Consil. 62. l. 2. Mascardi. de probat. Conclus. 671. Card. Tusch. lit. P. Concl. 764. Barb. axiom. 191.

VI. Quod in Regula additur, quod plerumque fieri consuevit, inspiciendum esse, indicat, ab usitato, seu à consuetis argumentum sumi posse. Nam contractus, & testamenta, ubi opus, ex iis, quæ ut plurimum accidunt, interpretari possumus, ut latius exponit Eberh. in loco ab usitato seu à solitis. illud specialiter notans præsumendum pro his, quæ diu agitata sunt in Ecclesia Dei patiente, & tolerante superiore. c. Constitutus. & ibi Panorm. de relig. dom. & c. Ecclesiasticar. dist. 11.

REGVLA XLVI.

Is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit.

I. Concordat illa l. C. 137. Qui in ius, & dominiumve alterius successit, iure suo uti debet. Pro intellectu scire oportet, duplices successores esse. Qui-

dam dicuntur universales, ut hæredes, bonorum possessores, & ex Trebelliano succedentes. Atque hi propriè juris successores audiunt, quia

in

in universum jus defuncti succedunt. *l. Quoties. §. hæredes. tit. de hæred. instituendis.* Alii dicuntur successores singulares, ut singularium rerum emptores, donatarii, legatarii, & similes, qui in rem ipsam, & jus singulare succedunt. *l. Quædam. tit. de edendo. Caram. Theol. fund. n. 664.* Iam sicut in bona alterius, sive ab intestato sive testamento quis succedit, ita quoque in regnum, dignitatem, seu prælaturam, de quibus omnibus ordine dicendum erit.

I. I. Exempla *Gloss.* sunt **I.** Conventio, seu pactum ab antecessore initum de oblationibus cum Episcopo dividendis à Monasterio servandum præcipitur in *c. Eleutherius. 18. q. 2. Bart. in c. Ad hęc. de solutionib.* **2.** Successorem convenire licet per rescriptum impetratum contra prædecessorem. *c. Dilecti. de so. compet.* **3.** Hæres non usu capit. quod non ulu capiebat defunctus, cui successit. *l. Cum hæres. de diversis, & temporalibus præscript.* Sic *Gloss.* quibus adde. **4.** Illic hæres conveniri potest, & debet, ubi defunctus conveniendus erat. *l. hæres. absens. tit. de iudic.* **5.** Laicus hæres clerici lite cum defuncto contestata coram iudice Ecclesiastico convenitur, & è contra *DD. in l. Venditor. tit. de iudic.* **6.** Quod delicta attinet. Si quis de crimine accusatus ante sententiam moritur, hæres ipsius prosequi causam potest ad demonstrandam innocentiam. *Romanus singulari 303.* **7.** In pœnis similiter (corporales excipio) si defunctus ad pecuniariam damnatus erat, à successore perfolvenda erit. quod per sententiam condemnationis Magistra-

tui bona damnati obligantur, ut inde satisfiat: neque conveniens ullo modo reputatur, per successionem accrescere substantiam hæredis, alterius verò minui. Quamobrem fiscus etiam ubi ad hæredem, aut quemcunque alium devenisse bona confiscata intellexerit, absque mora abripiet; non quod culpam defuncti hæres suscepisse videatur, sed quod realia debita omnium creditorum exolvere debet. *c. 2. de præscript. in 6. l. commissæ. tit. de publicanis. V. Silv. V. Hæreditas III. Barb. in c. Parochiano. de paroch. Comitol. l. 4. q. 42. Gaill. de pæ. publ. l. 1. c. 20. n. 23. Fachinaum. l. 1. Contror. s. 4.*

III. A. **I.** Ut extendatur ad hæredes mediatos, & posteriores: quia hæredis appellatio non solum ad proximum hæredem, sed etiam ad ulteriores refertur. Nam & hæredis hæres, & deinceps hæredis appellatione continentur. *l. hæredis appellatio. tit. de verb. signif.*

2. Quamvis non sit ex affe hæres, sed ex parte tantum: quod pro ea parte, quàm obtinet, repræsentat defunctum. In reliquis autem censetur extraneus. *Bald. l. fin. & l. si adulter. C. de hæred.*

3. Quamvis in conventionione, stipulatione, aut pacto nulla hæredis mentio facta sit: quia ejusmodi defectum leges suppleunt, finguntque in instrumento nomen hæredis positam esse. *l. Si pactum. tit. de probat. DD. in l. Postulante. tit. ad Trebellian.*

4. Nec proderunt exclusivæ particulæ, *Solummodo, tantum, dumtaxat,* & similes. Nam si venditor pactus esset, nulli,

nulli. quàm sibi licere rem venditam reddito precio recuperare, nihilominus hæredi permittetur. Vnde non nisi extraneas personas excludunt particula prænominata. *l. Si necessarias. §. pen. ff. de pignoratitia actione. l. Stipulatio. ff. de verb. obligat.*

5. Defuncti jus ita hæredi proprium est, ut impediatur ea, quæ ratione personæ suæ aliunde habet. Mater ex grat. bona paterna filii vendit, malè quidem, si tamen ipsius hæres esse filius velit, bona sic vendita recuperare non potest, dicendo. Ego bona hæc repeto, non ut hæres matris meæ, sed ut propria mihi à patre relicta. *l. Cum à matre. C. de rei vendic. l. Venditoribus. de reb. alien. vel non alienandis. eod.*

Item si contra prohibitionem patris sui filius alienaverit bona quædam extra familiam in extraneum, non poterunt hæres ipsius ejusmodi alienationem revocare, dicendo, se in bonis illis substitutos fuisse. *l. filius am. §. Cum pater ff. de legat. 1. l. Vindicantem. ff. de erig.*

6. Extenditur etiam ad forum conscientie. Sicut enim defunctus, cum viveret, conscientiam suam exonerare debebat, ita cum neglexerit, hæres supplere tenetur. Vnde hæres sive filius, sive extraneus, debet primò omnia debita solvere, sive fuerint ex contractu, vel quasi contractu, sive ex maleficio, & quasi, sive res pervenit ad hæredem, sive non, modò bona hæreditatis sufficiant. *Secundò* expedire omnia legata. *l. fin. C. de iure deliberandi. Tertio* vota realia à defuncto edita v. gr. dandi tantum pauperibus, erigendi aram, &

similia. Personalia vota cum defuncto extincta censentur, *Decanus l. 2. c. 19. l. 8. c. 29. & 39. Gaill. l. 1. de pac. pub. c. 20. Less. c. 20. dub. 20. Barb. in c. Licet. de Voto.*

IV. Obj. 1. Mors omnia solvit. *Auchen. de iureiur. à moriente præstito. præsertim crimina, & pœnam. l. defuncto. ff. de publ. iudic.* Deinde subiecto extincto qualitas inesse non potest. *l. tutela. ff. de legitim. tutorib.*

R. Distinctio faciendâ est inter realia, & personalia. Hæc quæ personæ sic propria sunt, ut alteri convenire nequeant, unâ pereunt: illa verò non item, ut ex dictis liquet. Communis enim DD. sensus est, debita defuncti ab hæredibus præstanda, damna compensanda, & satisfaciendum esse obligationibus, quibus res ipsa & bona censentur affecta. *V. Sebast. Medicis. tract. Mors omnia solvit, ubi Casusso. numerat in quibus fallit.*

Obj. 2. Hæres non potest ratificare factum defuncti, quod tamen hic, cum viveret, poterat. *l. bonorum. ff. Rem ratam haberi. l. 3. de bon. poss. eod.*

R. Contractus, & pacta priusquam absolvantur, non sunt juris, sed meri facti, ob eamque causam ad hæredes non transeunt. *l. Consilio. ff. de cur. tutoribus furiosis dand.* Hinc si donatarius obeat ante acceptationem jus acceptandi ad hæredes non transit, licet donatio fuisset absenti per Notarium stipulata. *Tiraquell. de constit. n. 9.*

Obj. 3. Hæres totam dotemolvere debet, ad quod non tenebatur, defunctus maritus. Nam ultra id, quod commodè facere potest, leges non urgent.

S

gent.

gent. l. un. c. de privilegio dotis. l. quia tale. ff. solv. matrim.

R. Non idem hæredibus, qui uxoris filii non sunt, quod marito indulgendum Ius censuit. Vnde quamvis prodigè dotem absumpsisset non nisi pro commodo restituere cogitur, quod privilegium hæredibus non debetur, sed totam, quanta erat, dotem reddent.

V. Quod attinet alios successores, non hæredes, hæc pauca observatu digna sunt.

1. Bonorum possessor universalis, quoad effectum, loco hæredis est, ejusque appellatione continetur, tam in statutis, quam in privilegiis. l. l. §. bonorum. ff. ad Trebell. l. Si filius eod. Si qui ommissa causa testamenti.

2. Eodem jure tenetur, cui omnia bona legata sunt, quamvis non ut hæreditas, quia censetur fideicommissari-

us universalis. l. Nam quod. ff. ad Trebell. teneturque solvere æ alienum, sicut quilibet bonorum successor universalis.

3. Successor in regno, vel principatu, antecessoris sui contractus non debet, nec absolute potest dissolvere. c. l. De probationib. Plot. Consil. 11. alias non inveniet, qui commercium cum ipso habere velit. Baldus in l. Princeps. ff. de legib. Moron. de treuga, & pace. Qu. 17. n. 2.

Nec obstat, quod successori suo antecessor nihil præscribat. Hoc enim in pactis conventis fallit ex præsumpto quodam, & tacito inter subditos & principes scedere.

4. De successoribus singularibus idem dicendum est, teneri scilicet ad pacta non personalia. Bald. cons. 159. & Dynu, quem vide.

REGVLA XLVII.

Presumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

I. **Q**uod in Reg. 13. Ignorantia facti, non iuris excusat, monui de facto alieno intelligendum, hæc quoque servit. Non enim, quæ ab aliis geruntur, nobis præsumitur nota esse, nisi certis indicijs probetur, ut exempla docent. Nam 1. In c. Proposisti, dist. 82. digni veniã dicuntur, qui ignorarunt statutum Syricij, in provinciam delatum esse de penã incontinentium sacerdotum. 2. in c. si verã. 2. De sent. excomm. non esse excommunicatum declaratur illum, qui ignorans clericum esse, manus vio-

lentas intulit. 3. In l. Super servu. c. qui milit. non poss. præsumitur dominus ignorasse servum suum militiae ascriptum esse. 4. l. Hoc autem. ff. de admin. tutorum, ignorasse tutor præsumitur, se tutorem datum esse. Hæc enim, & similia facti sunt, & quidem alieni: eorumque ignorantia tunc excusat, cum in iudicio allegata fuerit. l. Verum. ff. de probat. Bald. in l. Quicumque. n. 4. c. de servu fugit. Iason. in di. l. Cum quid. n. 25. Gall. l. 2. ebf. 46. n. 20.

Quod autem dicitur, scientiam proban-

bandam esse, ab adversario scilicet, vim præsumptionis indicat, & de non qualicumque, sed perfecta scientia accipitur, quæ nimirum præter rei substantiam ejus qualitates quoque, & circumstantias manifestet. *Gloss. in c. Concertationi. de appell. in 6. Romanus conf. 347. Alexan. consil. 114. lib. 1.*

II. Amplia 1. Vt ignorantia præsumatur in pupillo, & minore, licet eis indicata sint per tutorem gesta. Hinc in emphyteusi propter non solum canonem excusantur pupilli, quam non obstante indicio, adhuc ignorare præsumuntur, quoniam imperfecta valde illorum intelligentia censetur. *Alciatus consil. 108.*

2. Quamvis procuratori alicujus res manifesta sit. Ponamus, ait *Ulpian. in l. Item veniunt. §. petitam esse. ff. De petitione hereditatis*, denunciatum esse, non tamen scit, quia non ipsi sed procuratori ejus denunciatum fuit.

3. Aliquando præsentis actui vel judicio, ignorasse præsumuntur: puta, si clientis in præsentia Advocatus peregrinâ linguâ loquatur. Tunc enim ne quidem præsens esse censetur. *Hippol. ad l. Qui ignorans. n. 15. ff. de falsis.*

4. Contra hanc ignorantiam statutum non valet, ne allegari queat. *Barr. in l. Divus. ff. de falsis.* Aliqui tamen cum *Tiraqu.* dubitant, propterea, quod per statutum fieri queat, quod pacto fit. *V. Eber. in lo. à pacto ad Statutum.*

III. Obj. 1. Ignorantiam allegans juramento probare debet, rem videlicet, quæ ab interiore animo pendet. *c. Nulli de et. in 6. c. Si verò. c. de sent. exc. Præ-*

sumptio igitur hic locum non habet, quæ onus probandi in adversarium transferre solet. *V. Vivianum hic. Gaill. l. 2. obs. 48. n. 23. & Barb. in c. Si vero. cit.*

R. Juramentum ad probationem ignorantia non exigitur, nisi ab iis, contra quos præsumptio militat, & suspectos facit. Imò tam valida certis in casibus esse potest, ut ne quidem ab offerente admittatur: ut si persona parùm honesta sit, adeoque periculum perjurii, in quo eventu peccare eos, qui juramentum exigunt vel acceptant Theologi docent. *V. Less. c. 42. D. 10. Azor l. 1. 11. c. 11. Q. 1. c. 2.*

Obj. 2. In *c. Quanto. de præsumpt.* omnino rejicitur præsumptio ignorantia eorum, quæ in vicino acta sunt: quasi non plurima ignorare cogantur vicini: cum in eadem domo alterius alter res sæpe nesciat.

R. Vicinis nota esse facta eorum, cum quibus & inter quos vivunt, jure præsumitur, non omnia, & singula, sed quæ communiter, & non celandi studio fiunt: talia præferim, quæ mox evulgantur. Quam ob causam in *c. Quanto. cit.* dicitur. Latere te in vicino non potuit, quod ad nos in longinquo pervenit. *V. Gaill. l. 1. obs. 142. n. 5.*

Obj. 3. In *l. Situtor. C. de periculo tutorum Papinianus* vult liquidissimis probationibus (qualia sumuntur ex scripturis, & testimoniis) doceri ignorantiam ab illo, qui eam allegabat.

R. In tutore illo magna præsumptio

ptio in contrarium erat, ac proinde non leviter ab illo exactæ sunt probationes. Præsumptio enim, quæ supervenit, & fortior est, jugulat præcedentem, nec magni æstimatur fides illius, qui non magni æstimare videtur ipsam veritatem.

Obj. 4. In l. *Cum hæres*. ff. de divers. & temporal. præscript. Hæres dicitur in vitia defuncti succedere, nec minus rei alienæ notitiam habere, quàm defunctus habuit, ergo etiam scientia præsumitur.

R. Vel hæres agit de acquirendo

lucro, vel de evitando damno. Si hoc, præsumitur scientia defuncti in ipso continuata juxta textum legis citatæ: Si illud, non præsumitur; sed juxta præsentis regulæ normam probanda est. *¶ Dynum hic. Bartol. in l. Si quis delegaverit. § fin. De novat. & in l. Non fateatur. ff. De confess. Iason in §. Si quis. Infit. de ac. Abb. in c. Excommunicato. De Rescript. Alexand. Consil. 134. Roman. Consil. 382. Cepola Consil. 26. Mascard. de probationib. Conclus. 637 & Conclus. 879. Card. Tuscibus in l. l. Conclus. 22. Barb. in Axiom. 112.*

REGULA XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura.

I. **O**Mnino gemina est illa l. c. 206. *Iure natura equum est, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiosem. Quod pluribus explicans Rom. eloquentiæ princeps. l. 3. Offic. Hominem, inquit, hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt, aut corpori accidere, aut rebus externis.*

Porrò locupletior factus censetur, tam qui penes se rem habet, quàm qui in corpus patrimonii quoquo modo convertit, aut cuius in rem versum est, licet malo eventu perierit. l. 18 ff. *quod merus causa*. Item qui debito liberatus est. l. 50 ff. *De donat. inter vir. & ux.* Cum iniuria autem vel iactura alterius locu-

pletatur. 1. Qui bona sua indebitis modis conservat, celando v. g. & negando, ne vestigal pendet. 2. Qui ut suis parcat, alienis utitur v. g. bobus ad arandum, equis ad vehendum, navibus ad navigandum. 3. Qui rem alienam quam vis à se iuste pactam ultra tempus detinet: quod etiam de pignoribus dicendum. 4. Qui quocunque modo malæ fidei possessor est. Hic enim nunquam præscribit, ut in *Part. 2. sum. Tit. 13 §. 2. probatum est*. Denique quamvis aliena res consumpta fuerit, & non extet amplius. Illa enim dum quis utitur, suis parcat, & reus manet ad compensationem.

¶ I. Amplia 1. ut valeat etiam in pupillis & minoribus. His enim quamvis contra emptionem, venditionem

nem, aliumve contractum detur in integrum restitutio, fructus tamen inter ea perceptos restituere debent, ne ex re aliena fortunas suas augeant. *l. Si pupilli. ff. de negot. gest. Tirac. de Retractu f. 264.*

2. Etiam in Ecclesia. Prælati ex gratia rem ecclesiæ permutavit cum re alterius: quando hic ecclesiæ cogetur reddere, recipiet suam, nec ex ea lucrum injustum ecclesiæ accrescat. *Bart. ad l. Qui res. C. de sacros. eccl. Idem dicendum de fructibus, & pretio rerum, quæ forte non extant amplius.*

3. Similiter in Rep. quæ eodem jure cum pupillis, & ecclesia utitur. *l. Rempublicam. C. de iure Reip. Eberh. in loco à pupillo ad Rempubl.* Hinc si in flumine publico molendina sint, alia privatorum civium, alia reip. & resp. statutum faciat, quo privatorum hominum molendina graventur, reip. vero redditus augeantur, injuria fit civibus, & statutum non valet: quæ civitas non potest cum damno aliorum crescere, & locupletari. Idem de fisco dictum velim, qui in talibus pari cum privatis passu incidit.

4. Amplia, ut non sit opus in iudicio allegare regulam hanc. Iudex enim licet non requisitus providere debet, ne quis unquam cum injuria, & damno aliorum suas fortunas augeat. Id enim quamplurimum reip. & singulorum civium interest, quemadmodum DD. copiose explicant in *l. 4. §. Hoc iudicium ff. de damno infecto.*

5. Aliqui Regulæ hujus beneficio neminem renunciare posse contendunt, eo quod juris naturalis sit. *l. Ius æquationis. ff. de pactis.* Verum contraria

opinio multò probabilior est. Quis enim nesciat licere jure suo cedere, remittere injuriam, condonare debita, & similia, quæ à naturali jure dependent? *l. Si quis in conscribendo. C. de Episc. & Cleric. Decius ad Reg. Quoties 91. Gall. l. 2. Observ. 36. Less. c. 7. Dub. 3. Barb. in Axiom. 135. n. 13.*

III. Obj. I. Creditori licet mutuum repetere, & exigere, quamvis nunquam datum, modò chirographum id testetur, & debitor intra biennium non repetat scripturam, nec excipiat de pecunia non numerata. *l. In contractibus. C. de non numerata pecunia.*

R. Quod conscientiam atinet, nec debetur ea pecunia, nec exigi sine peccato potest ab eo, qui non esse numeratam scit, sed ex præsumptione constitutum est, ut exigi queat, ne alioqui debitorum pro arbitrio suo de pecunia non numerata exciperent: & verisimile est, si non fuisset numerata pecunia, debitorem vel excepturum, vel repetiturum syngrapham. Sibi ergo imputet, si neglexit, & propterea infestetur.

Eadem fere Ratio, & responsio servit objectioni de usucapione, & præscriptione: per quam locupletari cum injuria & damno aliorum videntur, qui præscribunt. Cùm enim tam longo temporis spatio nemo contradixerit, jure præsumitur, vel dominum rei possessæ alium non extare, vel ita rerum suarum esse negligentem, ut facile aliis curandas, & possidendas relinquat. Quo posito si damnum aliquod inde promanat, non est ipsi involuntarium: injuriam vero non faciunt, in quibus bona fides est, legum præscripto ro-

borata. V. *que de prescript. dixi Part. 2. summa tit. 13. §. 1. Dom. Soto l. 4. q. 5. art. 4. N. v. c. 17. n. 84. Sylv. v. Prescriptio. Zerola cod. l. eff. 1. 2 c. 6.*

Obj. 2. Qui privilegium, & immunitatem à Principe obtineat. v. *gr.* non contribuendi ad alendum exercitum, cum aliorum jactura crescunt: nemo

tamen de injuria queri audeat.

R. Magistratus bene meritos non re præmio potest, & debet. In excessu si contingit delinquere: subditis permittitur gravamina sua modeste proponere. Nec qualibet bonorum temporalium jactura vocari injuria debet.

REGVLA XLIX.

In pœnis benignior est interpretatio faciendâ.

I. **D**esumpta est ex Reg. l. c. 197 *Factum cuique. §. in pœnalibus causis benignius interpretandum est.* Rationem habes in Reg. 15. superius posita. *Favores ampliandi: odia restringenda sunt, ut à periculo & excessu magis remoti simus.* Exemplis abundat *Glossa.* Nam 1. ex multiplici pœnâ eligimus mitiorem. *c. Eof. dist. 50. c. Si quis dederit. 24. q. 1.* 2. Si verba pœnâ perpetuam importare videantur, eligimus temporalem, *c. Non oportet. 33. q. 4. c. 1. Dist. 50.* 3. De pœnis non arguimus ad similia, quæ non sunt de mente legislatoris, nec habent eundem effectum, ne pœnæ excedant proprium casum. *§. pœnâ. Dist. 1. de pœnit.* 4. Vbi reperiuntur talia verba. *Puniantur, priventur,* intelligimus non ipso jure, sed per sententiam. *c. Quia propter. de elect.* 5. In dubio mitiorem partem sequimur. *l. Haec enim. ff. de suspect. tut.* Nam si constet tutorem suspectum fuisse, & propterea amotum, dum non constat, an propter dolum, an propter culpam, dicimus, propter culpam remotum esse, nec ideo infamem esse. Pari benigni-

tate, si quis vim commisit, neque constat, utrum cum armis, interpretatur sine armis factam esse, adeoque mitiori pœnâ plectendum. *l. pan. & l. pœnes. ff. de pœnis.* Denique si in laicis, & profanis, multò magis in ecclesiasticis, & Deo devotis personis illa moderatio, & benignitas adhibenda est, favore ordinis, ac professionis, cujus præsumi potest, memores esse in actionibus suis, ita ut ex infirmitate potius, quàm malitia delinquere censeantur. *c. Absit. 11. q. 3. l. 1. l. 4. c. 4. D. 5. Piasce. Part. 2. c. 3 n. 61.*

II. *Amplia 1.* Vt locum habeat, quamvis aliqua in contrarium præsumptio sit. Nam licet nemo immemor salutis suæ in termino vitæ existimetur. *l. fin. C. ad l. Iuliam repetund.* nihilominus si vulneratus, & ex vulnere mortuus auctorem cædis indicaverit Sempronium, nisi aliæ probationes adsint, non credetur, præsumendo id, quod benignius, Sempronium innocentem esse.

2. *Quamvis actio majorem speciem habeat iniqui, quàm æqui, nihilo-*

minus in ratiorem partem flectenda interpretatio est; ne aliter faciendo cuiquam noceamus, vel impediendo beneficii acquisitionem, vel augendo supplicium. *Alciatus c. 1. n. 10.*

3. Quamvis in lege vel statuto etiam obligentur ignorantes. Id namque ad poenas inibi contentas nequaquam extendi debet. *Toann. Andr. inc. Dispensatio de Rescr. in 6. Barb. in Axiom. 181.*

4. Pro benigniori interpretatione praesumptio violenta, quae vim simplicis probationis habet, in civilibus causis, non sufficit ad damnandum in criminalibus. Neque enim ex sola praesumptione mortis poena, sed alia minor infligenda est. *Mench. l. 2. de arbit. Casu 279. Mascar. de probat. Concl. 459. Gaill. l. 1. de pace publ. obs. 15.*

5. Denique ob eandem causam aliquando permittitur interpretatio illi ipsi, qui deliquit. Consilium dedit Cajo verbis ambiguis, ut in bonum, & in malum valere possit: interpretatio Cajo relinquatur, qui procul dubio viam securiorem tenebit. *Alex. Consil. 220.* Minatus es alicui de vindicta sumenda, qui non multo post inventus est occisus: suspicio te premit. Sed quam minae explicari possunt, de vindicta legitima per Iudicem, si nihil aliud concurrat, evades.

III. Obj. 1. *Marcianus in l. xi. ff. de parvis.* monet perspicendum esse, ne quid aut durius, aut remissius constituitur, quam causa deposcit. Item in gravioribus delictis severitate utendum. Non ergo locus benignitati reser-

R. Graviores delicta, a quibus damna, & scandala causantur, in exemplum aliis similia auctoritate merito castigantur acerbiter: ita tamen, ut ne in illis quidem misericordiae immemores sint Iudices, quemadmodum in citata lege dicitur, severitatem legum. *cum temperamento benignitatis* adhibendam. Quocirca non sunt audiendi, qui apud *Peckium* hunc casum excipiunt; quasi in Regula nostra non contineatur. Nam licet majori in his criminibus severitate utamur, non omnino tamen excludimus lenitatem. *Gaill. l. 1. de pace publ. obs. 19. n. 4. Maranta Part. 6. n. 112. Dynus in Reg. 15.*

Obj. 2. *In c. Quoniam. Vi lire non contestata.* Iudici praecipitur, non ut benigniorem viam ineat, sed ut contumaciam poenam decernat, quam magis timere putat.

R. Ut contumacia delictis addita malitiam auget, ita per Iudicem deprehensa castigari durius potest. Hoc enim animae peccantis prodest, cujus in iudiciis ecclesiasticis praecipua ratio habenda. *Felin. in c. fin. de praesumpt. Anchor. Consil. 179. Barb. in c. Vemens. de presb. non baptizato.*

Obj. 3. Si cui per Iudicem pars hereditatis adjudicata fuerit, eamque acceperit, quamvis detecta fraus, vel deceptio fuerit, eam non tenetur reddere, sed cum injuria, & damno aliorum retinet. *l. cum putarem. ff. famil. hercis.*

R. Ita deceptis remedium superest, in integrum restitutio, postquam legitimis probationibus docuerunt errorem,

aut

aut fraudem intervenisse. Hoc quam-
diu non est præstitum, possessorem sen-

tentia Iudicis tuerur. *Decius in Reg. nō.
Iu. Civ. Covar. l. i. v. ar. c. 3. n. xi.*

REGVLA L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

1. **R**egula I. C. 77. unde nostra de-
sumpta est, paulò aliter enun-
ciat. *Actus legitimi, qui non recipiunt diem,
vel conditionem, veluti emancipatio, acce-
pilatio, heredis institutio, adoptio, heredita-
tis aditio, servi optio, datio tutoris, in totum
vitiuntur per temporis, vel conditionis adie-
ctionem.* Vides, hic limitate de certis
quibusdam actibus Papinianum loqui,
Pontificem vero absolute & indefini-
tè, Actus legitimos conditionem, & di-
em non admittere. Ex qua diversitate
diversæ Interpretum opiniones enatæ
sunt, quas difficile erit conciliare. Pro
meliori elucidatione.

Notandum est 1. Actus legitimos
vocari, qui à lege, aut natura, vel sal-
tem fictione, & interpretatione legis,
inventi, constituti, introducti, formam
acceperunt confirmati, vel approbati
sunt. *Alciat. ad l. Cum ad tempus ff. si cer-
tum petatur.*

2. Conditiones alias esse de præsen-
ti, & præterito, alias autem easque pro-
prie, de futuro. Item alias explicitè po-
sitas, alias tacitas. Item alias in natura
rei fundatas, alias ab extrinseco prove-
nientes, quæ propterea separabiles.
Conditio de futuro (cujus hic mentio)
suspendit obligationem, & affectum a-
ctus in eventum dubium, ita, ut hic, &
nunc non censeatur perfectus, & abso-

lutus. l. *Cum ad diem & l. Itaq; ff. de reb.
cred.*

3. Nullum esse actum, à nostra vo-
luntate, & arbitrio pendentem, qui
non recipiat conditionem, & diem ex-
ceptis illis, quorum vel natura exclu-
dit, vel specialis aliqua Juris dispositio
resistit. Vnde mirum non est, si appo-
sita conditione vel temporis determi-
natione vitientur, cum vel natura, vel
lex repugnet. *Azor. in C. de condu. Barb.
hic, & in Axiom. 48.*

His ita prænotatis non opus est di-
cere, Pontificem in præsentì Regula à
Iu. Civili dissidere, illudque corrigere:
multò minus ipsius Regulam limitan-
dam esse, ut non loquatur de actibus
legitimis, aliis, quàm à Papiniano nu-
merantur. Nulla enim id necessitas sua-
det, sensus igitur genuinus est, & à Pon-
tifice intentus. Actus legitimos, quo-
rum vel natura repugnat, vel lex aliqua
obstitit, conditionem, & diem non re-
cipere, conditionem dico, in futurum
eventum dubium, ita ut hic, & nunc
Actus non sit absolutus & perfectus.
Ejusmodi sunt, quos in sua Regula Pa-
pinianus numerat, exempli causa, non
vero, quòd solos existimaret legitimos
esse. Sunt enim, ut contractus omittam,
actus legitimi collatio, & resignatio
beneficii, exhereditatio liberorum, &
alii

alii multi. *V. Dymum hic.*

II. Hinc *Barbosa* colligit 1. Matrimonium, quamvis actus legitimus sit, recipere propriam, & suspensivam conditionem, rejectâ *Sotii* in 4. d. 29. q. 3. & *Sanchez* l. 8. D. 1. n. 5. opinione, qui non matrimonium, sed matrimonii consensum esse conditionatum volunt. In cunctis namque contractibus conditio propterea actum suspendit, quam consensum inficit. Neque enim aliter, & ante volumus, quam conditio impleatur. In matrimonio igitur immediate consensum, consequenter verò perfectionem actus conditio suspendit. Ita illi.

2. Baptismum, & alia sacramenta in administratione sua non admittere conditionem suspensivam, & diem, quod enumeratione partium constare potest. Non quod omnis conditio absit, cum in omnibus reperiantur, sed quia effectus sacramentorum à futuro eventu non pender, quia verbis conceptis, & solenni formâ perficiuntur.

3. Excommunicationem aliasque censuras non esse actus legitimos, nisi largo quodam modo: saltem non ejusdem generis cum illis, de quibus *Regula* affirmat, diem & conditionem respicere. *V. Barb. in c. Romana. V. Caveant. De sent. excom. in 6.*

4. Actus legitimos non excludere modum, quamvis conditionem excludant: quia per modum actus perfectio non læditur aut suspenditur. Item non excludere eam conditionem licet de futuro, & suspensivam, quæ actui ex natura sua inest, nec arbitrio agentium subjacet. v. g. datio tutoris actus legiti-

mus est, fieri tamen potest cum adjecta conditione, si satis dederit. Talis enim conditio illi ex juris dispositione inest. Nec interest, hic, & nunc verbis enunciari, quam per hoc illius natura non mutatur. *l. 1. & 2. C. de tutor. vel curat. arg. c. 1. & 2. de conc. praben. in 6. Azor III. l. 4. c. 24.*

III. *Amplia 1.* Ut actus legitimi excludant etiam disjunctionem. Neque enim auditur, qui electus ad duas dignitates petit in utraque confirmari protestans, se unâ contentum fore. *c. Si quis duas, de el. in 6.* Actus nimirum confirmationis disjunctionem non agnoscit.

Amplia 2. Ut aliquando conditionem improprie dictam de præterito, vel præsentis non recipiant. *l. Cum ad tempus, & ibi Ale. ff. Si certum petatur.* Causus dicit, adeo hæreditatem, si est solvendo, nunc scilicet: nihil valet ejusmodi adjectio: quæ incertitudinem continet, inimicam actibus legitimis. Aliqui tamen notarunt, prædictam conditionem primo quidem aspectu videri, non esse de futuro, re ipsa tamen esse: Nam ita affectum se esse demonstrat hæres, ut si successu temporis deprehendat, non sufficere hæreditatem, illam dimittere velit, quod substantiæ illius actus repugnat.

Amplia 3. Ut quando propter adjectionem conditionis actus invalidus est, ea nullitas in judicio semper opponi possit. *Bar. in l. quamvis. ff. de solutio- nib. licet agendo non item. l. Cum profi- re. ar. C. de revoc. donat. juxta notissi- mam regulam. Qua sunt temporalia ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum:*

T quod

quod maximè notandum in collatione beneficiorum, quam carere oportet omni conditione suspensivâ, & extintivâ, ne simonia committatur. Similiter resignatio beneficii nullam conditionem admittit. *c. Super eo quod de transactionibus.*

IV. Obj. 1. Tutela testamentario sub conditione dari potest, licet actus legitimus sit *l. Si quis conditione. ff. de testamentaria tutela.*

R. Tutela duob. modis constituitur 1. à patre, qui testamento nominat tutorem. 2. à Iudice. Ab hoc sub conditione non potest dari, à patre autem potest. *Mynsing. §. Furiosus & seqq. Instit. Qui testamento tutores dari posse.*

Ratio differentia est. Quando testator sub conditione scribit tutorem, pendente conditione Iudex alium designat, ne bona hæredum negligantur. Ac quando Iudex tutorem dedit, interim pendente conditione vel die alius Iudex tutorem dare non potest, quo Iudicis factum non suppletur. *l. Neque c. Qui dare tutores, & c. & actis legis in pendenti esse non possunt. l. Muto. §. 1. ff. De tutelis.*

Obj. 2. Hæredis institutio sub conditione fieri potest, ut multis legibus declaratum est. *§. hæres. Instit. De hæ. in 2.*

stituendis. & ff. eod. Illam verò dubitare non licet, actum legitimum esse.

R. Aliud est, hæredem fieri, aliud hæreditatem adire. Hoc posterius excludere conditionem, & diem supra n. 1. diximus: illud non excludit, sed recipit: quia hæredis institutio non est ex illarum actionum numero, quarum natura non patitur conditionem, vel ne recipiat. jure cautum est: sed contrarium potius in §. cit. legitur hoc modo. *Hæres, & pure, & sub conditione institui potest, ex certo tempore, aut ad certum tempus non potest.* Denique diem adiectum haberi pro supervacuo placet. Vides diem rejici, conditionem admitti? *V. Bronchorst Centur. 3. Assert. 31.*

Obj. 3. De acceptilatione, quæ conditionem non respuit. *l. Si sub conditione. ff. de acceptilat.*

R. Ibi sermonem esse de conditione tacita, quæ actum non vitiat ut si, quod mihi sub conditione debetur, purè acceptum fecerim, tacita acceptilationi conditio inerit, ut tunc liberatio obveniat, cum præstita conditio fuerit. Quemadmodum marito per acceptilationem dos constituatur, ea tacitam conditionem habebit, si nuptiæ sequantur. *l. Promittendo. §. de iure dos. ff. de verb. signif.*

REGVLA II.

Semel DEO dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.

1. **C**onsecrantur DEO, id est, à genere communi, & adiaphoro | separatæ in honorem ipsius & cultum res, & homines, transferuntur, indeque non

non jam communes, sed propriae, & sacrae censentur cum differentia tamen, quod homines si arbitrio suo, cum liberi non essent, obtulerint se, & mancipaverint divini cultui, irrito conatu in servitutem, statumque pristinum remittantur, non obstante hac Regula: quod in rebus inanimis fieri non potest. Vnde si res aliqua per errorem ab episcopo consecrata fuerit, manebit ecclesiae, pretio tantum illi, cujus erat, restituta. *c. Nulli. 12. q. 2.* Exempla Regulae multis modis figurat *Glossa*. 1. Si ecclesia ruinam minetur, sitque tectum renovandum, antiquae trabes non possunt ad profanum aedificium aptari, aliumque non sacrum usum. *c. ligna. de consecr. d. 1.* 2. Est casula aliqua, vel aliud vestimentum ecclesiae ex panno aureo, sed vetustate corruptum ita, ut aliquae perierint (fragmenta) supersint, ex his non licet facere bursas hominum. *c. Vestimenta. eod.* 3. Curavit privatus aliquis calicem fieri, qui propterea in dominio ipsius est: illum ad se, quocumque casu, modoque delatum episcopus consecravit, an domino reddet? Ad usum profanum minime. 4. Qui de bonis temporalibus ecclesiae donatis eripere, & aliis usibus applicare praesumunt, ut sacrilegi anathemate feriendi sunt. *c. Conquestus. de fo. comp. c. Religionum. de religios. domibus.* 5. Mancipia ecclesiae non licet permutare, nisi in libertatem, sed cum pro ecclesiastico homine, sive pro mancipio ecclesiae liberando datur, in ecclesiae servitute manere debent. *c. Mancipia. de rerum permut.* In eundem sensum, & hanc multa ab *Impp.* et-

jam constituta sunt. *c. de sacrosan. eccles. Summa continetur in c. Nulli. 12. q. 2.* Quod domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum domino erit, & ad jus pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis homo, qui à Domino, & ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit, & usque ad emendationem, ecclesiaeque satisfactionem ut sacrilegus judicetur, & si emendare noluerit, excommunicetur.

II. Amplia I. Ad res, quae vetustate, & longo usu perdiderunt vim suam, & utilitatem, ita, ut abjici possej videantur. Nam si ligna alicujus ecclesiae, hospitalis, monasterii, Oratorii, & simil. exosa, putrida, & inutilia fuerint, exuri debent: si vero solida fuerint, quae igne non pereant facile; confringi, ac comminui, pulveres, & cineres in cavernis parietum, aliove loco recondi debent. ne pedibus conculcentur. *c. Nemo. c. ligna. de consecr. Dist. 1.*

2. Ad personas ecclesiasticas, & religiosas, quae laicae sunt. Ex his enim si cui funus apparandum, non licet indumentis ecclesiae vel altaris corpus involvere. *c. Nemo per ignorantiam. c. Nuptiarum. eod.*

3. Neque ad usus alioqui non illicitos, & indecoros, cujusmodi est ornare novam nuptam, ornare mensam, seu domum Principis. *c. cit. Nuptiarum.* Vbi Nota impudentiana, & scurrilica-

litatem novi Evangelii præconam, & quorum numero cum Carolus adus Archidiaconus Wittenberg. primus incestas nuptias celebraret, reliqui Ministelli ad celebritatem augendam sacerdotum vestibus porcos, asinosque ornârunt, & circumegerunt. Imitati haud multo post Calviniani, quantâ barbarie templa, vasa, vestimenta, aliaque ecclesiæ, & Religionis decora contaminârunt, execratione potius quàm narratione prosequendum est. Civitates templis, templa altaribus, altaria imaginibus, imagines honore suo spoliatae sunt. Monasteria in diversoria, sacella in stabula, cælibes in maritos, virgines in lupas transformatae sunt. In sacrosanctam Eucharistiam, res Dei consecratas, in sacra lipsana, calices, aliaque sacra vasa, plus quàm barbarè, & turcicè sævitum est. V. Genebr. Surium, Florim. Remond. Crudelitatis Calvin. theatrum, & id genus alia scripta.

4. Extende ad domicilia & habitacula, sive ad ecclesiam aliquam, sive alium locum, puta, cœnobium, & hospitale pertineant. Nam qui ea sibi vendicare, in diversoria, vel stabula convertere ausus fuerit, excommunicationi subiectus est. Denique ultorem habet, qui domum ipsius in officinam negotiationis transmutet. c. Quæ semel. 19. q. 3.

5. Res Dei semel consecrata nullo unquam tempore præscribi potest: ut neque res usibus publicis deputata, via publica, forum, pons, & similia: etiam si mille anni transierint secundum. Ioann. Andr. c. 2. de præben. in 6. c. Causam. de præscript. Item 16. q. 3. §. Sed aliquando. Inst. de hæc. cap. V. allensis l. 2. tit. 26. §. 8. Sily. V. Præ-

scriptio in n. 4. Zerola Part. 1. V. eod. Bonac. Tom. 2. pag. 413. Less. c. 6. d. 15. n. Layman l. 1. Tr. 4. c. 24. Et l. 4. tr. 6. c. 6. n. 8. Piasce. P. 2. e. 5. f. 438. Vide qua dix. Part. 2. summa sit. 4. §. 5. Damasus Reg. 98:

III. Obj. 1. In l. Continuum adu. §. Cum quis ff. de verbor. oblig. manifestè dicitur ex re sacra profanam posse fieri, quod Regulæ prædictæ contradicit.

R. Verba citati §. Regulam minime confirmant. Cum quis sub hac conditione stipulatus sit, si rem sacram, aut religiosam Titius vendiderit, vel forum, aut habitaculum, & huiusmodi res, quæ publicis usibus in perpetuum relictae sunt, ubi omnino conditio impleri non potest, vel id facere ei non liceat, nullus momenti fore stipulationem, proinde, ac si ea conditio, quæ natura impossibilis est, inserta esset. Nec ad rem pertinet, quod ius mutari potest, & id, quod nunc impossibile est, postea possibile fieri. Intellige per auctoritatem publicam. Nam quod semel dictum est Deo ad usus profanos adhiberi non potest auctoritate privatâ. Manet nihilominus Ecclesiæ ius suum, quæ ex causa rationabili res suas, etiam alienare potest. c. Apostolicus. 12. q. 2. Notum est s. Ambr. dictum l. 2. officior. rel. in c. 70. l. 2. q. 2. Aurum ecclesiæ habet, non ut servet, sed ut erogat, & subveniat innecessitatibus & paucis interiectis. In his (casibus numeratis) vasa ecclesiæ etiam initiata infringere, conflare, vendere licet; de quo Summissa in v. Simonia.

Obj. 2. Venditio & emptio rei, & loci sacri ab ignorante facta subsistit, & à iure agnoscitur. l. Et liberi cum l. seq. ff. de contrahen. emptione. Vnde consequitur etiam rei sacre dominium in laicos trans-

transferri posse. *V. Suar. l. 4. con. ex. Angl. c. 19 n. 6 & seq.*

R. Ignorantia, & bona fides illius, qui rem sacram non vendibilem emit, beneficio juris excusatur, & actionem habet ad id, quod interest, adversus venditorem: dominium vero manet apud Ecclesiam, nec transferri potest per ejusmodi lavatos & erroneos contractus. *V. qua dixi in 2. Part. Summæ tit. 17 §. 2.*

Obj. 3. Servos suos usibus, & ministerio sacro deputatos quolibet ecclesia vendere, vel cum aliis permutare potest, quo facto in manus laicorum devenient jam profani, qui nuper sacri. *c. Fugitivi. c. Injustum. 12. q. 2. c. Mancipia. de ter. permutacione.*

R. In Conc. apud Silvanellum, quaesitum fuit, utrum mancipia ecclesiarum permutati possint cum mancipiis laicorum, & definitum, non posse, nec debere propter Regulam hanc. *Sen el DEO dicatur* &c. ceteram conditione permitti, ut ea quæ à laicis recipiunt, in servitute ecclesiæ sint, & quæ ab Ecclesia laicis dantur libertate gaudeant. Absurdum namque est, ut ab ecclesiastica dignitate servus decedens humanæ sit obnoxius servituti. Unde manifestè apparet, ecclesiam jure suo quædam tenus cedere, ut Christianæ charitati locus sit. Solvit vinculum servitutis, ut subintret vinculum charitatis. *V. Gloss. in cit. c. Mancipia. & Barb. eod.*

REGVLA LII.

Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.

QUAM conformis hæc Regula æquitati, & rationi sit ex receptis in iure tribus quasi maximis colligitur. 1. Quod nullum est, nullum producit effectum. *l. 4. §. Condemnatum. ff. de re iud. l. Non putavit. §. non quavis ff. de bon. poss. 2. Paria sunt, nullum esse, & esse sine effectum. *Surd. Decis. 51. Barb. in Axion. 147 n. 23; 3. Paria sunt, non fieri, & non sortiri effectum. l. 1. §. Nihil ff. de inof. test. l. Si quis sub conditione ff. de testament. ar. tutela. Damasus in Reg. 99. Corita in memorabil. V. actus nullus. Exemplum reperitur in c. 4. & 5. de despons. inoub. Sempronius cum puella nondum septenni sponsalia contraxit, & non**

multò post cum ejusdem matre matrimonium. Matrimonium hoc ratum esse rescripsit Pontifex non obstantibus sponsalibus cum puellâ initis, quia de jure non obstant, adeoque non præstant impedimentum publicæ honestatis, ex quo aliàs matrimonij contractus impeditur. 2. Si Canonici scienter indignum nominent, eaque nominatio, seu electio effectum careat, non ideo privantur jure eligendi, quam non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. *c. Perpetuo. De elect.*

11. Sed obstare videtur. *c. Quanquam eod. ubi jure eligendi privantur, qui indignum.*

T. 3.

dignum elegerunt. *Dynus* ita conciliat. Si Canonici perstiterint in electione facta, ita, ut sequatur effectus, privari jure eligendi: si autem non perstant, adeoque effectus non sequatur, non privari juxta tenorem hujus Regulæ. *Non præstat impedimentum, &c.* 3. In contrahentibus si prima stipulatio obtinet, secunda ejusdem rei non subsistit: subsistit autem, si prior irrita fuerit. Tunc enim, cum non sit, nullum effectum producere potest. *l. 1. Si dari. ff. de verb. obligat.* 4. In judicio, si quis juraverit per salutem suam, cum non esset hoc illi juramentum delatum, denuò solenniter jurare potest propter eandem causam. *l. Qui per salutem ff. de iure iur.* Similiter mandatum citationis per citationem invalidè factam non finitur. *Alex. in l. Servi electione. ff. de leg. 1. Gaill. l. 1. obs. 54. n. 8.*

II. Amplia 1. Ut locum habeat etiam in sacramentis. Nam baptizatus cum defectu essentiali, qui irritum sacramentum reddit, iterum baptizandus est. Pari ratione, ordinum susceptio sine effectu celebrata nihil operatur, nec impedit secundam, & sic in aliis omnibus. *Sylv. in V. Baptismus. §. v. n. 3.*

2. Ut valeat etiam cum præjudicio ecclesiæ. Nam quod jure parochiali ecclesiæ solvenda sit quarta funeralis, non procedit, nisi electa fuerit sepultura, & in effectu completa. *Card. in Clem. Dudum. de sepult. Azor II. l. 9. c. 13.*

3. Quamvis actus à declaratione Iudicis de nullitate sua pendeat. Vnde de attentatis post appellationem à Iudice, à quo, quæ non omnino nulla, sed

tamen retractanda sunt, non est opus mentionem facere: nec de appellatione ab adversario deserta. *Gaill. l. 1. obs. 146. Felinus in c. Ex tenore de rescriptis.*

4. Nec in rescripto, aut alibi facere mentionem necesse est ejus, quod de jure non sortitur effectum, *Geminian. Consil. 138.* Idem de prævisione nulliter factâ dicendum. *Glo. in c. Cum nostris. de concess. præb.* Nec de pendentia litis ex surreptitio rescripto mota. *c. Non solum De appellationib. in 6. Barb. in c. Ex tenore, de rescriptis.*

5. Licet aliquale periculum subsit, & communes Regulæ obistere videantur. Nam testis, qui non est perfectè examinatus, ita, ut effectu careat ipsius testimonium, rursus examinari potest etiam post publicationem testimoniorum, maxime si id culpa Iudicis accidit. *Panor. & Imola in c. Per tuas. de donat. inter vir. & uxorem.*

6. Adde, licet testis non bonæ famæ sit, & suspicione gravetur. Nam si coram Iudice incompetente testimonium dixerit, & huic contrarium coram competente Iudice, non obstat prius, quin acceptetur ut validum. *c. Ar. si clerici. de iudicis.* Iudex quoque si sententiam nullam tulerit, non ideo litem suam facit, nisi fortè re ipsa executus fuerit. *Glo. & Bart. in l. fin. ff. de variis, & extraordinar. cognitionibus. Angelus, & alii in l. 1. §. Hac autem. ff. Quod quisque in-*

7. Denique extendenda est ad statuta. Nam statutum puniens illum, qui exceptionem proponit, intelligi debet de exceptione, quæ de jure effectum consequi potest. Item juramentum de

servandis statutis non accipitur, nisi de validis, ut fuse declarat. *Felinus in c. Ex tenore de scriptis Gutierri. de iure conf. p. 1. c. 38. n. 6. 7. Marfil. Singulari 125. Cottain Memorabilib. V. Confirmatio Pontif. pag. 132. Rolandus Consil. 29. n. 35. l. 1. & Consil. 71. n. 46 cum seqq. l. 2. Cephal. Consil. 133. n. 101. cum seqq. l. 1. Barbosa in Axiomate 164. num. 6.*

III. Exceptiones, seu limitationes Regulae apud Baldum, & alios in c. Ex tenore de scriptis. permultae sunt.

Nam 1. Fallit in iis casibus, in quibus vel sola voluntas ad effectum causandum sufficit, quemadmodum in legato, quod ademptum censetur priori legatorio, quamvis posterior ejusmodi sit, ut consistere in ipsius persona legatum non possit: vel si posteriore testamento licet imperfecto legatum revocatum fuerit, quae in hac re sola voluntas sufficit. *l. plane ubi. ff. de legat. 1. l. Esi. ff. de adim. vel transf. leg. l. ex parte. 101.*

2. Fallit in delictis. Nam quae contra jus fiunt effectu carent, & pro infectis haberi debent. *Reg. 64. infra.* quod sic intellige, inutilia, & quasi non facta censeri quoad commodum, & utilitatem ejus, qui deliquit; non vero, quoad poenas, & vindictam, quae nunquam deerunt malefactoribus. Iustum est enim, ut quos culpa inquinat, poena constringat. *S. Greg.*

3. In iis qui aliquid jure alieno fa-

ciunt, ut ministri, & delegati, aut substituti. Nam si delegatus judicaverit semel, & erraverit, iterum judicare non potest. *Menoch. l. 1. de arbitrar. q. 67. n. 21. Bart. & Innoc. in c. In litt. de off. Delegati. Alexand. in l. Iudex posteaquam. ff. de re iudic. Ruinus Consil. 142. n. 1. l. 4. Vantius in Tract. Nullitatum. tit. Coram quo nullitas proponi possit. n. 14.*

Fallit nihilominus primo, cum delegatus non observata formam delegationis suae pronuntiavit sententiam. Tunc enim judicare iterum potest. *c. Cum dilectus a. de scriptis. Fallit secundo* in delegato Principis, qui quamvis nulliter prolata sententiam judicare denuo potest, non secus atque ordinarius ipse. *Angel. in l. Iudex posteaquam. ff. de re iudic. Decius in c. In litteris. de off. Deleg. Bello. l. 3. suppur. Tur. c. 18. & Boer. q. 6. n. 6. equam dicens sententiam hanc, & maiori quadam benignitate sustulit.*

4. In illis qui actum aliquem exercent jure aliquo speciali. Quamvis enim nihil iniquum sit denuo exercere quippiam jure communi concessum, idem tamen in speciali jure non fit: ne plura specialia concurrere videantur. *l. Eius militis. ff. de milit. testam.*

Denique exactius perferuntur plura se offerent, in quibus a communi hac Regula recedatur, de quo *V. Felin. in c. Ex tenore de R. scriptis. Tiraquellum, Cottam, & alios apud Peckium pag. 531. & Barboj. in Axiom. 115. & Axiom. 164.*

REGVLA LIII.

Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus.

Idem sonat l. c. 21. *Regula*. Non debet, cui quod plus est, licet, quod minus est, non licere. Hinc argumentum sumi à majori ad minus, affirmativè, & negativè ait Decius. Eberhardus verò in loco à majori fortè, frequens, & utile vocat, formarique tantum destructivè seu negativè: cui multa exempla reclamant.

Nam 1. Presbyter in Missa conficit corpus Christi: ergo multò magis potest benedicere populum. c. *Ecce*. Dist. 95.

2. Cujus curæ committuntur animæ, etiam res ecclesiæ. c. *Præcipimus* 12 q. 1.

3. Cui licet testari, puta filiosfam. in peculio castrensi, etiam donare licet causâ mortis. l. *tam is*. ff. de donat. causa mortis, l. *filius fam. eod.*

4. Iudex licet invitus dari potest. l. *Munerum*. §. *iudicandi*. ff. de munerib. ergò etiam dari potest, cum ignorat se delinari: hoc enim minus censetur. l. *Cum furiosus*. ff. de iudic.

5. Iudex auctori potest iuramentum in litem deferre: ergò similiter potest, quod minus, taxationem iuramento addere. l. *Videamus*. §. *pen*. ff. de in lit. iur.

6. Denique si patri adulterum cum filia deprehensum occidere licet, eundem multò magis verberare, aut contumeliis afficere poterit. l. *Nec in ea*. §. *ius occidendi*. ff. de adult. Decius in c. *Per venerabilem*. Qui filii sunt legitimi.

II. Ex hac Regula, quæ affirmativè

concepta est, nascitur alia negativa. Cui non licet, quod minus est, etiam, quod minus est, non licet.

Hinc primò à minoribus honoribus prohibitus, ad majores adipiscendos non admittitur. c. *Pænale*. 14. q. 3. nec urbem intrat, cui non licet pomæria attingere. l. *Relegatorum*. §. *potest*. ff. de interdictu, & relegatis.

Secundò notat Eberh. p. 141. habere locum etiam in delictis, & delictorum poenis, secundum Bald. in l. *Si quis non dicam*. C. de episc. & cleric. Unde valet consequentia. 1. Si non punitur delictum consummatum, ergò nec attentatum.

2. Si non licet vulnerare, ergò nec occidere. Bald. l. *cit.* 3. Si liberti non licet lacessere famam patroni sui, eundem non poterit occidere deprehensum in adulterio cum uxore sua. l. *Si adulterium cum incestu*. §. *Liberto*. ff. de adult.

4. Pro re vili furto oblata non datur actio, multò minus mortis supplicium. l. *Si oleum*. ff. de dolo dicto §. *liberto*.

5. Si per statutum filia dotata non succedit patri ab intestato extantibus masculis, multò minus neptis ex filia succedet. *per di. Reg.* 6. Denique si id, de quo magis videtur inesse, non inest, nec etiam id, de quo minus. arg. l. *Preses*. C. *qua sit longa consuetudo*.

III. Ex his patet æqualiter, quomodo amplianda sit Regula sive in affirmativam partem, sive in negativam.

Pri-

Primo enim valet etiam in legibus, & statutis, ut manifestum est in exemplis modo commemoratis. *Secundò* in illis, quæ juris correctoria videntur, præsertim in eodem genere rerum. Nam 1. Exules & bannitos cuilibet de medio tollere permittitur: eosdem igitur aliis minoribus in juriis afficere licebit. *Gail. de pac. pub. c. 1. 2.* Abbati licet monachos sibi subditos etiam plagis, & verberibus castigare absque irregularitatis periculo. *c. ult. 20. Q. 4.* multò magis ergo verbis, aliòve mitiore modo corrigere. *Silv. V. abbas. n. 5.* 3. Idem in clericis minoris ætatis non parentibus duntaxat, sed & magistris, ac pædotribus concessum liquet, cum eadem sequela.

Hic tamen quia extensio correctiva legum periculo non vacat, cautiones *Everhardus* in loco à ratione legis correctiva præ oculis habendæ sunt, & recolenda, quæ in *Prolegom. diximus §. 7. de extens. legum.*

IV. Eiusdem *Everhardi* loc. cit. n. 12. observatio est, Regulam hanc in quatuor potissimum casibus fallere. 1. In decreto Iudicis. *l. Si pupillorum. §. Si prætor. ff. de reb. eorum.* Nam ex quo in decreto Iudicis causæ cognitio requiritur. *l. Cum hi. §. si prætor. ff. de transact.* non comprehenditur in decreto Iudicis illud, super quo causæ cognitio non præcessit, licet minus sit. 2. Fallit in facultate dispensandi. Quamvis enim alicubi reperitur concessa facultas dispensandi in certo casu, non debet tamen extendi ad casum similem, vel habentem majorem rationem, cum materia deviat à jure communi. *Andr. in Reg.*

Que à jure de Reg. Ju. in 6. §. 1. Quod verb contra ff. de leg. Federicus de senis consil. 1. 4. 3. Fallit, quando ratio, per quam mihi licet, quod plus est, non existit in eo, quod minus est. *Glo. inc. fin. super v. ad parrem. de translat. episc.* quam ponderat *Lud. Rom. in cons. 436.* Subinde enim, quod in re minus videtur, in veritate majus est eo respectu, quo jus illi plus resistit ex causa, ut declarat *Glo. in Clem. 2. V. Defensor. de reb. ecclesia non alien. Navarr. Notab 3. n. 109. in c. Novit. de iud. 4.* Fallit in mandato de providendo alicui beneficium certi valoris, aut simili, cujus mandati fines diligenter servandi sunt. *c. Cui de non sacerdotali de praben. in 6. un. l. diligenter. ff. mandati. §. 6.* Cum in illis. *§. Cum autem. de prab. in 6.* ubi id notat *Andreas. It a Everhardus,* addens aliquid, quod ad multa futurum sit utile, quodd actus contiguus, vel vicinus mandato non dicitur contra, vel præter mandatum esse: an autem id universè obtineat, meritò dubites.

Hinc benè inferitur, non valere consequentiam. Si Cajus mandatum habet de providendo mihi beneficio centum librarum, hoc neglecto, providere posse de beneficio 50. aut 60. librarum duntaxat. Quia licet hoc re ipsa minus videatur, utpote dimidiam fructuum partem adferens, potest tamen in illo aliquid contineri, propter quod mihi hoc tempore minus conveniat, & ratio quæ movit Pontificem ad beneficium 100. librar. deficiat in eo, quod duplo minus apparet. Quocirca mandati fines diligenter custodiendi sunt. *l. Diligenter. ff. Mandati. l. si cui. Quem adm. servitus amittatur. V. Caramuel Theol. fundam*

dam. n. 850.

V. Obj. 1. Majus est absque controversia hominem capitis supplicio damnare, quam in insulam deportare. Attamen hoc negato illud concessum est præfidi, qui jus gladii habet. *l. si illicitas. ff. de off. præfid.*

R. Dynus id valere in eo tantum, qui sub potestate sua non habet insulas, quo rei deportentur: permitti verò si in territorio suo aliqua insula sit. *l. relegatorum. §. in insulam. ff. de interdi. & relegatis.* Posset etiam, quod de provisione beneficii diximus, applicari, rationem sortasè particularem de insulis movisse legislatorem, quæ in decapitatione non reperitur. Ob hanc eandem causam latrunculator, quam vulgus *rubram virgam* appellat, de re pecuniaria judicare non potest, quamvis de capite hominis judicet. *l. Solemus. §. fin. ff. de iudiciis.*

Obj. 2. *l. 1. ff. de acquir. hereditate.* *Jul. Paulus* dicit. Qui totam hæreditatem acquirere potest, is pro parte eam sciendo adire non potest. Totum igitur, quod majus, permittitur, pars verò, quæ minor, non permittitur.

R. Iure speciali sic ordinatum est, ne dissipetur hæreditas, & quia per hæredem defuncti persona repræsentanda est. *l. ason. ad di. l.* Item quia aliàs contingeret aliquem partim testatum, partim intestatum decedere, quod leges minimè volunt. *l. ius nostrum. ff. de reg. iuris. ad quam Socinus tamen 22 salentias ir adit.*

Obj. 3. Mulier bona sua alienare, donare, vel vendere potest: non tamen

efficaciter se fidejubendo obligare. *l. ad s. c. Velleiantum.*

R. In fidejubendo nulla præsentis damni species est, sed honestatis, & liberalitatis cujusdam: quâ imagine minus cauti, & prudentes faciliè irretiuntur. Cautum propterea mulieribus oportuit, ne fidejubendo in foveam non prævisam corruant, discantque seronimis, quod veteres dixerunt, *sporsusis* comitem esse pœnitentiam. Ideo curiales quoque sua prædia sine decreto vendere, & donare possunt, sed alio modo, & instinctè alienare prohibentur. *l. fin. C. de præd. decurion.*

Obj. 4. Iudex sententiam ferre in absentem, & ignorantem non potest, potest tamen in invitum, quod videtur majus, & durius esse.

R. In promptu ratio diversitatis est. Absens, & ignorans contradicere accusatori, seque tueri non potest: invitus autem potest, qui nihilominus ubi defecerit, condemnationis sententia plectitur, ut tandem aliquando finis sit litium, & judiciorum. *Trenst. par. 2. Disp. 23.*

Obj. 5. Venditio in se completitur pignoris dationem. *l. alienationu. De verb. sign.* adeoque major est oppignoratione: nihilominus cui permillum est, vendere rem pupilli, eidem non permittitur eam obligare. *l. si pupillorum. §. si prator. ff. de reb. eor. qui sub tutela sunt.*

R. Hujus rei causam superius in n^o 17. circa fin. indicavimus. Iudicis decretum de venditione est, & nõ de oppignoratione, nec ab hac forma tutori

recedere licet. Fieri si quidem potest, ut melius ea videatur esse, & pupilli rebus convenientius vendere, quam pignori dare. *Glo. in l. 2. C. de patrib. qui filios distra-*

xit. Denique pro aliis similibus, quæ advertari Regulæ videntur, observatio Barbosa servit, in illis, eam tantum procedere, quæ propriè, & absolutè à Jure communi conceduntur: ac proinde in

dispensationibus, privilegiis, & gratiosis indultis deficere secundum *lason. l. 3. n. 43. ff. de constit. Princ. Felin. c. Postulasti n. 9. de rescript. Paul. Amyl. decis. 8. n. 6. part. 1. Rebuff. in praxi tit. de dispens. ad plura. n. 64. Campan. in divers. juris Canon. Rubr. 11. c. 13. n. 92. admodum conformiter Regule 74. infra declaranda. Quod alicui gratiosè, &c.*

REGVLA LIV.

Qui prior est tempore, potior est in iure.

I. *S*umitur ex *l. Qui balneum. in princ. l. potior. ff. Qui potiores in pignore habeantur. l. Si fundum. C. eod. tit. l. Distractus cum seq. C. de pignoribus. potissimè verò ex Reg. l. C. 98. Quoties utriusque causa lucri ratione vertitur, is præferendus est: cujus in lucro causa tempore præcedit.*

Vbi *Decius* notat, intelligendam cæteris paribus: & *Glossator Dyni* locum habere in iis, qui omni alio respectu, præterquam temporis, pares sunt.

Exemplum sit *1.* Si unus in ecclesiis primò impetravit beneficium, alius secundo, primus est potior, secundum hanc Reg. *Qui prior est tempore. c. si pro re. de rescr. &c. Tibi, qui gratiam. eod. in 6. Decius ad Reg. 98. Iur. Civ. Quoties utriusque.*

2. In ecclesiis, monasteriis, collegiis, congregationibus, & similibus qui præcedit tempore quoad receptio-

nem, professionem, aut institutionem, potior jure est in considendo, procedendo, consulendo, suffragando, participando, & similib.

3. Pari modo senior juniori præfertur, & cujus antiquior familia est, censetur nobilior: Item qui gradum inter Doctores prius obtinuit, posterioribus præfertur: ille item, qui primò nominatus est ad beneficium ab Academicis, licet posteriores, doctrinâ aliisque dotibus præcellant. *Rebuf. q. 21. in aliis denique omnibus, etiam in infima plebe, & apud mechanicos artifices observatur. Neque obscura causa est. Ius enim, quod prius ab aliquo acquiritur, illi prodesse debet, nec præpostero ordine decet ultimos in fronte collocare. Chastan. in Cat. glo. mundi. Part. 2. Consil. 76. Tiraque. de nobil. c. 20. n. 52. Barb. in c. Cum certum. de mai. & ob.*

4. Idè & maximè fit in pignore, & hypotheca. Nā potior est in pignore, qui

prius credidit pecuniam, & accepit hypothecam. *l. Potior ff. Qui potiores in pignore.* Item creditor, qui prior hypothecam accepit, siue pacificè possideat eam siue non. Quod si alius vendit hypothecariâ actione, exceptio priori utilis est. *l. Creditor ff. eo. Idem l. si fundum. C. eod. tit. dicitur,* & fufius explicatur à Dyno, & Ornato de *Contr. actib. disp. 60. Sect. 3.* qui & monet huic Regulæ fidendum non esse propter multas ejus limitationes. Nam denique infinitis, ut *Peckius ait p. 541.* penè exemplis Regulæ hæc confirmari posset, nisi fastidium hinc, & nauseam sentirent legentes.

II. Amplia 1. Ut locum habeat etiam in gratia de futuro, ut si causa subfit, is qui primò impetravit, excludat alios ordine posteriores. *Paris. l. 4. consil. 117.* Non enim gratia seu promissio quia differtur, aufertur, neque jus inde conquistum extinguitur, sed quodammodo suspenditur.

Amplia 2. Ut priori beneficium obveniat, quamvis collator jurasset se posteriori daturum. In juramento enim continetur exceptio, nisi jus, vel auctoritas superioris obstet: & præsumitur Collatoris in jurando mens fuisse conditionata, illud beneficium posteriori dabo, cum nihil est, quod me retrahat, vel impediât. Limitationes. *V. ap. Garc. Tr. de benef. & rebuf. Q. 21.*

Amplia 3. Quoad pignus & hypothecam, ut procedat etiam excipiendo, & replicando. Nam si primus Creditor rem hypothecatam possideat, eaque à secundo creditore petatur, ita potest excipere, ac si non possideret. *l. creditor. ff. Qui potiores in pignore.*

Amplia 4. Quamvis res hypothecata secundo creditori tradita fuerit: adhuc enim præferetur prior. *l. Si prior. ff. Qui potiores, & c.* Res siquidem cum onere suo transit ad alios. *l. Aliena. ff. de contrahenda emptione.*

Amplia 5. Ut etiam fisco præferatur, si hic posterior sit. *l. In C. Qui potiores in pignore.* Fiscus enim in præjudicium creditorum non est privilegiatus: quæ favorabilior est illorum causa, qui de damno vitando, quàm de lucro acquirendo decertant. *Gaill. l. 2. obs. 66. n. 7.*

III. Excipe & limita 1. Nisi secundo creditori res obligata sit. Tunc enim primus cedit, quæ in re ipsa nullum jus habet. *l. cita. Creditor. §. si primus.*

Excipe 2. Si res empta sit ære pupilli: tunc enim specialiter obligata, & hypothecata pupillo est. *l. idemque eod. tit.*

Excipe 3. Si quis mutuo dederit pecuniam cum addito pacto, ut res per eam comparata sit specialiter obligata sibi. *l. licet. C. Qui potiores in pign.*

Excipe 4. Illum, qui expensas funeris fecit. Hic enim propter pietatem, & officium defuncto exhibitum aliis omnibus creditoribus præferitur. *l. At si quis. l. pen. ff. de religiosis, & sumptibus funerum.*

Excipe 5. Fiscum quoad bona acquisita post obligationem suam, & priorum creditorum. *l. Si is qui ff. de iur. fisci.* nisi etiam primus creditor sit privilegiatus: quia unus privilegiatus non utitur privilegio suo contra pariter privilegiatum. *l. privilegia. ff. de privil. credit.*

Excip-

Excepte 6. Si primus habeat generalem hypothecam, & simul specialem in una re, & secundus specialem in alia re diversa. Nam in tali eventu primus non potest agere ad specialem secundi vigore suae generalis hypothecae, donec illi potest satisfieri de sua speciali hypotheca. l. 2. C. de pign. V. Rebuff. ad const. reg. tom. 3. Negusantium l. 2. membro 5. & Peckium hic.

IV. Obj. 1. In l. Privilegia ff. de reb. auctoritate Iudicis, &c. manifestè dicitur, privilegia non tempore aestimari, sed ex causa. Non est igitur in jure potior, qui tempore praecedit.

R. Jul. Paulus ibi de personalibus privilegiis loquitur, in quibus non temporis antiquitas, sed causa attenditur, ut cognosci queat, quis è pluribus magis privilegiatus censeatur, sicut accidit in pupillo, fisco, & similibus aliis. V. Gaill. l. 2. obs. 25. n. 13.

Obj. 2. Cùm una res duobus venditur, orta lite non qui prior tempore, sed qui posterior, cui tradita fuerit, praefereatur. l. Quoties. C. de rei vendic.

R. Hi duo emptores non sunt pares in aliis excepto solo tempore, quod supponendum supra monui. Quid ergò mirum, si non praefereatur is, qui tempore praecedit. Traditio enim dominium rei emptae transfert in emptorem: cùm emptio solum jus ad rem emptam tribuat. Less. c. 3. D. 3.

Obj. 3. In omni hypotheca pactum inest: pacta posteriora vero prioribus derogant l. pacta novissima. C. de pactis.

R. Cùm paciscentes à priori pacto recedunt, & aliter paciscuntur, nulli injuria fit, nec ullum damni, aut praedicii periculum est: at si posterior tempore impetraret beneficium, ex. gr. injuriam, & damnum pateretur is, qui primò nominatus, vel electus fuit. Similiter si secundo creditor ex bonis debitoris ante primum satisfaceret, periculum esset excludendi priorem, si fortè utrique bona relicta non sufficerent.

Obj. 4. Cùm plures in bonorum possessionem immittendi sunt, non habetur ratio prioris, aut posterioris temporis: neque additur, qui se ante alios immissum esse allegat. l. si finita. §. si plures. ff. de damno infecto.

R. Cum Glossa Gotofredi. Ex primo decreto, quod creditor impetravit, nulla illi prioritas competit: neque illius ratio habetur, sed ipsius rei, cujus possessio conceditur. Quocirca si plures sunt, aequali jure eam obtinent, ita, ut nec prioritas ingredienti statim proffit, neque postea subsequenti obstat. Zasius ad l. Cùm unus. ff. de bonis auctoritate Iudicis possidendis. Treutl. Volum. II. Disp. 24. n. 2. Postmodum verò re omnimodè discussâ, & juris praerogativâ probatâ illi, qui prior tempore est, cæteris paribus, priores partes concedentur. Menoch. de praesumpt. l. 4. praesumpt. 16. Tiracuell. de iure primogen. q. 15. n. 2. Cardin. Tuschus in lit. P. Concl.

464. n. 4. Barbof. in
Axiom. 138.

REGVLA LV.

Qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra.

Hanc Regulam bimembrem esse, etiam non monente *Caniso*, textum quicumque intuetur, agnoscit. *Peckius* tamen tertium membrum addit. Sed si oppositum opposito, ut propositum proposito respondere debet. *c. suam. de penis*, dicendum est, quatuor partes habere, hoc modo, 1. Qui sentit onus, sentire debet commodum. 2. Qui non sentit onus, sentire non debet commodum. 3. Qui sentit commodum, sentire debet onus. 4. Qui non sentit commodum, sentire non debet onus. De singulis obvia exempla sunt. Verum ut confusio evitetur, singula membra seorsim explicanda erunt.

§. 1. *Qui sentit onus, sentire debet commodum.*

I. Exemplum *Glo. est* 1. Si clericus in continentiam suam monasterii impensis alendus est, convenit ejus bona simul monasterio inferri. Hoc commodum, illud onus. *c. de lapsis. 16. 2. 6.*

2. Si parochianus non in sua, sed aliena parochia sepulturam, eligit, parochiali ecclesie quarta funeralis, vel alia pro consuetudine loci debetur: ut commodum ex eo habeat, ex quo, & pro quo onus ac laborem habuit, admi-

nistrando, & participando divina. *c. de sepulturis. in 6.*

3. Patrono ecclesie ex statuto Canonum debetur honor in processionibus, sessionibus, & sim. Item alimenta, si ad inopiam redactus sit, ut in *1. part. summa diximus tit. 6. §. 1. n. 6.* non aliam ob causam, quam ut beneficii, & laboris sui, quo ecclesiam auxit, fructum, & molumentum percipiat. *c. filius. 16. q. 7.*

II. Amplia 1. Quamvis cum aliorum aliquo præjudicio futurum sit. Nam *c. Si quis rapuerit. 27. q. 1.* definitum est, ut bona illius, qui ascetiam, vel monacham corrumpit, monasterio, in quo alenda deinceps est, inferantur: quod absque damno cognatorum non fit, quorum spes eo modo præciditur.

2. Quamvis id, ex quo lucrum manat, in alieno dominio, & possessione detineatur: quia gener promissam, & non solutam dotem apud quemcunque extiterit, exigere potest cum usuris. *in insulam. §. Usuras. ff. soluto matr.* Merito illud, quæ onera matrimonii sustinere debet.

3. Etiam in lucro, seu commodo extraordinario. Mutuo accepisti 100. aureos, quorum pretium, seu valor inspectatò crescit in duplum, tuum id lucrum est, reddes vero 100. ut accepisti. Idem in vino, & frumento accidere potest. Cum enim utrumque in se recipiat mutuarius, incrementum videlicet, &

decre-

decrementum, meritò fruitur sorte meliori, qui etiam deteriori contentus esse debet.

III. Obj. 1. Curioni, & episcopo etate confecto, vel ægrotanti alimenta ab Ecclesia præstanda sunt, neque licet eum destituere. *c. Quia frater. 7. Q. 1. commodum tamen, & lucrum inde non habet Ecclesia.*

R. 1. Non intendit Regula, ubique onus, ibidem quoque commodum, aut lucrum reperiri, ut neque visissim ubi lucrum, necessario est onus aliquod: sed conueniens, & æquum esse, ut dulcia percipiat qui jam tum gustavit amara.

R. 2. Non abest commodum in prædicto casu: quia Ecclesiæ prælatus viribus corporis defectus, consiliis, & salutaribus monitis prodesse potest: & suo loco Vicarium habet, iisdem fructibus alendum. *c. fin. de clerico ægrotante, & c. fin. eod. in 6.*

Obj. 2. Sororem inopem maxime eodem patre natam frater alere, & dotare cogitur, quamvis nihil inde utilitatis sperare queat. *l. Si plures. ff. de legit. tutor. l. 1. ff. Vbi pupillus educari debeat.*

Respondent aliqui, debitum hoc iustum, & necessarium esse inter personas proximè conjunctas, & ab ipsa natura imperatum, ut proinde non valde sollicitos esse oporteat de lucro, & compensatione. Facilius dicitur, quod in priori objectione attulimus, non in omni negotio connexum esse commodum, & lucrum: sed sicubi reperiat, ad eundem pertinere bonum, & malum, dulce, & amarum. Adde, quod in pupillis sic educatis gratitudo & obsequium sperari potest.

Obj. 3. Qui utitur re commodata ad alium usum contra domini voluntatem, furti reus censetur, adeoque omne periculum illius rei sustinet. *l. Si ut certo. §. Quin imò ff. Commodati.* Idem tamen si ex eadem re questum fecerit, non fructur, sed ad dominum deveniet.

R. Ut quis ex aliena re contra voluntatem domini locupletior fiat, nullum Ius permittit. Sibi igitur imputare discat, qui rebus non suis abutitur, & commodati leges violat, inter quas primaria est, rem commendatam, uti suam, custodire, & eum, qui commodavit, indemnem servare. *V. Less. c. 27. Dub. 6. Silvest. V. Commodatum. n. 3. Armilla. n. 8. Cardos. in Praxi Iudic. & Advocat. V. Delictum. num. 7. Tiraquell. de iure mariti. Gloss. 8. n. 279. Barb. in Axiom. 143. Damas. in Reg. 85.*

§. 2. *Qui non sentit onus, sentire non debet commodum.*

I. **C**onsonat illi, quod *Apost. dicit. 2. ad Thessal. Si quis non vult laborare, nec manducet. & lex. Quamvis. ff. de damno inf. ubi fructus negantur usufructuario, qui propriario satisfacere tenet.*

Exemplum sit *x. Quod c. Ad audientiam de cler. non residentib. & c. fin. eod. in 6. præcipitur, ut suarum præbendarum fructibus priventur clerici, qui non resident in ecclesia sua, exceptis infirmis, & legitime occupatis: imò perceptos restituere tenentur. Conc. Tr. sess. 24. c. 12. Et merito, quia beneficium datur propter officium. c. fin. de rescr. in 6. c. Si Canonici. §. scitur. de off. iud. ord. eod. c. 1. de celebr. missar. & Scru-*

2. Studiosi & Scholares, qui non frequentant lectiones, neque operam dant literis, sed nugis & impertinentibus, non gaudent immunitate, & privilegiis Academicis, ut in *Panegyrico c. 14.* pluribus ostendimus.

3. Similiter, qui non exercet artem, quam profitetur, licet in matriculam relatus sit, non gaudet privilegiis illius. *l. Scribarios. C. de Numerariis. V. Gaill. l. 2. obs. 118.*

4. Qui onus in testamento appositum subire recusat, non est dignus, qui legato fruatur. *l. Nescimus c. de excusatorum.*

II. Obj. I. Iuxta legem à Davide sancitam. *l. 1. Reg. c. 30.* & servatam à Romanis quoque, æqua pars est descendendum ad bellum, & remanentium ad sarcinas. Hi igitur præmio, & prædâ potiuntur, quamvis non pugnaverint.

R. Qui sarcinas custodiunt, non vacant omni onere: quemadmodum nec in ipsa pugna, qui tormentis adstant: imò nec d. scrimine. Quid enim si latrunculi inopinato sarcinas invadant, nonne armis opus, nonne vitam periculo exponunt?

Obj. 2. Adulteræ uxoris dotem maritus lucratur: onus tamen alendi illam deinceps non habet, nec in domo eadem cogitur tolerare. *l. un. C. de rei ux. act.*

R. Caret quidem maritus onere alendi adulteram, sed non caret aliis oneribus. Dotandi sunt liberi ex abjecta uxore nati: conducenda nutrix, familiæ curatrix: ipse quasi viduus non habet adiutorium simile sibi, nec licet ad

alias nuptias transire. Hæc omnia, & illis annexa cum lucro dotis si comparare volueris, parum aut nihil lucratum maritum dices, qui tot bonis caret, & insuper obtreccationibus, & derisui expositus est, qui tam infidelem & libidinofam conjugem habuerit. *V. Damhauder. in Praxi criminali. c. 89.*

§. 3. *Qui sentit commodum, sentire debet, & onus.*

I. Hæc doctrina, ait *Caramuel in Theol. fundam. n. 774.* est contra omnes illos animarum rectores, qui oves suas tondere sciunt, fovere nesciunt, nolunt vè, utilitate contenti, cum tamen honos, & onus ita connexa sint, ut illum habere non debeat, qui hoc renuit. Rectè propterea in *c. 1. de ecclesiâ adificandis. Conc. Moguntinum* præcipit, ut quicumque beneficium ecclesiasticum habent, adjuvent ad recta ecclesiæ restauranda, vel ipsas ecclesias emendandas. Quod etiam de parochis dixi in *Part. I. summa tit. 3. §. 2.* obligatos nimirum esse ad reparandam ecclesiam, cui præsent. *Con. Tr. S. 21. c. 7.* intellige, nisi aliunde restaurari queat, aut aliter conventum sit. Præterea, si creditor immisus est in possessionem bonorum vasalli, ex illis quæ lucrum habet, domino feudi servitium præstare tenetur. *Gaill. l. 1. obs. 117.* Denique huc tota materia vectigalium, tributorum, gabeliarum, pedagiorum, & similia pene innumera pertinent, ita, ut vix quisquam immunis sit, quin ex eo, quo fruitur, partem decerpere, & quasi libare diis debeat.

II. Am.

II. *Amplia 1.* Vt ne quidem ecclesiarum, & loca pia in iis, ex quibus commodum, & lucrum capiunt, onus annexum recusare possint, nisi speciali privilegio, vel pacto, aut conventionione liberentur. Vnde *Laym. l. 1. r. 4. c. 13.* clericis merito parendum esse legibus civilibus docet quam civium privilegiis, & commodis fruuntur. Vsu quoque obtinuit hodie, ut in vestigalibus, & pedaggiis in multis locis nullam sacri, & protani ordinis differentia servetur. *Tanner. l. 2. de liber. eccles. c. 13 p. 149. Gail. l. 2. obs. 52. n. 12. & qua dixi. in Part. 1. summat. l. 1. §. 4. n. VII.*

Amplia 2. Vt nec Principi suo favore liceat eximere aliquos, ne sentiant onus, quod communiter alii sentire debent, nisi gravissima causa subit. *l. item si verberatum. ff. de rei vendic. c. Accedens de prescript. & ibi Felinus.*

Amplia 3. Vt in hac materia non admittatur prescriptio, quæ non potest, nisi mala fide prescriptionem cogitare, qui rem cum onere suo accepit. Vnde nec Canonici alii præbendarii absentiam à beneficiis, aut non residentiam præscribunt, etiam mille annis, & generaliter omnes, qui oneri suscepto non satisfaciunt. *Rebus. in Concord. Rubr. de collat. §. 1. Verbo. ad onus.*

Amplia 4. Vt qui vel ex parte rejicit onus, totum lucrum amittat: v.g. si tutor universæ substantiæ datus pro parte bonorum se excuset. *l. si patris. ff. de legat. 1.*

Amplia 5. Vt valeat etiam, si contingat aliquem duplici onere gravari. Nam qui legatum natura sua lucrosum acceptat, onus etiam duplo majus relegata rejicere non potest. *l. Pamphilo ff.*

de leg. 1. l. Iason. ad l. Non amplius ff. de legat. 1.

§. 4. Qui non sentit commodum, onus sentire non debet.

I. **H**ic servit illud Apostoli de ministris evangelii *1. ad Cor. 9.* Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur de sacrario edunt? & qui altari deserviunt, cum altari participant? quasi diceret. Illis, qui in ecclesia laborant, debetur stipendium, & alimonia: quæ si negentur, cessat ministerium, & obligatio serviendi. Hinc si parochus decimæ negentur, vel quod loco decimarum promissum est, subtrahatur, ad prædicationem, & sacramentorum administrationem cogi non potest. *Glo. & DD. ad c. Omnis Christianus. de consecr. D. 1.* Idem de Canonicis dicendum, si distributiones, alii reditus denegentur. Idem de omni hominum genere, ubi contractus incuntur. *Do, ut facias: Facio, ut des:* quorum dispositio quando negligitur, neque promissa servitia præstantur, neque publicis neque privatis rebus bene consultum est: imò ad furta, & rapinas via patefit, dum rapere sibi licitum existimant, quod ultro porrigendum promeriti sunt. Etenim *Paulo 1. C. teste secundum naturam est, commodum* cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. *l. secundum naturam, quæ est Regula 10. in Dig. ad quam Decius.* Iniquissimum est genus societatis, in qua unus damnus, & non lucrum habet. *l. Si non fuerint. §. fin. ff. pro socio.*

II. Idem monet in quibusdam non esse Regulæ locum, quod etiam ad præcedentia applicari potest. Nam 1. supponitur habitus personæ. Pupilli, & mu-

mulieres admittuntur ad hereditatem agnatorum, & tamen tutelam eorum subire non tenentur. *l. 1. §. interdum. ff. de legitim. tutorib.* Non minus dotem mulier accipit, magno suo commodo, incommodo autem nullo. Pari modo parochialia munera subinde religiosi obeunt, nec eodem, quo alii, modo fruuntur stipendiis: quia nimirum per professionem suam inhabiles sunt, & retributionem à Deo expectant. Denique Novitii privilegii ordinis, quem susceperunt, fruuntur; oneribus gravari pariter non debent. *Sanch. l. 3. de Matr. disp. 18. n. 24.* 2. Requiritur, ut eadem ratio sit in damno, & lucro percipiendo. Nam si culpa interveniat, privabi-

tur reus commodo: si privilegiata persona sit, lucri particeps erit, damni non erit. *l. fin. C. ad Tertullian.* 3. Intelligi debet de contractibus, debito & obligatione civili, seu iustitiæ, non vero congruitatis, & charitatis, de qua *Apstol. 1. ad Cor. 6. 13.* Charitas benigna est, non quarit, quæ sua sunt, omnia credit, omnia sustinet. De hac *S. Gregor. 1. 3. Moral. c. 4.* Lex Christi quid congruentius intelligi, quàm charitas potest? quam tunc verè perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus. Ex amore, ait, non coactè, non ex vigore mandati, sed benevolentia dilectionis, quæonus non refugit, & commodum temporale non requirit.

REGVLA LVI.

In re communi potior est conditio prohibentis.

I. **A**rguit hic *Caramuel in Theol. fundam. n. 615.* quosdam, primè tenuræ (ut ipse vocat, Theologos, qui lectâ Regulâ hac invexerint novas sententias in scholam, scrupulis exoticis plenas, & probare velint in omni præcepto dubio standum esse pro prohibente: adeoque loco prohibentis, reponendum præcipientis, vel saltem prohibitionis vocabulo omne præceptum intelligendum. Nam qui actionem præcipit, emissionem prohibet, & è converso. At ipsi longè à veritate, & mente *Bonifacii* evagantur (*inquit*) Non enim teneor obedire superiori dubio, & stare licitè potero pro meâ libertatis possessione contra auctoritatem dubi-

am. Sed de hoc alibi commodius agitur. Quod scopum Regulæ attinet, ab illis Theologis non attingi, luce clarius est ex verbis, *in re communi.* Nec *Bonifacio* in mentè venit, quicquam de Regulariû obedientia definire Sensus igitur Regulæ est, cum una res ad duos, vel plures pertinent, æquum non est, unius tantùm arbitrio mutari illam, aut gravari cum præiudicio aliorum. v. g. 1. Duo scholares simul conduxerunt domum, vel cameram, si contingat unum illorum discessurum, non potest inficio, & invito socio, alium suo loco studiosum admittere, multò minus mulierculam. *Bald. ad l. si convenit. ff. Pro socio.*

Item,

Item, si castrum aliquod in communi duo fratres possideant, non consulto, & consentiente minori major illud vendere, aut tradere non potest tertio alicui, quamvis praesidi, aut principi. *Gail. l. 2. obs. 69. n. 22.* Denique si duobus aut pluribus murus communis est, eum nullus absque aliorum consensu vel diruere, vel restaurare, vel aliter mutare debet, secundum hanc Reg. & 29 supra. *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Non enim illi, sed aliis contradicentibus leges favent. Ceterum potior esse conditio prohibentis dicitur, quia id fieri non permittitur, quod ipse, ne fiat, contradicit, & quia socio non datur actio repetendi id, quod proprio arbitrio impendit. *arg. l. fin. C. de neg. gest.*

II. Amplia 1. Ut valeat etiam in causa pia. Non permittitur enim uni conjugum, altero dissentiente castitatem, aut religionem amplecti: *Navarr. c. 12. n. 60.* neque donare cuilibet ex communi aere hospitali, vel Oratorio, nisi approbent socii.

2. Ut etiam unius reclamatio sufficiat. Quamvis enim de actu gerendo non sit omnium, & singulorum consensus necessaria, ad impediendum tamen omnium suffragia expectantur, ita ut unius dissensio totum negotium evertat. *Felinus in c. Cum omnes. De constitut.*

3. Quamvis rem meliorem intendat facere Socius. Duo molendinum in communi habent. Unus multiplicare capias aggreditur, alius improbat. Destruunt iterum, aut si tolerantur, ad expensas qui contradixit, non tenentur. Idem de muro, tecto, aliave domus

parte dicendum. *l. parietem. ff. de servit. urb. praediorum. G. ill. l. 2. obs. 69.*

4. Etiam respectu tertii melior prohibentis conditio est, quia socius revocare potest missionem factam pro debito socii in rem communem, & prohibere distractionem, assumereque totius rei administrationem, si creditori illi pro socii debito satisfacere velit. *l. Si is, cui. §. Si ex duob. ff. Vi in possessione. legatorum, &c.*

III. Obj. 1. Cum ex duobus, qui servum communem habent, alter eum manu mittit, quamvis alter invitus sit, partem suam remittere cogitur, & in libertatem concessam consentire. *l. i. C. communia de manumiss.*

R. In cita. 1. non tantum vendere partem suam consocii jubentur, si unus manumittere communem servum vult, sed etiam periculum amittendi pretii permittitur adire, ubi tricas moverit: quod signum est, imperatores pio commiserationis affectu, & favore libertatis derogasse aliis legibus: & hoc inter eos casus numeretur, quibus nostra nunquam inviti relinquere cogimur, ut Gloss. annotavit.

Obj. 2. In l. Si ades. ff. Communi dividundo. Vlpianus iudicium, & interdicti, uti possidetis, auxilium concedit ei, qui communem parietem deiecit, socio prohibente. Item l. Si ut proponis. C. de edictis privatis. Philippus Imperator, dominio partis suae privat locum, qui sumptus a socio factos infra 4. menses pro parte sua non vult restituere.

R. Quando necessitas impellit ad restaurandum, vel corrigendum

aliquid in ædificio, omnes consentire debent. Si quis autem cognita necessitate, & ratione renititur, vel pro consentiente habetur, vel pro contumacia punitur. Hanc esse legum citatarum mentem, ipse verborum tenor indicat.

Obj. 3. Iulius Paulus in *l. fistulam. §. fin. de servit. præd. urbanorum.* socium invito socio ait posse scalas ad communem parietem habere, & balneum, seu cameram ex figulino opere factam retinere.

R. Prudenter, & rectè. Quilibet enim debet pati, & facere id, quod sibi non obest, & alteri prodest. *l. alius. & ibi DD. C. de servit.* Cum ergo ex scalis appolitis, vel balnei camera nihil damni inferatur socio, præter invidiam, cur invitus sit, ac contradicat, nulla

causa apparet. Obj. 4. Quando Fiscus rem communem cum homine privato habet, eam totam vendere potest, altero invito & reclamante. *l. i. C. de venditione rer. fiscalium.*

R. Illud Fisco privilegium, ut alia multa, conceditur, quia plerumque totius rei lucrosior venditio est, quàm partis. Frustra igitur renititur privatus. Conveniens tamen est, ab iis, qui fiscalibus rebus præsumunt, eos, quorum interest, de ejusmodi alienatione præmonere: imò præferre aliis, si emere volint. *Salicetus ad l. 2. C. de communis rerum divisione. Iason in l. Nec emere. C. de iur. delib. Covarr. l. 3. Variar. c. 14. n. 8. Barban Comm. Reg.*

REGULA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio faciendâ.

I. **P**ER legem intellige pactum, seu conditionem, quam contrahentes adicere solent contractibus, quâ significatione usurpatur etiam, in *l. legem. C. de pact. l. si pro emptore. §. fin. ff. de actionib. empti. l. Contractus. V. Nam hoc servabitur ff. eod. & alibi non rarò.* Non quod de solis contrahentibus, sed quæ potissimum de illis agit Regula, aliis tamen similiter applicanda, ut ex dictendis patebit.

Exemplum *Gloss.* est 1. Si contra professionem meam excepero, me tunc mi-

norem fuisse, nec de contrario constat, explicabunt, me non annis 14. minorem, sed 25. fuisse, quoniam utroque modo explicari potest exceptio: et idque propterea, quia de malignitate præsumitur cum multò clarius dicere potuissem, me imbuterem fuisse.

2. Si Cajus testetur, Sempronium excommunicatum fuisse, probeique eo, quòd absolutionem petivit, obicura locutio, & ambigua est, contra ipsum interpretanda. Petitur enim absolutio interdum ad cautelam tantum.

Feli.

Felinus ad c. In praesentia. 14. de probat.

3. Si domo vendita inter tradendum illam dixerit: stiblicidia, uti nunc sunt, ita sint, intelligit, me loqui de servitute, non quam hæc domus debet, sed illa, quæ ei à vicinis debeat. *l. Si arborem. ff. de servit. urbanor. p. adior. l. cum in lege. de contrah. emptione.*

Generatim igitur, quia sermo ambiguus non probat, & probatio dubia non relevat. *c. in praesentia. de probat. l. Non hoc. C. unde legitimi. Gaill. l. 2. obs. 13. n. 5. ne quis ex dolosa machinatione sua litem reportet, contra ipsum à iudice faciendâ interpretatio est: sibi imputet, qui clarius loqui potuit.*

II. Amplia 1. Ut in reo valeat, sicut in actore. Succumbit actor ineptè proponendo: succumbat reus ineptè excipiendo. *Bart. ad l. 1. §. Labeo. ff. de fluminib. l. Scire oportet. ff. de excusation. tutorum.*

Amplia 2. Ut non tantum in contractibus stricti juris locum habeat, sed iis etiam, qui bonæ fidei appellantur, & benignam interpretationem ex natura recipiunt. Veteribus enim placuit, *Pomponio teste*, pactionem obscuram, vel ambiguam venditori, & ei, qui locavit, nocere, in quorum fuit potestate, legem apertius conscribere. *l. Veterib. ff. de pactionibus. Everhardus Bronchorst Centur. 1. assert. 40. Hartman. l. 2. obs. 2.*

Amplia 3. Ut noceat non tantum proferenti, sed illi quoque in cuius gratiam profertur minus aperta oratio. *l. Cum manu sata. ff. de contrah. empt. l. Si insulam. ff. Qui potiores in pignore.*

Hinc bene *Castrensis ad l. cita. Veteribus. Si neque usus, neque alius appoluit*

verba obscura, sed tertius quisquam, fortè Notarius, tunc videndum est, in cuius favorem apposita sint, fietque interpretatio contra eum, quia ab eo censetur fuisse prolata. *l. Si in emptione. ff. de contrah. emptione.*

III. Obj. 1. In *l. Si quis intentione. ff. de iudiciis. Ulpianus* disertè ait. Quando Actor ambigua oratione usus est, in ipsius favorem accipiendum esse. Vbi *Gloss.*, Libelli verba ambigua in edentis favorem interpretanda sunt.

R. 1. In iudiciis ita servatur, ad eundem rei malitiam. Nam si non reciperetur intentio, & declaratio actoris, aditus pateret accusato ad quamlibet negationem: quod ne fiat, mens, & oratio actoris secundum ipsius propositum, & votum recipitur: reo nihilominus manet jus suum defensionis.

R. 2. Lex citata limitatur à *Socino Reg. 257.* tribus modis. Nam primò in iudiciis criminalibus fallit. *Lud. Roman. in l. Divortio. ff. sol. matrim. Secundò*, quando in criminalibus proceditur ad instar civilium causarum. *l. absentem. ff. de pænis. Tertio*, Bartoli contraria opinio est in *l. Libellorum. ff. de accus. ambiguum* orationem contra ipsum accularorem interpretandum esse. Sed ne contradictio hæc confusionem pariat, & legis citatæ manifesta verba elidat, dicendum videtur: fieri aliquando posse, ut contra accusatorem ambigua dicta accipiantur, tunc videlicet, quando præsumitur, eum non bonâ, & simplici intentione coram iudice procedere.

Obj. 2. Cum de mutui redditione agitur, interpretatio pro mutuante faciendâ est, quid, & quantum reddi o-

por-

porteat, quamvis expressè non caverit.
l. Cum quid mutuum ff. de reb. creditis.

R. Ambigua vel obscura locutio in mutuo locum non habet, quia natura mutui est, ut in eadem quantitate, & qualitate, quod datum est, reddatur. Consistit enim in iis rebus, quæ pondere, numero, & mensura constant. *l. 2. eod.* Iam si arbitrio mutuatarii relinqueretur solutio, fortè pro auro carbones secundùm vulgi proverbium exhiberet. *V. Par. 2. summa nostra tit. 8. § 4.*

Obj. 3. Oratio, quæ neque conjunctionem, neque disjunctionem habet, ex mente pronunciantis, vel disjuncta, vel conjuncta accipitur. *l. alienationis ff. de verb. signif.*

R. Id verum est, quando ex conjecturis de mente auctoris verosimiliter colligi potest veritas. Neque, ulli per hoc injuriam fieri existimandum est, quia hic verum consequendi modus in jure approbatur. *l. Cum avu. ff. de cond. & demonstr.*

REGULA LVIII.

Non est obligatorium contra bonos mores prestitum iuramentum.

I. **I**uramentum est invocatio divini nominis in testimonium, vel est actus, quo divinum nomen adhibemus fidei faciendæ causa. *Sylv. 7. 12. n. 1. Ut licitum sit, tria requiruntur. Veritas, Iustitia, & iudicium.* de quo plenius Theologi morales. Quod juri aut legibus repugnat, contra bonos mores esse dicitur. Naturales, si contra jus naturale. Civiles, si contra jus civile. Sic injuria contra bonos mores, conditio contra bonos mores, pacta contra bonos mores, stipulatio contra bonos mores, in jure passim occurrunt. *V. Præteritum in Lex. sensus Regulæ* his duabus propositionibus continetur. *Prima est.* Illud iuramentum obligat, quod non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in alterius præjudicium. *c. Cum contingat. de iurjur. c. 2. de pactis in 6. & communiter Theologi, Canonista, & Legista. Secunda.* Iuramentum, quod contra-

rio modo se habet, seu quod in salutis æternæ dispendium vergit, & præjudicat alteri, non est servandum. *c. ult. de pactis. c. Pactum. cum sequentib. eod. in 6. Azor III. l. 6. c. 5. Less. c. 17. D. 7.* Irritum ergo iuramentum est de non alendo parente: vel non redimendo ab hostibus, de adulterio, furto, homicidio, aliove delicto, quamvis esset in speciem exile, & veniale tantum, committendo. *V. Navarr. c. 12. n. 15.*

II. Illud in dubio manet. An obligatorium sit iuramentum contra bonos mores civiles factum. v. g. de alienanda dote, de non mutando testamentum, de renuntianda hæreditate paterna, & similibus, quæ legibus civilibus vetantur. Inter Theologos & Canonistas sententia una, & constans est, hujusmodi iuramenta, quamvis juri civili repugnent, nihilom. valida esse, & obligationem inducere. *Ratio manifesta est*
ex pro-

ex prepositione prima numeri præcedentis, quia ejusmodi juramenta non vergunt in æternæ salutis dispendium, nec redundant in alterius præjudicium V. *Leff. c. 17. D. 7. n. 2.* & loco aliorum omnium. *Franc. Suarium To. II. de Religione. l. 2. c. 20.*

At, inquis, in allegatis exemplis boni privati respectus est, quo seipsum quilibet privata potest, modò non præjudicet aliis: quid vero si de bono publico leges mandent aliquid, aut vetent?

R. Quando prohibitio est de re, quæ primariò respicit bonum publicum, v. g. de non minuenda annona, vel ærario publico, juramentum contrarium non valet, non quia est contra bonos mores civiles, sed quæ simul est contra bonos mores naturales. Nam Jure naturali quilibet subditus ad Reip. conservationem obligatus est. *Mol. Disp. 271.*

Quæ supersunt sive Quæsitæ, sive Responfa, Theologis Moralibus commendamus.

REGVLA LIX:

Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.

I. Sympta est ex *Reg. I. C. 133. In condemnatione. §. Dolo.* & præsumptione nititur. Cùm enim causa petendi, quod retinere non potes, justa non occurrat, bona fides, & sincera intentio deesse videtur, quasi fallere, & circumvenire mediteris.

Exemplum *Glossa* in *Vsurario* figurat, qui non petendo usuras, prudenter, & callidè agit, cùm sciat ad restitutionem cogi se posse. *c. Nullus 14. q. 4. cum seq. c. Cum tu. c. Tu nos. & seq. de usuris.*

Aliud exemplum habes in *l. Dolo ff. de doli mali, & metus except.* de hærede damnato à testatore, ne exigat debitum. Nam si nihilominus debitorem interpellarit de solvendo, doli mali exceptione removebitur, cùm restituere oporteat acceptum. *Dolo facit, ait Paulus ibid. qui petit, quod redditurus est.*

II. Ad decernendum hoc, plures causæ impulsisse videntur. Nam I. quia

ab omni circuitu, & ambiguis Iustitia abhorret, ne quod paucioribus expediri potest, per plura trahatur. *l. frustra ff. Ne uxor pro marito.* 2. Quæ paria sunt, non accipere, & retinere non posse. *l. fin. ff. de condit. ob causam.* 3. Malitiis hominum, non indulgendum, sed occurrendum est. *l. in fundo. ff. de rei vindicat.* Mera autem malitia est, petere, quod ipse dare debes.

Hic verò duo observanda, monet *Glossa, & ex Glossa alii.* Primum est, Regulam valere, cum eidem personæ, quæ dedit, reddere oportet. Nam commodatarius rectè à fure ablatam rem alterius exigit, ut ad verum dominum redeat. Similiter, qui à debitore pignus habet. De his, & similibus absurdè dicitur, dolo petere, cùm nõ sibi, sed alii rem restituendâ petant. *l. si socer. §. Luc. Titius ff. solu. matr. Alterũ ff.* non valere regulam, quando causâ diversa est petitionis, & re-

& restitutionis, ut si possessio rei petatur à proprietario. *l. 1. §. 1. ff. Quorum legator. & c. Cum ecclesia. de causa possessionis & proprietatis.* Ex. g. Titius hæres est, Cajus legatarius, hic, quod leges vetant, legatum propriâ auctoritate arripit, & possidet. Titius ab eo repetit, quamvis reddendum esse sciat: in quo non dolo, sed jure agit. Idem in similibus usu venit, quando jus petendi habemus ea, quæ non debito modo occupantur. *V. Dyn. Vivianum, & Decium. Item Barbof. in Axiomate 76. Petr. Duen. cum aliis ab ipso laudatis in Reg. 209.*

III. Amplia 1. Ut valeat in eo etiam, qui non statim, sed ex intervallo, miserationis causa indulto restituere debet. *Ex. gr. Maritus soluto matrimonio non tenetur dotem reddere nisi post annum, quod spatium ei jus concedit, ne obruatur imparatus: nihilominus si intra annum mortua uxore dotem promissam exigar, repellitur exceptione hujus Regulæ. Quid petis, quod restituendum esse probè nosti? Nec prodest replicare, non jam, sed post annum reddere teneor, respondebit enim Socer, dilatio ista non causa obligationis indulta est, sed miserationis: alium ergo effectum operari non debet. Bald. in l. Si socer. §. Lucius. ff. solu. matrim.*

Amplia 2. Ut valeat contra causas pias, & loca privilegiata, ut templa, Xenodochia, hospitalia, &c. *Socius nepos consil. 88. l. 1. n. 10.* personas item privilegiatas. Nam quando filius impubes, qui manifestè non est filius defuncti, hæreditatem paternam appetit, non mittitur in possessionem illius: dolo

siquidem facere dicerentur tutores petendo illud, quod continuo reddendum est. *l. 3. ff. de carbonario edito.*

Amplia 3. Ut valeat etiam, quando petens restitutus est alicui alteri, à quo recipiat creditor. *Ex. gr. Titius falso existimans, se debitorem esse mulieris, ei dotem loco debiti promittit. Soluto matrimonio maritus à Titio dotem petit: hic excipit dolo peti, quæ restituere debet uti debitum: respondet maritus. Vbi dederis, ego uxori tradam, ab ea tu accipies. Hæc circuitio inanis, & inimica legibus non admittitur. *Jason. n. 8 ff. de cond. & ob. caus.**

Amplia 4. Ut nec pactis Principum aliter fieri liceat. Finge pacem inter principes firmatam esse eâ lege, ut ablata utrimque restituantur. Sempronius igitur à milite Cajo 100. flor. sibi creptos repetit: quos eidem prius debebat. Nonne objicietur illi, quod frustra repetat ab eo pecuniam, quam illi debitam extemplo reddere cogatur?

Amplia 5. Ut non obicitur creditori, si callidè egerit, alicui scilicet arte, subtiliter consequendo rem suam. Nam ubi utrimque peccatur, conditio possidentis prævalet. Si ergo adversarius opponat, illum calliditate quadam, seu dolo recuperasse rem suam non audietur, sed hujus regulæ exceptione removebitur. *Bald. in l. ult. ff. de dolo, quem refert. Angelus in §. 1 n. 27. Instit. de excepti. Menoch. Consil. 28. n. 13. & de arbitrar. Casu 194. Mascard. de probationib. Concl. 379. Deciau. Tract. Crimin. l. 6. c. 11. n. 14.*

IV Obj. 1. In l. Si quis vel pecunias. C. de positi, jubetur depositarius petenti, qui deposuit, rem suam continuo redd-

reddere, non opponendo exceptionem doli, fieri autem potest, ut depositario debeat, adeoque quod modò petit, reddere teneatur.

R. Si quid depositario debetur, jus integrum illi manet, etiam non retento deposito, in quo non expedit ejusmodi exceptionem permitti, cum verè, & falso liceat obtendere debitum, & sub eo velamento detinere rem alienam cum damno proprietarii. Vnde fiet præterea, ut inter contrahentes bonæ fides & fiducia vacillaret, dum metuere cogitur deponens, ne rem suam sub prætextu debiti depositarius sibi vendiceret.

Obj. 2. Si quis rem suam, vel sibi debitam possessori per vim eripiat, eamque possessor repetat, non potest excipi contra illum de dolo, qui rem petat sibi dari, quam oportet mox restituere. *l. i. C. si per vim.*

R. Speciali curâ cavendum Imppetentibus, ne sibi ipsi quisquam jus dicat, unde lites, pugnæ, aliaque innumera mala prodeunt. *l. Nullus C. de Iudic. l. equisimum. ff. de usufructu.* ac proinde violento spoliatori utramque aures claudit Iudex, cavetque ne tam atrox delictum violentæ spoliationis ipsi profiti. Si ergò possessor sibi ablata, quamvis non sua sint, repetat, jure fa-

cit, & doli exceptione non remove-

Obj. 3. Si maritus constante matrimonio, uxori dotem contra juris prohibitionem restituat, mortuâ illâ recipere potest, quamvis sciat hæredibus uxoris mox reddendam esse. *l. i. C. solu. matr. l. Socer. ff. eod.*

R. Ideo permittitur recipere, quia inde sibi partem eam vindicare potest, quam in casum dissolutarum nuptiarum pactus erat. *Faber in d. l. i. C. solu. matrim.*

Obj. 4. Si rem commodatam tibi, & à fure ablatam vindicare nitaris, non potes removeri exceptione doli, quasi rem petas alteri restituendam. *l. fin. ff. de rei vendic.*

R. Hic casus extra limites Regulæ est, quæ non loquitur de iis qui non sibi, sed aliis quicquam petant. Commodatarius igitur, qui rem tenet justo titulo repetit, ab eo, qui possidet injusto, ut tandem recipiat is, qui eam commodavit. *Bald. in d. l. Socer. §. Lucius. ff. Solu. matrimonio. V. Mascard. de probationib. Concl. 531. n. 81. Menoch. de præsumptionib. l. 5. præsumpt. 3. n. 88. Cardos. in Praxi Iudic. & Advocator. V. Dolus n. 8. Card. Tusch. in v. Dolus. Barbos. in Axiom. 76. n. 3.*

REGVLA LX.

Non est in mora, qui exceptione legitima se potest tueri.

I. Desumitur ex *l. C. 88. Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est. Mora enim non dicitur, quæ inculcata invenitur l. pecunia senebr. ff. de u-*

Y

de usuris. Quid autem *Mora*, & quotuplex sit, ad *Reg. 25.* diximus. In illo, qui debet, potissimè invenitur, quando videlicet scit, aut scire debet (hæc enim in jure paria sunt) rem suam non esse, vel alteri se debere, nec tamen reddit, sed cunctatur. Quòd si à se factæ moræ crimen removere desiderat, exceptione utatur, necesse est. *Caranuel in Theol. fundam. n. 617.* Hujus autem varia genera sunt, puta 1. Si solutio est impossibilis, aut valdè difficilis. 2. Si debitum non est liquidum. 3. Si proveniat ex facto alieno. 4. Si facta sit compensatio aliqua. 5. Si adversarius contractum non adimplevit. 6. Si oblatam solutionem Creditor accipere renuit. 7. Si exigui temporis dilatio est. Neque enim in continenti cum sacco paratus accurere debet, & pecuniam in folle asportare. *l. si debitor. ff. de iudiciis. l. quod dicimus. ff. de solut. l. ess. c. 20. D. 15.*

II. *Amplia 1.* Ut valeat, quamvis moram exceptio sequatur. Sicut enim in mora non est, qui per exceptionem à mora præservatur, ita fingitur in mora non fuisse, aut post commissam moram exceptio nascitur. *Exempli causa.* Creditor debitorem interpellando facit, ut in mora constituatur: post hoc dilationem indulget, per quam præcedens mora extinguitur, quæ remississe censetur. Hoc in futurum pro exceptione serviet debitori.

Amplia 2. Ut non censeatur esse in mora, quando creditor in mora fuit. Nam in pari delicto melior est conditio possidentis, seu debitoris, contra quem nihil dum probatum est. *l. Cum*

par. ff. de reg. Juris. Cum par delictum esse duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur causa possidentis: quique incidit in pœnam, illam petere non potest. *l. Cum pater. §. libertis. ff. De legat. 2.* Item in dubio, quis pacem primo tæperit, nullus agere potest.

Amplia 3. ut exceptio excuset non solum à culpa, sed etiam à pœna, & ab omni contumacia. *l. contumacia. ff. de re iud.* In culpa enim quasi fundamento locata censetur pœna, ut mirum non sit, si illo corruente ipsa non consistat amplius: neq; contumacem dixeris, cui in agendo suffragatur ratio, & æquitas. *V. Decium in Reg. Jur. 143. Vbi æquitas evidens poscit subveniendum est. Gutierr. l. 2. c. 30. n. 12. Barbosa. in Axiom. 181. n. 1.*

III. *Obj. 1.* Iure facit, qui contra Iudicem non suum excipit. *l. Contumacia. ff. de re iud.* artamen in mora censetur esse, si citatus non compareat: quia secundùm *l. Si quis ex aliena. ff. de iudiciis,* qui vocatur etiam ex aliena jurisdictione ad prætorem venire debet. Prætoris est enim æstimare, an sua sit jurisdictione, vocati autem non contemnere auctoritatem prætoris. *Gail. l. 1. obj. 48.*

R. Quando evidens est tuum Iudicem non esse, emanare potes, quemadmodum in clerico patet, si à laico citetur: in dubio autem comparandum est cuilibet, aliàs pœnam incurrit juxta leg. citatam. Per hoc enim nihil præjudicatur exemptioni, quia excipere illi permittum est, & exemptionem suam, vel privilegium allegare. *Zafius ad l. Gon-*

Contumacia. & DD. in l. 2. ff. si quis ius dic. non obtemp.

Obj. 2. Hæres, qui in locum defuncti succedit, iustam videtur habere exceptionem ignorantiae, qua latet illum acta, & pacta defuncti: Item hæreditas iacens non parit obligationem inter hæredem, & creditorem: denique considerari solet, an promissor habuerit facultatem solvendi, nec ne: nihilominus contemptis his omnibus hæres de mora condemnatur, & in pœnam incidit.

R. Quia hæres personam defuncti repræsentat, ejusdem obligationes in se accepisse censetur, conveniturque non secus, ac si idem homo foret. Tempore promissi igitur elapso satisfacere debet, non propter moram, quæ non nisi ficta hic esse potest, sed propter obligationem, quæ ipsi ut successori plenarie imputatur. *l. cum à matre. C. de rei vindicat. & ibi DD.*

Obj. 3. Debitoribus ex personali actione condemnatis exceptio suffra-

gatur, ut iutra certum tempus ad solvendum cogi non possint. *l. Debitoribus. ff. de re iudicata.* Hæres tamen pro re legata conventus, & damnatus, non obstante hac exceptione ad fructus intermedio tempore perceptos propter moram obligatur. *l. in fideicommissis. ff. de usur.*

R. Non propter moram fructus ex re legata perceptos hæres restituere tenetur, sed quia ex re non sua comparavit, neque fas est eum ex alieno ditionem fieri: & alios ex sua iniique detenta damnum sentire. *Salicetus in l. citat. ff. de usur.* Nam quibuscunque à testatore legatum constitutum est, illius dominium acquirunt statim à morte testatoris. *l. 64 ff. de furt.* non tamen possessio. *l. 5. C. de legat.* Nec vindicare illud sibi propria auctoritate potest, sed ab hærede accipiet: qui si in mora fuerit, turpi reum se facit, & ad omnium fructuum, ac damnorum compensationem obligatur. *V. quæ diximus in Part. 2. summarit. xv. §. 8. n. 16.*

REGVLA LXI.

Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

1. **S**umpta videtur ex l. nulla in iura *l. 110 ff. de legibus. & l. quod favore. C. ad. tit. Exemplum Gloss. suggerit ex c. Charitatem. 12. q. 2. ubi præcipitur, Oeconomis ecclesie, ne putent sibi pro labore inventarii ab ecclesia quicquam deberi: alioqui favor, & gratia, per*

quam ecclesie attribuitur Oeconomus, in ipsius dispendium verge-
ret.

2. Clarius apparet in privilegiis minorum, qui non possunt in iudicio esse sine auctoritate tutoris. *l. Clarum. C. de prestanda*
T 2 aucto-

auctor. tutor. Vnde sententia contra illos lata nullius roboris est. *l. Acta. & l. contra pupillum. ff. de re iudicata.* Si autem pro minore feratur, valet. *l. non eò minus. C. de procuratorib.* Item minoribus conceditur, ut petere restitutionem in integrum possint contra venditorem: quo beneficio quamvis uti nolint, non licebit tamen adversario ad libitum suum venditionem rescindere, ne beneficium convertatur in officium, aut dispendium. Item favor pupilli est, ut si moveatur quæstio de statu, & bonis, iudicium differatur, usque ad terminum pubertatis: si tamen manifestas probationes habeat, in continenti decidi potest, ne ex dilatione damnum sentiat. *l. Carbonianum. ff. de carboniano edito §. Dua.*

3. Privilegium civitatis datum clericis, & scholaribus non includit onera, quibus cives gravantur, sed de favorabilibus accipitur: aliàs non in commodum illis, sed damnum cederet. *Bald. ad l. Si Rufinus. C. de testam. militis.*

4. Addit *Peckius*, si juris possessor plebejo genere natus post 20. annorum prælectiones nobilis efficiatur. *l. i. C. de profess. qui in urbe Constantinopol.* non ideo perdit beneficium, quod habebat ut popularis, ne nova dignitas ipsi noceat. Et generaliter novi beneficii collatio vetera non extinguit: & vetera privilegia novis non tolluntur, sed augentur. *l. fin. C. de præpositis agentib. in rebus.*

II. Amplia 1. Ut valeat, quamvis præsumptio iuris communis obstare videatur. v. gr. Vxori suæ testator reliquit domum ducentis libris æstima-

tam, eà conditione, si minus valeat, ab hærede suppleatur. In æstimatione autem invenitur pluris valere quam 200. libras. Non propterea tamen retractari debet, ne gratia testatoris minuatur: cum præsumere liceat, excessum illum benignitate testatoris condonatum esse uxori. *Zafius in l. Nulla. ff. de legib.*

Amplia 2. Ut valeat, quamvis major favor obstare, & concurrere videatur. Non enim, exempli causâ, ut maximæ civitatis maxima ornamenta sint, ideo minoribus sua detrahenda, aut minuenda sunt, ut sapienter olim à Carolo V. Imperatore responsum ferunt. Quod autem dici solet, ab his, quæ favoris publici sunt, recedi posse, cum id major Reip. favor suadet, de una eademque Rep. non de alia, cui præjudicium fieret, intelligendum est.

Amplia 3. Licet in specie seu particulari utile videatur, favorem aut privilegium contrahi, & velut retorqueri. Exemplum ex *Glossa* ponit *Peckius*. de anno probationis, qui in gratiam tyronum constitutus est. ne præposterè, & nondum exploratis bene viribus, se religioni obstringant: potest nihilominus huic favori renunciare novitius, & ante completum annum probationis (extra ordines mendicantium) professionem edere, ne ipsi noceat annus probationis, quod pro eo utique constitutum est. Ita *Peckius* non sine gravi errore, si de hoc tempore loquitur, quo à *Conc. Trid. sess. 25. c. 15.* decretum est, ut nulli liceat professionem facere ante annum probationis perfectè completum, ut latius diximus in I, *Part. sum. tit. 15. §. 3. n. 1.* Neque aptius vide.

videtur exemplum, quod subjicit, de creditore. Sicut, ait, creditor apocham cogitur dare debitori de facta solutione, ita exigere potest, antipocham, quâ testetur debitor se solvisse, ne post lapsum 30. annorum suppressis istiusmodi schedulis se unquam solvisse neget, & sic præscripsisse contendat: atqui tamen cum hoc inductum sit favore creditoris, non cogitur id facere nisi velit. *l. plures. C. de fide instrumentorum*, tamen si id fieri expediat, ut omnis occasio fraudis tollatur. Addendum, si non exegerit antapocham creditor, nullum inde sibi præjudicium generari, quemadmodum in citata lege indicatur: aliàs ad intentionem Regulæ nihil allatum exemplum facit.

III. Obj. 1. Pupilli maximus favor in jure est, nec tamen illi licet absque tutore adire hæreditatem etiam locupletem, adeoque damnum patitur. *Inst. de auctoritate tutorum. §. Nequetamen.*

R. Ex loco citato. Auctoritas tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria: ut ecce, si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas, quòd si aliis promittant pupilli, necessaria est tutoris auctoritas. Nam placuit meliorem quidem conditionem licere eis facere etiam sine tutoris auctoritate, deteriore vero non aliter, quàm cum tutoris auctoritate. *Ita ibi.* Vnde colligimus, non liquere, quòd adeundo hæreditatem, licet magna videatur, rem suam meliorem faciant, ac proinde prohiberi, qua fieri potest, ut lateant maxima onera sub specioso titulo hæ-

reditatis. Hæc igitur prohibitio maxime favorabilis est.

Obj. 2. Si vina quis vendat, excipiendo acida & mucida, in gratiam emptoris & nihilominus acidæ elegerit emptor, non subsistet contractus. *l. Si vina. l. ff. de periculo, & commodo rei vendita.*

R. Non vendere vina corrupta non censetur esse privilegium, cum juris, & æquitatis id ratio exigat. Insuper resistit citata lex volenti vina acida præ melioribus, quia præsumptio juris est unumquemque sibi cum primis bene velle: & consequenter vel errore, vel dementia captum esse, qui contrarium agit, nisi ejus facti commodam rationem adferat.

Obj. 3. In *l. pridem. C. de questionibus.* cavetur, ne servi, vel liberti paterni, aut materni etiam in favorem domini, vel patroni torqueantur. Vnde sequitur, quibusdam privilegiis ne quidem uti licere.

R. Si permetteretur servos, & libertos in favorem dominorum suorum torqueri, etiam in odium illorum torqueri poterunt, quod leges vetant, & eatenus magno favore dominos prosequuntur.

Obj. 4. Nobilibus favore meritorum conceditur titulus maxime gratiosus, & expetitus: obest nihilominus non raro. In quibusdam delictis enim multò magis puniuntur, quàm plebei, puta, si ingrati appareant dominis suis & patronis.

R. Non quia nobiles sunt, puniuntur, sed quia nobilitatis immemores flagitiosè vivunt: & vicissim majoribus præ-

præmiis afficiuntur, quando præclare rem gesserunt. Idem dicendum est ad alias objectiones à Peckio propositas. Eorum enim, quæ per accidens eveniunt, non habetur ratio.

Obj. 5 Iudæos propter exemptionem, & privilegium nemo Christianus in die Sabbati convenire judicio potest: ex quo privilegio nihil commodi habent, cum ipsi vicissim alios convenire nequeant.

R. Posterius hoc non oritur ex priori, sed aliunde. Quodenim ipsi

non conveniant Christianos in Sabbato, lege Mosaica, seu divina præceptum est: quòd verò à Christianis non molestentur ex mandato Principum habent: eoque privilegio plenè, ac liberè fruuntur.

Hic Nota Peckii errorem, vel arrogantiam, qui cum dixisset, se ex septem objectionibus Dyni nullam allaturum, sed merè novas à nemine hæcenus tactas, hanc de Iudæis n. 8. & alteram de populo, quæ Dyni prima est, n. 9. allegat.

REGULA LXII.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

I. **C**ongruit cum illa I.C. 47. Consilii non fraudulenti nulla obligatio est: caterum si dolus, & calliditas intercesserit, de dolo actio competit. Rationem Glossa addit, quia consilium non necessitat. c. Quisquis 14. q. 1. Quod præcipitur, imperatur, quod imperatur, necesse est fieri: si non fiat, pœnam habet. Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas est servientis. Hæc ibi. Idem l. 2. ff. Mandati. Gaus dicit. §. 6. nemo ex consilio obligatur, etiam si non expediat ei, cui datur: quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium. Verum quibusdam non placet allegata ratio. aliàs communiter recepta, tum quia obligatio cujusque non pendet à necessitate, quam aliis imponit, sed ab

ea, quam ipse sibi per propriam voluntatem imponit. l. Sicur. c. de action. & oblig. e. Licet. de voto, & tam in donatione patet, quàm in aliis contractibus, in quibus consentiens obligatur, & tamen alii necessitatem non imponit: tum etiam, quia consilium fraudulentum obligat, ut habetur in hoc textu, & tamen in eo viget ratio Glossæ, quia non imponitur necessitas ei, cui præstat: & tandem, quia licet consilium necessario sit servandum, adhuc non obligat. Itæ illi. ex falsa hypothesi, & malè intellecta intentione Regulæ: cujus non est sensus, eum, cui datur consilium, non obligari, sed illum, qui dat. Hic enim quæcumque dedit consilium (modò non fraudulentum, id est, conscientie suæ contrarium) non contrahit ullam obli-

obligationem, intellige, civilem; ratione cuius illum convenire queat is, cui dedit, dicendo, v.g. Tu mihi sic, vel sic consulendo damnum intulisti, in jus ambula, restitue. *Commanus l. 2. c. 14. n. 6.* In hoc sensu optima est allegata ratio, non obligatur consulens ex consilio suo, quia non necessitat illum, cui datur, adeoque nullum in ipso effectum operatur. Quod *Dymus* hoc exemplo bene declarat. Si tibi consilium dedi, ut pecuniam tuam potius in mercimoniis, quam emptionem prædiorum converteres, & malè tibi acciderit, quia fortè merces naufragio submersæ sunt, non teneor, nisi fraus adhibita sit. Vides, non de obligatione accipientis, sed dantis consilium loqui; neque de obligatione respectu divini iudicii, sed humani, qualis est inter contrahentes, qui pro bona fide malam fraudem admiscunt. *Vivianus hic. V. Azor III. l. 4. c. xi.* Eodem sensu accipiendum est.

II. Quod additur. *Dummodo fraudulentum non fuerit.* Neque enim significat, tunc obligatum iri consulentem illi, cui consuluit fraudulenter, sed illis, quibus intervencu fraudulentæ suasionis damnum illatum est. v.g. Consilium dedisti *Sticho* servo, ut fugeret; fugit *Stichus*, & damnificatus est ipsius dominus, non *Sticho*, sed domino teneris. Et universè, quando cunque consulitur maleficium aliquod, tenetur consulens non illi, cui, sed in cuius damnum consilium dedit, nec actione doli mali, sed maleficii conveniendus est. Nam si homicidium suavit, homi-

cida est. *c. Sicut de homicidio. §. Qui verò.* Si furtum consuluit, furti reus. Si injuriam, injuriarum. *l. 1. ff. de servo corrupt. l. Non solum. ff. de iniuriis.* Eadem ratio est aliorum omnium. Ipsi autem malefactori quantumlibet malè persuaso nunquam obnoxius fiet: tum quia scire, & expendere debebat, sibi id non licere. *§. Interdum. Instit. de obligationib. qua ex delicto;* tum quia ex improbitate sua nullus consequitur actionem. *l. Ita que. ff. de furto. Schneidev. in l. 3. Instit. tit. 27.* Atque hoc est mandantem inter & consulentem discrimen, quod mandans obligatur mandando, consulens autem consulendo non obligatur. *l. 2. ff. Mandati. & Institur. eod. §. Tria genera. Less. c. 13. Dub. 3. Navarr. c. 27. n. 233.*

NOTA. Aliter philosophandum esse de illis, qui ratione muneris sui, vel professionis consilium petentibus dare tenentur: quos in numero sunt Advocati, Procuratores, Medici, & similes. Cum enim ex conventionem, vel tacitâ promissione fidem suam obstrinxerint, si damnosum consilium malitiosè dederint, ad omnia damna, & omnibus inde læsis obligati sunt. *Petr. Navarr. l. 3. c. 4. num. 22. Less. c. 7. D. 7. & c. 13. D. 3. Sayr. l. 10. Tr. 2. c. 8. Caramuel. Theol. fundam. n. 776. Decius in l. consilii. ff. de Reg. Jur. Addens ad satisfaciendum teneri doctorem, ex cuius consilio quis per imperitiam dato permotus iudex contra reum sententiam tulit, aliàs non facturus: quamvis alii limitent, ut tunc*

ut tunc verum sit, quando Iudex consilium datum sequi tenetur, alias minime, quod omnino probabile censeo. *Mol. disp. 729. Tholosan. l. 30. c. 11. n. 6. Rebell. de obligat. iustit. l. 2. q. 14. s. 4. Laym. l. 1. Tr. 5. Part. 2. c. 5. n. 7. & seq. Sanch. l. 1. Mor. c. 10. Silvest. V. Consilium. Q. 7. Escobar. Tract. 3. Exam. 2. c. 6.*

NOTA. Quando N. Titius aliàs facturo maleficium suadet, mitius puniendum esse. *Angel. Lopez. Duen. & alii quidam docent: è contra non minus imò gravius delinquere, adeoque graviore poenâ dignum pronunciat. Gutierrez cum Menochio, Mascari. & al. citatis. l. 3. Q. 2. n. 12. V. Petr. Duenas in Reg. 149.*

III. Amplia 1. Contra Dynum, si ve is, cui datur consilium aliàs facturus esset, si ve non. Semper enim valet adducta ratio, quia consilio dato non imponitur illi necessitas operandi, sed liberum relinquitur, ut expendat, utile, an nocivum, receptione vel abiectione dignum sit.

Amplia 2. Quamvis negligentia, & inconsideratio misceatur, dum non factis omnia expendantur ab eo, qui daturus consilium est. Neque enim patroni, & advocati ut sic, & in omnibus obligandi sunt ad compensationem, si minus accurati fuerint, modò dolus absit, & ex consilio dato nemo necessitetur ad agendum secus de illis vel consiliariis, vel confessariis dicendum, quibus ex pacto, vel officio incumbit ea consulere & suadere, quæ salubria, & nulli damnosa esse possunt, quemadmodum num. præcedente diximus.

Amplia 3. Ut non obligetur consulens, quamvis propter ipsius consili-

um alteri lucrum subtrahatur. Titius ex causa. voluit donare tibi equum, sua deo, ut non faciat, cessat hoc lucrum tibi. Quid facies? nulla tibi injuria illata est, nulla actio competit, cum neque ad rem neque in re jus ullum habeas. Suppono autem abesse odium, fraudem, & dolum. Eodem sensu dici solet, illum nobis non obligari, qui fecit, quo minus aliquid nobis legaretur. *l. fm. c. si quis alium testari prohib.*

IV. Obj. 1. Si persuasero alicui aliàs nolenti, ut mihi ad injuriam inferendam obediret, potest injuriam mecum agi. Ergo ex consilio meo obligatus sum. *l. Non solum is. §. Atlicimus ff. de iniuriis.*

R. 1. Qui sequitur malum consilium, & peccat, non habet actionem adversus consulentem, quia liberum ipsi fuit sequi, vel non sequi consilium: neque potest contractum objicere, quia rei turpis nulla pactio admittitur.

R. 2. In *cit. ar. leg. verbum suadet, pro mandare usurpatur, quod ex sequentibus colligitur, ut mihi obediret.* Non obedimus consulentibus sed mandantibus Contrarium Dynus, & alii *Legista* sentiunt, teneri scilicet eum, qui aliàs non facturo suadet vel contractum, vel delictum. Equidem quod delictum attinet, facile videmus obligari saltem Magistratui, à quo eadem poena plectendum docet ex communi *lul. Clarus. §. fm. Q. 88.* Quod contractum attinet, non video causam obligationis, quia semper liberum manet acceptare, vel non acceptare consilium. Et si acceptat, illi utpote volenti nulla injuria fit.

Obj.

Obj. 2. *Ulpianus in l. non solum. §. si mandato. ff. de iniuriis.* vult omnes teneri, quorum operâ, vel ope aliquid præstitum est.

R. Aliud est, opem ferre, aliud consulere. Qui opem fert, cooperatur, qui consulit, in medio relinquit, ut fiat, vel

non fiat, quod suavit. Illi ergo, cui consultum est, nihil debet. Si autem Magistratus obligatur & damnum passus aliunde proveniat, necesse est. *V. Azor. II. l. 12. c. pen. & alt. Cotonium in sum. Dian. V. Restitutio, n. 12. & seq.*

REGVLA LXIII.

Exceptionem obiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

L Desumpta est ex *c. 6. de except. & l. Non utique. 9. ff. de exceptionibus.* & quamvis difficile intellectum habeat. *Covarr. tamen l. 1. c. 1. n. 3.* verisimam pronunciat, non tantum in eo, qui conditionali oratione excipit, sed etiam in simpliciter excipiente, cum Iuris Consultis, & Pontifices Romani, qui nobis hanc tradidere regulam absque ulla conditione id asseverent. *l. Non utique. ff. de except. c. Cum venerabilis. de exceptionibus.* in quo licet exceptio proposita fuerit tantum conditionaliter, tamen ibi summus Pontifex regulam simpliciter approbat. Et ulterius probatur. Nam actus non debent operari ultra intentionem agentium. *l. Non omnis. ff. si certum petatur.* Exceptio enim eo animo proponitur, ut intentio agentis excludatur. Igitur non poterit in dubio ex ea probatio intentionis ipsius agentis assumi. Deinde excipiens tamen si absque ulla conditione excipiat, tunc demum intendit exceptione uti, cum actor deductam in iudicium intentionem probaverit: siquidem prius opus non est ulla exceptione, quod probat

textus in *l. Siquidem. C. de except.* Agit sane quis rei vendicatione, domum quandam à Titio jure domini petens, excipit Titius illam domum ab ipsa actore habuisse titulo permutationis, aut venditionis: non ex hoc videtur fateri reus, actorem dominum esse illius domus. Vnde nisi actor dominium probaverit, succumbet. At tunc probato dominio reus probare debet permutationem, emptionemve. *Ita Covarr. quidem, sed difficultas manet, & augeatur aliis exemplis in medium adductis. Dicit Sempronius. Tu mihi 100. aureos debes. Excipio. Iam pridem solvi, vel pactum de non petendo initum est; am non per bonam consequentiam sequitur ergo debebas. Quomodo enim solvi, si non debuisti, quare pactum de non petendo initum est, si deerat, quod peteretur? Certè Baldus existimat, qui compensationem excipit, fateri debitum esse. l. Cum Papinianus. C. de sententiis & interlocut. & Felinus in c. Venerabilis. de exceptionibus in multis casibus docet hanc regulam fallere. Caramuel verò in Theol. fundam. n. 653. gravi morbo laborare,*

Z

rare, nec veram esse, si ut sonat, & jacet, admittatur.

II. *Dynus* igitur prædictam difficultatem agnoscens, & remove fatagens hanc distinctionem excogitavit. Aut reus excipiendo aliquid simpliciter negat, aut excipiendo aliquid ponit. Si negat, ut in exceptione non numeratæ pecuniæ verum est, quod non videtur confiteri de intentione actoris: sed si excipiendo ponit aliquid, aut simpliciter, aut sub conditione ponit. Si simpliciter, ut quia dicit sibi pactum in itinere non solvendo, solvisse, vel absolutum esse, tunc de sola exceptione tractandum est, absque eo quod actor intentionem suam probet (*Nota, quod onus probationis in reus derivetur à Dyno*) sed si negat, & sub conditione ponit, quia dicit se non teneri, & si apparet eum teneri, dicat sibi factum pactum de non petendo, tunc non videtur confiteri de intentione actoris, & ideo non afficitur onere probandi exceptionem, nisi actor probaverit intentionem suam. Et hæc probantur. *C. de except. l. Si quidem.* Hæc est *Dyni* expositio, quæ huc usque non potui reperiri commodiorem. *Quam Causius* approbans consulit cum *Glossa*, ut reus dicat. *Nego me promississe: si tamen promissi, pactum de non petendo in itinere est.* Idem suadet *Caranus* loc. cit.

III. Obj. 1. Reus vel credit exceptionem suam esse veram, vel esse falsam, si hoc, perjurus est, si illud, vim confessionis habet.

R. Inter credere, & non credere, quemadmodum inter scire etiam, & non scire medium est, dubitare, vel ha-

bere duplicem intelligentiam. Rogatus enim reus, an non inierit contractum emptionis, negare poterit, licet inicitus sit, intelligendo non esse celebratum contractum validum.

Obj. 2. Qui creditori pecuniam tibi debitam exhibuit, & postea excipit indebitam fuisse, ad probandum cogitur. *l. Cum de indebito ff. de probat.*

R. Quandocumque præsumptio contra reum militat, hujus regulæ beneficio non fruitur. Egreditur ex domo vicina quilibet ferens gladium recenti cruore infectum, negat tamen à se vulneratum, vel occisum esse, cujus inibi cadaver inventum est, præsumitur reus, & ad purgandum se compellitur. Iam in casu legis citatæ, nemo censetur ita rerum suarum negligens, aut prodigus, ut etiam quod non debet, exolvat. Merito igitur onus probandi incumbit illi, qui id asseverat.

Obj. 3. In *venerabilem. de elect.* ex eo, quod *Corradus Dux* per nuntium suum absolutionis beneficium postulavit, patere dicitur, quod ipse fuerit excommunicatus. Similiter ergo, qui exciperet se absolutum esse, fateretur præcessisse excommunicationem.

R. *Peckius* objectionem hanc admodum difficilem & controversam esse, ac tandem sine ulteriori resolutione ad *Alciatum* rejicit. Verum plus difficultatis hic esse non potest, quam in Regula ipsa, ac proinde dicendum, absolute loquendo, non fateri semper excommunicationem, qui se absolutum esse pronunciat, quemadmodum non fatetur debitum, qui excipit solutio-

neum.

nem. Fieri tamen potest, ut in particu-
lari secundum materiæ conditionem, &
circumstantias aliter iudicandum sit.

Et in primis attendenda est intentio
loquentis.

REGVLA LXIV.

Quæ contra ius fiunt, debent utiq; pro infectis haberi.

I. **C**ontra ius fieri dicitur omne
id, quod contra Iuris formam,
vel legislatoris mentem agitur, ut si bo-
na ecclesiæ alionentur sine debita so-
lennitate: si ante ætatem præscriptam
professio regularis admittatur: Si Iudex
non servato legum præscripto defi-
niat, & similia. An verò contra ius fieri
dicantur illa etiam, quæ sine jure, & le-
ge fiunt, parùm necessaria quæstio est.
Quis enim contra Decalogum pecca-
ret, si Decalogus nullus esset? Neque
Reck exemplum servit, de tolerantia
impudicarum mulierum. Non enim,
quia non puniuntur, albæ sunt, & nihil
contra legem naturalem, aut divinam
peccant. *V. Navarr. c. 17. n. 194. & seqq.*
Damasus in Reg. 123.

II. **E**xempla *Glossa* sunt plura, &
pafsim nota, jamq; superius insinuata,
de professione non suo tempore facta,
de alienatione bonorum ecclesiastico-
rum neglectâ formâ præscripta: de Iu-
dice, qui parte non vocata testes audit,
&c. E contra occurrunt non pauca, in
quibus *Regula* deficit.

Nam I. Matrimonium post simplex
castritatis votum non est irritum. *c. un.*
de voto.

2. Neque si fiat contra interdictum
ecclesiæ. *Toletus l. 7. c. 18.*

3. Ordinatio clericorum, & conse-
cratio ecclesiarum ab alieno episcopo
facta non debet reiterari, aut pro infe-

cta haberi. *Sily. V. Ordo. 11. n. 10.*

4. Sententia Iudicis durius, aut sub
conditione lata sustinetur. *c. Biduū. 2. q. 6.*

5. Baptismus à femina collatus et-
iam sine necessitate validus est. *c. A quod.*
Iudeo. de consecr. dist. 4.

6. Similiter consecratio Euchari-
stie non suo tempore, loco, apparatu,
aliisque requisitis peracta. *Sily. v. Eucha-*
ristia. §. 11.

Item facta 7. Collatio sacrorum or-
dinum pueris, vel indignis. *Navarr. c.*
25. n. 116.

8. Denique plurimi actus hominib.
religiosis prohibiti sunt, qui tamen si
contra prohibitionem fiant, non dam-
nantur, ut invalidi *Az. l. 1. s. c. 16. q. 17. Co-*
mitol. l. 3. q. 4. V. quæ dixi. Part. 1. sum. tit. de
Regularib. Caram. in Theol. fund. n. 541.
De his omnibus dicendum, fieri qui-
dem contra legem, non tamen contra
formam legibus præscriptam, quâ ne-
glectâ actus censi in invalidus: quam
rem accuratè ut solet, *Fr. Suarez l. 2. de*
legib. c. 12. & l. 5. c. 29. ac seqq. explicat. Sed
obstare videtur. l. Non dubium. C. de legib.
ubi pro infectis habentur, quæ legisla-
tor tantum prohibuit, & non irritavit.
Quòd si quæ movet, dicat, ea quæ con-
tra legem fiunt, irrita esse, nisi constet
ex alia lege, aut certa ratione, subsiste-
re. *V. Azor l. 1. s. c. 16. ci. fin. Molin. de primo*
gen. l. 2. c. 16. n. 20. Barb. in Axiom. 93. n. 19.

III. *Amplia 1.* Ut valeat etiam in Statutis particularibus, & consuetudinibus. Nam si quid contra hæc gestum fuerit, reprobabitur, ut nullum jus tribuat, aut ullum effectum producat. Quod verò aliqui opponant, Regulam hanc ad leges pœnales pertinere adeoque non ampliandam sed restringendam esse nullius momenti est. Neque enim, cum actus aliquis irritatur, pœna constituitur neque si ita esset, omnis ampliatio tolleretur: quandoquidem in pœnalibus quoque ubi idem ratio invenitur, extensio locum habet. *V. Prolegom. §. 7.*

Amplia 2. Ut valeat etiam in iis quæ Regulam antecedunt, leges, & statuta antiqua. Quamvis enim lex futurum tempus respiciat, quidvé faciendum, non verò quid factum sit, doceat: declaratio tamen utriusque temporis, id est, futuri, & præteriti actiones contingit. Mens igitur etiam antiqui legislatoris declaratur fuisse, ut quæ contra suas constitutiones fierent, pro infectis haberentur. *V. Gaill. l. 2. obs. 9. n. 5. & 6.* ubi exemplum de prohibitis ab Imperatore in Comitibus anni 1530. usuris adducit, & doctrinam communem esse docet, constitutionem ad præterita referri, quoties reprobantur ea, quæ cum jure divino, & naturali pugnant. *Glo. in c. Cum tu. de usuris. cum aliis DD. multis ab eodem allegatis.*

Amplia 3. Ut ejusmodi actus non confirmantur, nec vires acquirant ex juramento quando propterea irritan-

tur, quia immediatè, ac per se nocent bono publico juxta *Regulã 58.* supra explicatam. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. Si autem immediatè privatam utilitatem, ac consequenter tantum publicam lædat, valere poterit juramento confirmatus actus, quem aliàs jura non agnoscant, uti patet in alienatione fundi dotalis, quam adversus legem Iuliam mulier fecit. *c. Cum contingat. de iur. am.*

Amplia 4. Ut contra hanc regulam enervandam nulla privatorum hominum pacta vim habeant. cum nemo juri, quod pro se sancitum non est, renunciare queat. *c. Ad apostolicam. de regular.* & per se iniquum esse liquet, ut quæ Magistratus ad conservationem omnium, ac totius communitatis constituit, privatorum arbitrio ad tollendum, vel eludendum subjecta sint.

Quod aliqui addunt, ne quidem obligationem naturalem ex actibus à jure reprobatis nasci, verum non est: quia ejusmodi effectum nulla humana vis impedire, quamvis non acceptare, potest. Alia illorum ratio est, quibus, ut validi censeantur, certa solennitas præscripta est, quanquam in his quoque saltem aliquibus non semper impedita naturalis obligatio videatur: de qua re

V. quæ dixi. in Part. 2. sum. tit. 3. §. 1. de testamentis. n. 13. Barb. in Tract. de dictionibus usufrequ. Dictione prohibere.

REGVLA LXV.

In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.

I. **D**Væ sunt partes regulæ, una, in pari delicto potior est conditio possidentis: Altera, In pari causa potior est conditio possidentis. Prioris exemplum *Glossa* sumit ex *c. Non sanè. 14. q. 5.* ubi qui pecuniam dedit, pro iniquo iudicio, à repetendo excluditur, quia cum uterque peccaverit, dans pecuniam pro iniquo iudicio, & pro eodem accipiens, hujus utpote possidentis melior conditio est. 2. Patet in eo, qui usuras, quas solvit, repetit, cum sit in pari delicto. *c. Quia frustra. de usuris.* 3. In eo, qui propter stuprum, adulterium, vel homicidium dedit aliquid. *l. 2. c. de condit. ob turpem causam.* Vbi Antoninus Imp. Longino. Cum te propter turpem causam adversariæ dedisse profiteris, frustra eam tibi restitui desideras, cum in pari causa possessoris conditio melior habeatur. Idem *l. 4. ff. eod. tit. dicitur.* Posterioris partis (cum absque delicto par causa est) exemplum sit I. Si unum idemque beneficium eodem die duobus conferatur, uni à Pontifice, alteri ab episcopo, & ignoretur utra collatio prior fuerit, præferetur is, qui possidet. *c. Si à sede. de præben. in 6.* 2. Si inter duos quæstio sit de principatu, nec constet de jure, Vasallus illi fidelitatem præstare debet, qui actu possidet, eritque excusatus, licet hic causa cadat. *Guido Papa cons. 68.* 3. In iudicio quando utriusque partis testes viden-

tur esse pares, & idonei, illius præferuntur, qui possidet. *c. Ex literis. de probat.*

Atque hæc prærogativa non minima est inter alias, quas possessio adfert, de quibus *Tiraqueus. de nobil. q. 17. Less. c. 3. D. 13. Lugo D. 2. S. 4.*

II. **Amplia 1.** Vt melior sit possidentis conditio, sive actor, sive reus existat: Nam quod dicitur in *Reg. xi. favorabiles esse partes rei.* Item, in dubio reum absolvendum esse, ita accipi debet, nisi actori possessio faveat. *Fulgosus cons. fil. 138. Tiraq. l. cit.*

Amplia 2. Vt valeat contra causam, ac favorabilem. Si enim mortuo prælato de relictis bonis quæstio moveatur, ignoreturque, sintne ex patrimonialibus, an verò ecclesiasticis, potior erit, quicumque in possessione est, sive clericus, sive laicus. Idem dicendum, si duo unius diei instrumenta exhibeantur, nec de ordine constet præferetur quidem id, quod piæ causæ favet, dummodo non adfit creditor, qui ejusdem diei habeat instrumentum, & in possessione sit. *Fachinaus l. 8. c. 9.* Idem valet in promissionibus, & votis. Dubito, an aliquid voverim: sum igitur adhuc in possessione libertatis meæ, & Deus est quasi actor exigens debitum, ego reus. In tali casu potior est mea conditio, nec spoliabo me libertate, antequam de obligatione constet. *Coninck Disp. 34. de mut. coniug. oblig. dub.*

10. n. 86. *Coton. in sum. Diana. v. Consc. dubia.*

Amplia 3. Vt valeat siue quaestio facti, siue juris sit: ut, cum agitur de interpretatione rescripti, vel privilegii. *Tiraq. de nob. & primog. q. xi. in opin. 2.* Est autem facti quaestio, quando non constat, num id de quo quaeritur, factum sit. Juris, quando factum esse constat, sed dubitatur, rectè an secus, jure, an injuria. *Pellizzar. in Man. Regul. Tr. d. c. i. n. 26.*

Amplia 4. Vt valeat, quamvis tempore litis contestatae possessio cessarit, dummodo adversarius etiam careat. Quamvis enim nunc corpore rem non teneat, manet nihilominus aliquando habuisse: quod ejus causam juvat contra adversarium, qui nunquam in possessione fuit. *Glo. & Bart. ad l. Titio. ff. soluto matrim.*

IV. Obj. 1. In *l. Cum mulier. ff. soluto matrimonio.* dicitur. Cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur. Dotem ergo mulier repetere potest: contra eam verò maritus excipere non potest. Vnde sequitur non viri possidentis meliorem conditionem esse, sed mulieris exigentis.

R. *Peckius*, licet vir, & uxor in pari turpitudine existant: ipsa tamen non fundat actionem suam in turpitudine, sed in honesto contractu dotis tantum, certatque praeterea maritus jam de lucro captando. Verum hoc modo non diluitur objectio. Nam quod supponit in pari turpitudine utrumque esse, ne-

mo Theologus concedet, cum non una mariti, sed multiplex culpa sit. Ejus enim qui major, magis est culpabilis error. Deinde possidentis personam male tribuit soli marito: cum mulier dotis suae dominium, & possessionem civilem semper retineat. *l. In reb. C. de iure dotium.* Dicendum igitur in isto casu neque par delictum utrumque, neque parem causam esse, ac proinde nihil contra Regulam allegari.

Obj. 2. Si possidentis melior conditio est, furum, & latronum cause leges patrocinantur, innocentes verò defertunt. Nam qui ex causa, equum furatus est, tenuitque per annum, usu ipsius patrimonium suum conservavit, & auxit: dominus verò caruit, & damnum passus est.

R. In pari delicto vel causa, amplectimur id, quod à periculo remotius est. Non assistere verò, & tueri possidentem perdurante dubio periculum injuriæ minatur. Quid enim si jusse possidet? Ex assistentia verò, si quid damni oritur, compensari potest. Nam si dominus evicerit rem suam, malus possessor ad ipsam redhibendam, & omnes fructus interea perceptos condemnatur. *ff. de evictionib. l. is qui destinavit. ff. de rei vindic. V. Azor l. 8. summa. §. 44. Alexandr. Consil. 161. l. 6. Menoch. de praesumpt. l. 6. praesumpt. 66. Card. Tusch. lit. T. Conclus. 404. Barbos. in*

Axiom. 182.

REGVLA LXVI.

Chm non fiat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.

VNde sumpta est, inter civites numero 121. continetur his verbis. *Iure civili receptum est, quoties per eum, cuius interest, conditionem impleri, non fiat, quò minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta fuisset.* Locum habere in ultimis voluntatibus, in contractibus, & dispositione statuti. *Decius asseverat, sed latius patere Glosse exempla ostendunt.* Nam ex *G. n. c. 22.* inducit Abrahæ factum, qui ne occideret filium suum, uti mandarat Dominus, ab Angelo impeditus est. Ac proinde meritum ipsius perfectum fuit, & collatum præmium non secus, ac si reipsa Isaacum immolasset. *r. Si quelibet, 22. q. 2. Car. am. in Theol. fundam. n. 694.* 2. *Sitias* in testamento libertatem legavit Stichò servo, si decem sestertia penderet hæredi. Hæres oblatam pecuniam noluit acceptare: censetur expleta conditio à Stichò, quia quò minus fieret, per eum non stetit. *l. ult. C. de cond. infer.* 3. Non dispar illud *Baldi* exemplum est. *Quidam* fratribus *S. Dominici* pro sepultura legavit 100. aureos, sed in excommunicatione decedens sepulturâ privatur, nihilominus legatum debetur monasterio, quia conditio habetur impleta, cum non stet per fratres illos, quò minus impleta fuerit. *Ever. in loco à primo ad ultimum.* 4. Iudex decrevit citationem contra absentem, mihi que executorem, ut ipse reus veniret ad audiendam sententiam: At reus per familiares suos impeditus

executorem, ne posset citare, nunquid habetur pro citato? Omnino, quia per eum stetit, quò minus audiret voluntatem Iudicis. *c. Quoniam frequenter. §. Perro. Vt lite non contest.*

NOTA hic, hujus Regula, & superius explicatæ quadagesimæ primæ differentiam. Aliud enim est non imputari ad culpam, & haberi conditionem pro impleta. Hoc in præsentî Regula, illud in altera dicitur. Nec raro contingit, ut culpa quidem vacet omisio nostra, nullum tamen inde fructum reportemus, ut videre licet in conditionibus ad valorem, & usum sacramentorum necessariis, quæ in nostra potestate non sunt. Non enim de casuali, sed potestativâ tantùm conditione Reg. loquitur.

II. Amplia 1. Vt valeat etiam in iis, quæ animæ salutem concernunt, ut exemplum Abrahæ allatum indicat, & *SS. PP. cum DD. Theologis* unanimiter approbant. *S. Aug. in Psal. 134.* Quia Deus cor quærit, cor inspicit intus, testis est, iudex est, approbator, adjutor, coronator: sufficit, ut offeras voluntatem. Item in *Psal. 57.* Quicquid vis, & non potes, factum Deus computat. *S. Bern. epist. 77.* Quid planius, quàm quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excusat necessitas. Eadem invenies apud scholasticos in *1. 2. q. 20. art. 4. Valen II. Disp. 2. q. 15. Puncto 4. Vasqu. in 12. Disp. 76. c. 2. Azor I. l. 2. c. 6. q. 5. Suarez l. 12. d. Grat. c. 6.* **Am**

Amplia 2. Vt sufficiat non solum ad exceptionem, sed etiam ad actionem pariendam. Ex vendito enim agi potest, quasi impleta esset conditio, si non stetit per eum, sed per emptorem, quominus adimpleretur. *l. Labeo. ff. de contrah. empt.*

Amplia 3. Vt locum habeat etiam, quando de summi Pontificis aut Principis auctoritate vel præiudicio ageretur. *Exemplum cape.* In universitate N. pro beneficio vacante nominatus est Codrus, petiitque intra sex menses, uti oportet, conferri sibi beneficium, Collator moram facit, & tardius iusto confert. Vnde sequitur, non stare per Codrum, quod minus tempestive consequatur illud: idcirco collatio debet haberi pro facta à die requisitionis, quicquid in contrarium minus benigni collatores moliantur.

Amplia 4. Sive agatur de iure acquirendo, siue de eo amittendo. Nam si oblata sit datio pro demoliendo opere, & non steterit per offerentem, sed nunciantem, quod minus præstetur, habebitur nunciatio pro remissa. *Iason. ad l. prator ff. de novi operis nunciat.*

III. Obj. 1. Lex quia naturam imitari solet, super impossibili non fingit. *l. Qui ad certum ff. locati.* quomodo igitur id, quod factum non est, factum

esse fingit, cum in nullius hominis potestate sit efficere, ut factum sit, quod revera factum non est.

R. Si hujus objectionis tanta vis est, quantam *Alciatus* invenit, *Peckio teste*, magnam fictionum partem eliminat, ut cuilibet accuratius examinanti patebit: quod malum ut evitemus, dicendum est, non fingere quicquam impossibile, sed statuere, ut, quod non factum est, sed fieri potuit, pro facto acceptetur, quando nullius culpæ ascribi potest omisio.

Obj. 2. Testator Cajus mille aureos legavit Bertæ, si Cornelio Strabonubere. Ante contractum matrimonium Strabus moritur, & conditio non impletur absque culpa Bertæ, cui nihilominus legatum negatur. *l. Legatum. ff. de condit. l. Si sub diversis. ff. de condit. & demonstr.*

R. Mors non prævisa, sed invasa & minimè optata fortunæ casus est, non subiectus arbitrio nostro. Ideo legatum non datur Bertæ, quamvis per eam non stet, quod minus impleatur conditio, tum quia casualis est, tum quia mens testatoris fuit, ut tunc tantum potiretur legato, quando nupsisset, undecunque effectus impediretur. *V. Barbos. in Axiom. 48. Fillius. Tract. 33. n. 163.*

REGVLA LXVII.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

I. **H**vic Regule duplitem sensum tribuit *Peckius*. Prior est, quod alicui sub nomine suo proprio facere non licet, neque sub alieno nomine,

mine, seu per alium licebit: quomodo
*Vipianus dicit l. 2. de administratore rerum
 publicarum*, decurionem subiectis alio-
 rum nominibus prædia publica non
 magis, quàm nomine proprio expresso
 conducere posse. Posterior est, quod
 non licet alicui suo nomine, id est, pro
 seipso, neque alieno nomine, id est, ne-
 que pro alio licet facere. Et hunc poste-
 riorem, ut magis convenientem secu-
 turum se cum dixisset, paulò post im-
 memor sui exemplis utitur, quæ priori
 sensui accommodata sunt. v.g. circa fi-
 nem *num. 1.* Sicut simplex sacerdos vir-
 gines sanctimoniales velare, altaria
 consecrare, ordines conferre non po-
 test, ita nec alieno nomine potest. Sen-
 sus esse debet. Sicut pro se non potest
 consecrare virgines, & reliqua, ita nec
 pro alio, quod est ridiculum. Quis e-
 nim pro se, vel pro alio unquam sancti-
 moniales consecravit? Retinebimus i-
 gitur posteriorem, non damnando, pri-
 orem sensum, in cuius confirmationem
Glossa 1. Exemplum de usura ponit.
 Mihi usuram exercere mea opera non
 licet. Igitur nec aliena seu per alium. c.
Sicut non suo. Dist. 46. ubi causa additur.
 Indecens est enim crimen suum com-
 modis alienis impendere: 2. Ut pro-
 prio nomine satisfacere literas papales
 mihi non licet, ita nec alieno. c. *Ad falsari-
 or. de crim. falsi.* 3. Nec nomine alieno
 nec proprio album prætoris corrup-
 pere debeo. l. *Si quis id. ff. de iurisd. omn.
 iud. It a Glossa.* Addit verò regulam obti-
 nere in maleficiis; quod verum qui-
 dem, sed non solis, ut videtur velle.
 Nam in contractibus quoque locum
 habet, qui absque peccato fieri possunt.

v.g. Si non licet mihi, per leges civiles
 nimirum, frumentum, aut vinum ven-
 dere extraneo, neque per alios licebit.
 Si non licet marito bona sua uxori do-
 nare per se, nec per alium poterit. Si a-
 lienare rem ecclesiæ per se non potest
 prælatus, nec per alium: obstante scili-
 cet prohibitione ecclesiastica, vel poli-
 tica, quamvis in se eiusmodi contractus
 illiciti, & mali non sint. c. *Non licet. de
 reb. eccl. alien.* Si religioso professo non
 licet commodare, mutuare, aut alio mo-
 do de rebus monasterii propriâ aucto-
 ritate disponere; non licebit ad id ro-
 gare, & substituere alium, qui suo no-
 mine commodatum, aut mutuum fa-
 ciat. c. *secundum. Ne cler. vel mon.* Deni-
 que si episcopo non licet alterius dice-
 celis subditos ligare, vel solvere, neque
 per Vicarium suum id poterit. *Conc. Tr.
 S. 6. c. 5. & S. 14. c. 8. Caranuel Theol. fun-
 dam. n. 663.*

II. Hæc regula in quantum de ma-
 leficiis loquitur, cum negativam pro-
 hibitionem contineat, nec ampliatione
 indiget, nec limitationem admittit; sed
 quatenus de contractibus aut iudiciis
 agit in posteriore sensu limitanda est.
 Fallit enim quando mea & alterius di-
 versa dispositio, & ratio est, vel quan-
 do ejus boni, quod intenditur, alius
 pro quo agitur, solus capax est. Mihi
 ex. gr. non licet matrimonium contra-
 here cum mea consanguinea, vel affine
 intra quartum gradum. c. *Non debet. de
 consang. & affinitate.* possum tamen, uti
 procurator, contrahere nomine alieno,
 sive pro alio, qui neque consanguine-
 us, neque affinis est. c. *fin. de procur. in 6.*

2. Filiusfam. sine consentu patris in
 judi-

Aa

Judicio agere non potest. *c. 3. de iudiciis*
in 6. attaxien pro alio potest. c. 5. de pro-
curatorib. eod. quia in hoc neque filio,
 neque patri præjudicatur; cum non
 contra procuratorem, sed principalem
 Iudex sententiam ferat. *V. Caramuel loc.*
cit.

3. Quamvis per alienum fundum
 mihi ire, vel jumentum agere non li-
 ceat propter servitutem negatam: alie-
 no nomine tamen, si servitutis jus ha-
 bet, potero. *l. Sift pulatus fuero. ff. de ver-*
bor. obligationibus.

4. Qui aliàs Iudicis munere non
 potitur, ordinarii Iudicis commissio-
 ne seu delegatione rectè judicat. *to. tit.*
de off. lud. delegati.

5. Idem de consecratione altari-
 um, absolute pœnitentium, ordina-
 tione, & similib. dicendum: quæ omnia
 per se vetita ex aliorum consensu, vel
 rogatu, illorum nomine peraguntur.

Denique arma ferre, pugnam inire,
 se morte afficere, clericis omnibus, &
 maximè Prælati prohibitum est; qui
 tamen per alios non tantùm licitè id fa-

ciunt, sed etiam rationè munitis sui te-
 nentur, ad defensionem bonorum ec-
 clesiæ, & justitiam inter subditos con-
 servandam.

III. Adde, quod Dynus notat, etiam
 propter defectum intelligentiæ fieri,
 ut quis per alium agat. Nam furiosus
 non potest acquirere rem per se, & ta-
 men potest per alium. *l. 1. §. Item acqui-*
rimus ff. de acquir. possess.

DI CES. Si procurator à me contit-
 tatus, iniquum pro me jus impetret,
 ipsi non oberit, sed mihi. *l. 3. §. procura-*
tor. ff. quod quisque iuris. ergo Regula in
 maleficiis quoque non semper locum
 habet.

R. Ius iniquum impetrare, per se,
 & intrinsecè malum est. Sive igitur suo,
 sive meo nomine Procurator id faciat,
 peccati reus est. Et mihi quidem ex
 præsumptione imputabitur, quamdiu
 veritas latet, illa vero in lucem pro-
 tracta, concidet præsumptio, & pro-
 temeritate sua procurator debitam pœ-
 nam exhauriet.

REGULA LXVIII.

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

I. **G**Lossa monet sumptam esse ex
Reg. l. c. 149. Quod iussu alterius
solvitur: pro eo est, quasi ipse solvisset, vel ipsi
solutum esset, & Regula 129. Is damnum
dat, qui jubet damnum dare. Exem-
plum Glossæ est 1. Si per alium percus-
fero clericum, reus sum Canonis si quis
suadente 17. q. 4. 2. Si per procurato-

rem contraho matrimonium, verè
 maritus sum. *Sily. de matrim. §. 5. n. 9.*
 Idem de professione religiosa dico,
 quam licet per procuratorem facere.
Barb. hic. n. 4. Dynus addit, sicut possum
 per me emere, vendere, locare, condu-
 cere, litigare, ita possum per alium *ff.*
de procur. l. 1. §. Vtus autem. & de iniuriis.
l. sed

1. sed si unius. §. Idem Iulianus. Instit. Per quas personas nobis obligatio acquir. §. 1. Huc pertinent merita & demerita, quæ per alios nobis acquiruntur, nam aliena manu per eleemosynam pascere, & per eadem tollere proximum possimus: quemadmodum à Summistis Angelo, Silvestro, Tabiena, Rosella, & aliis latè explicatur. De homicidio eleganter Tolerus l. c. 83. Non solum, inquit, homicida est, qui per se occidit, aut mutilat, sed qui alios ad occidendum, vel mutilandum inducit, mandato, consilio, aut defensione. Exemplum habes in Pilato, & Iudæis, quorum nullus manu, omnes verò lingua Christum cruci affixerunt. Ideo enim exaceruerunt tanquam gladium linguas suas. V. S. Aug. in Ps. 63. ad v. 2. unde occidisti? Gladio lingua.

II. Amplia 1. Ut valeat, quamvis conventum aut statutum esset, ut propria manu effectus fiat. Nihilominus enim adhibere alios licet, modò actus non sit præjudicialis, nec personæ electa industria. Cardin. ad l. 1. de iureiur. Felin. in c. Licet, ex quadam. de test. Bart. ad unicam. §. Ne autem. C. de caducis tollendis. Hinc quando nudum ministerium alicui commissum est, subdelegare non potest, quia in eo personæ industria electa est. Item iustus à testatore sua manu tabulam pingere, per alium non potest. neque Doctor ad prælegendum conductus per alium lectiones habere, nisi fortè usus in contrarium sit, ut fufius declarat Gaill. l. 1. obs. 97. Iam quæ præjudicialia sunt, alienam manum similiter respuunt, cuiusmodi est Notarii publici subscriptio, sigilli appposito & id genus alia.

Amplia 2. Ut valeat, quamvis tu ipse pro alio facias. Nam procurator ad negotia constitutus loco suo alium substituere potest, & sic substitutus ab ipso domino substitutus esse videtur. l. Item eorum. ff. quod cuiusque univers. nomine. Imò hic iterum substituere sibi potest, suo periculo, ita ut unus alteri teneatur. Iason. ad l. Quod quis C. de procuratorib. V. Vesenbec. l. 2. ff. tit. 3.

Amplia 3. Ut aliquando teneamur per alium agere. idque vel propter dignitatem personæ, vel propter insufficientiam ejusdem, vel propter delictum, & periculum. Propter dignitatem personæ, in iudicio non comparant nobiles, & illustres, sed per procuratorem agunt. l. Quicumque C. de procur. Gaill. l. 1. obs. 111. n. 4. Propter defectum seu insufficientiam, pupilli, prodigi, rudes, furiosi. c. Pastor alius. de iudiciis. ubi indiscretæ personæ vocantur. Propter defectum & periculum excommunicatus non potest agere in iudicio, sed conveniri per alium potest. c. Intelleximus de iudic. Innoc. Abb. Avila. Imò, si cum aliis contractum ineat, peccat. c. Illud de cleric. excommunicante. Vbi Gloss. & DD. V. Tolosum l. 1. c. xi. n. 3.

Amplia 4. Interdum per alios licet, quod nobis prohibitum, vel indecorum est. Clericis specialiter prohibetur negotiatio. c. Negotiationem & sequ. Dist. 88. & c. fin. de vi. & hon. cler. adeò ut si diu multumque insistant, mortaliter peccent, ut Medina. C. de restitut. quest. 30. Less. c. 21. Dub. 1. num. 4. Aa 2 & Co.

& *Cotonius in sum. Diana. v. Negotiari. do-*
cent, nihilominus per alios, qui totam
industriam præstant, negotiari possunt.
v.g. dando pecuniam suam in societa-
tem mercatorum, indeque quotam su-
am recipiendo, quemadm. in *Par. i. sum-*
matit. i. §. 2. n. 4. explicuimus.

Præterea indecorum videtur, nobi-
les personas mercaturam exercere, ut in
Imperio Germanico communiter om-
nes judicant. Novimus tamen etiam in
ipso (aliis enim nationibus usitatum si-
ne nota) certas familias in diversis locis
proxenetas, vel factores aluisse, inde-
que magnum quæstum fecisse. *V. Tirac-*
quel. de nobil. q. 27. Thelof. l. 47. c. 10. & l.
25. r. 15. n. 8.

III. Fallit regula 1. Vti diximus.
Si specialiter conventum sit de proprio
labore, vel personæ industria electa sit.

2. Si certa persona pro forma actus
à lege requiratur, sicut in pronuncian-
da ab ipsomet iudice sententiâ apparet.

3. In testamenti confessione, quam
non licet alterius voluntati committe-
re. *l. Si quis Sempronium ff. de har. instit. c.*
Cum tibi. de testam.

4. Quando factum proprium exi-
git lex, ut contingit in residentia Cano-
nicorum, confessione, recitatione hor-
rarum, & similibus.

5. In tutore, Curatore, & procura-
tore judiciali, qui antequam per alios
agere queant, prius ab ipsis contestan-
da lis est. *l. Neque l. procuratoribus. c. de*
procurator.

6. In causis criminalibus, ubi non
admittitur procurator. *l. pen. ff. de publ.*
iudiciis.

Denique si ita partes inter se conve-
nerint. *Iul. Clar. §. ult. q. 38. n. 6. Cortas. l. 3.*
Miscellau. c. 22. Gomez. l. 3. c. 3. Menoch. de
reuer. poss. Remid. r. n. 407. Car. Tufib.
in lit. F. Concl. 7. Fachinaus l. 1. Controvers.
c. 24.

REGULA LXIX.

In malis promissis fidem non expedit observari.

I. **S**ITNE idem malum promittere, &
male promittere, ambigitur, non
sine causa, & fundamento, ut mox pa-
lam fiet. *Dynus* diversa facit. Cum enim
de eo, quod dolo vi, metu, & promitti-
tur, servando posuisset objectionem,
ejus solvendæ causa, malum promif-
sum, ait, dupliciter sumitur, uno modo,
quia est super re mala, vel turpi, puta,
homicidio, vel adulterio faciendo, &
illud non expedit observari, quia ipso

jure non tenet. *ff. de pactis. l. Iurigentium.*
§. & generaliter. Item de verbor. oblig. l. ge-
neraliter 26. & l. veluti. 27. l. Stipulatio hoc
modo. l. Si plagii. & instit. de inut. stipul. §.
Quod turpi. Secundo modo dicitur ma-
le promissum, id est, malè conceptum,
quia interveniente dolo, vel metu, &
tunc licet promissio teneat de juris ri-
gore, non expedit tamen fidem servari:
quia promissori datur exceptio. *l. si quis*
cum alter. & l. Si dolo. ff. de verb. obl. Nihil
enim

enim interest, utrum quis non habeat ipso iure actionem, vel possit per exceptionem excludi. *l. Nihil interest. ff. de reg. iur. ite Dynus*, cujus iudicio Regula hæc tantum loquitur de promissionibus quæ ex parte accipientis malitiam seu turpitudinem continent, puta usurarii, latronis, raptoris aut ejuscunque, qui præter jus extorquet promissionem aliquam vel stipulationem ad dandum, vel præstandum, quod non debetur. Quæ explicatio, & distinctio à *Peckio* rejicitur, tanquam imperfecta, & minus explicata. Constat, enim, inquit, stipulationem & promissionem male, hoc est, non servatis solemnibus à jure præscriptis ritibus conceptam etiam ipso jure non subsistere. *l. i. ff. de verb. obl.* & ne in vim quidem nudi pacti valere, quia ubi est defectus in forma, quod non valet, ut agitur, non valet, ut valere potest. Multa igitur sunt male promissa, quæ ipso jure non tenent, naturalem obligationem non inducunt, & nullâ exceptione opus habent. Adde, quod verè dici non potest, male conceptum esse illud, quod interveniente dolo, metuvé factum est. In his *Peckii* verbis æquivocatio latet, per quam non refellitur, sed potius confirmatur *Dyni* distinctio. Hic enim malè promissum non illud vocat, quod omnis juris solennitatibus promittitur, adeoque malitiam legalem seu juridicam continet, sed quod malè moraliter promittitur, & turpitudinem continet saltem ex parte ejus qui dolum facit, vel vim infert: idque consentaneum valdè est intentioni summi Pontificis, à quo nostra regula, cui major de malitia, quæ

mentem inquinat, quàm ea, quæ legem politicam violat, cura esse debet. Quod etiam ipsa illius verba indicant, *Non expedit servari fidem*. Cure enim si ageret de promissis, quorum malitia intrinseca, & inseparabilis est, non potius diceret, *non licet, aut prohibita est observatio?* Nunc autem de iis, quæ absque peccato impleri possunt, non expedire pronunciat, sed exceptione utendum, vel potendam relaxationem, quia non expedit illa servando nutrivè audaciam sceleratorum hominum, qui ex injuria, & violentis pactionibus lucrum quærunt.

Vnde rejiciendum quoque simpliciter est, quod *Peckius* vult, verba *non expedit*, perinde accipienda esse, ac si diceretur, *non est necessarium, imò non licitum*. Quàmvis enim alicubi ita sumantur, hoc loco tamen in propria significatione sumenda sunt, ne intentio regulæ, & Pontificis evertatur.

II. Igitur Regulæ doctrina Theologiæ Christianæ consentanea hæc est. Sicut in malis promissis, quorum objecta intrinsecè, ac per se mala sunt, illicitum est servare fidem, cum nullam obligationem inducere possint; ita in iis promissis, quorum modus, & causa inductiva peccat, & à parte illius cui trunt, turpitudinem continent, non est expediens, ut servetur fides. Non expediens dico, ipsis promittentibus, quia per observationem damnum patiuntur in bonis suis. Non illis, quibus promissio fit, quia ad similia abtentanda alliciuntur. Non Reip. quia ipsius bonus ordo, & tranquillitas læditur, leges convelluntur, subditi turbantur, malorum

hominum numerus crescit, insidia, & odia foventur, Magistratus, & Iudicum autoritas minuitur. Denique malorum omnium impunitas confirmatur.

Quamobrem & Regulæ hujus, & Isidori saluberrima suasio attendenda est. In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto. muta decretum: quod incautè voluisti, ne facias. Impia enim est promissio, quæ scelere adim-

pletur. 22. q. 4. c. 5. ubi Glossa breviter. Aliud in malis promissis, aliud in male promissis: primum non est servandum, secundum sic. Caietan. latè in 2. 2. q. 80. art. 1. Less. c. 18. Dub. 3. c. 17. Dub. 6. Navarr. c. 12. n. 15. vers. 16. Tholo. l. 21. c. 2. n. 3. Sayrus in clave l. 5. c. 6. 2. 2. & c. 7. n. 2. Corarr. in c. Quamvis pactum. Part. 1. §. 6. n. 6. Suarez. 11. de relig. l. 2. de iuram. c. 14. Escobar. Tract. 3. Exam. 3. c. 1. n. 4. & sequ.

REGVLA LXX.

In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.

QVia duæ partes Regulæ sunt, una in alternativis electio debitoris est. Altera sufficit alterum adimpleri, dividimus & separatim explicabimus.

§. 1. *In alternativis debitoris electio est.*

I. **S**umpta est ex l. plerumque v. ult. ff. de iure dot. l. Si in emptione. 34. l. Si ita. 25. ff. de contrah. empt. l. Si quis pen. C. de condict. indeb. Insti. de adition. Exempla passim obvia sunt. 1. Si à principe duo beneficia promissa sunt tibi, non tuum, sed ipsius erit, utrum potius dare velit. 2. Si quis vinum, vel frumentum in solutionem exigat, debitoris est alterutrum dare. 3. Si testator servum, vel pecuniam legaverit, hæredi, liberum relinquitur, stichum dare, vel plutum. 4. Si ex tribus filiabus unam

tibi in matrimonium Cajus promiserit, illa, quam dedit, contentus eris. 5. Si bovem vel arietem debeo, ait Caramuel in Theol. fundam. n. 619. arbitrii mei est, nunc bovem, nunc arietem præstare. Solo arbitrio, & voluntate mutare licet. l. Eum, qui. ff. de verb. oblig. Horum, & similium ratio est, quia nisi electio permetteretur debitori, ejus qui offert, vel proponit, voluntas nullum effectum haberet, sublata nimirum optione, quæ in beneficio includitur. l. Cum quid. ff. si certum petatur. D. ennas in Reg. 235.

II. Alternativarum propositionum quatuor genera sunt, ad quæ alia omnia referantur.

1. Est personarum, cum inter plures personas alternatio fit, de qua in l. Cum quidam. C. de verb. signif.

2. Rerum, cum inter plures res, ut in di-

in dicta l. §. Sin autem. l. Cum res. §. sed si Stichus ff. de legat. 1.

3. Locorum, cum inter diversa loca, ut in §. Non inique l. 3. ff. de eo, quod certo loco dari oport. bit.

4. Temporum, cum inter plura tempora electionem damus. l. Si ita stipulatus 109. de verb. oblig. Has species totidem mixtæ consequuntur, ut si cum personis locum, cum loco tempus conjungas, vel alio quolibet modo, etiam trimembri conjunctione consocias. v. g. Dico Romæ hastam ultimo die anni currentis.

III. Amplia 1. Vt quæ facultas Titio competit faciendi electionem, transeat ad ipsius hæredes, pariterque ad hæredes legatarii, & similia. l. Si stipulatus fuerim. 76. ff. de verb. obl. Illud ff. de optione legata. Limitatur tamen in legato alternativo, quando altera ipsius pars conditionalis fuerit. Tunc enim si pendente conditione legatarius deceat, sicuti nec legatum, ita neque electio ad hæredem perveniet. Everh. in h. A natura alternativa. Roman. singulari §. Barb. hic.

Amplia 2. Vt destructa una parte alternationis, altera debitori obveniat, ita ut vel eam quæ superest, vel quæ perempta est, æstimationem percipiat. Ita DD. ad l. Cum res. 47. v. sed si Stichus. & V. Qua ratione. ff. de legat. 1. Dummodo ita se habeant partes alternationis, ut neutra ab altera necessariò dependeat: nec una magis principaliter promissa aut proposita sit.

Amplia 3. Vt etiam facta semel ele-

ctione, licitum debitori sit, variare quoties voluerit. l. Eum qui. 138. §. 1. de verb. oblig. l. qui ex pluribus. ff. eod. & consentiunt ibidem Interpretes: adeo ut ne litis quidem contestatio istam mutantæ voluntatis facultatem adimat. Cum purè stipulatus es, ait Venuleius ad l. eum qui certarum. §. 1. de verb. oblig. illud aut illud dari, licebit tibi, quoties volueris, mutare voluntatem in eo, quod præstaturus sis.

Amplia 4. Vt si fortè per errorem utrumque solverit debitor, liceat illi repetere, quod placuerit. l. pen. C. de cond. indeb. quia ut Fulgosius existimat, conditio indebiti est quasi restitutio in priorem statum. Sicut ergò ante errorem, ita post illum quoque liberam electionem habet.

Amplia 5. Ad res spirituales, ejusmodi est matrimonium. Nam si promiseris Cassandræ aut matrimonium, aut certam pecuniæ summam, facies utrumlibet, & si pœnituerit pecuniam dedisse, capies uxorem: & si uxorem acceperis, etiam subsecuta copula, ac consequenter matrimonio (secundùm antiquos Canones, c. de illis. de conditio oppos. hodie correctos per Concil. Trid. Sess. 24. c. 1.) adhuc manere potestatem eligendi alteram partem dicit Peckius. Nam facultas eligendi non tollitur per commixtionem subsecutam, cum id nullo jure caveatur. Alber. in diction. suo ad v. Matrimonium, quinto. Licet enim copula faciat de sponsalibus conditionatis sponsalia pura, eaque purificata in matrimonium transire.

6. de

c. De illis, de condit. appof. non tamen admittit facultatem eligendi alterum ex alternativè promissis, cum id nusquam in legibus aut sacris canonibus expressum sit: quod tanquam valdè singulare commendat. *D. Præses in loc. legalibus. Loco, à natura alternativorum. Ita Petrus Pechius,* quam verè ac solidè nostri instituti non est hoc loco discutere. Legi potest *Thom. Sanch. l. 1. de matrim. disp. 26.*

IV. *Limita 1.* In alternativis actionum in quibus electio creditoris est, ut actione, quâ voluerit, experiat. *l. Si servus. 108. §. Cum homo. ff. de legatis l. Ratio est,* quia si debitori electio relinqueretur, nunquam finem suum actor consequi posset, impediendo reo litem, ex qua damnum metuit. Pari modo, si quis promittat certo tempore solvere, aut pignus dare, ad creditorem spectare electionem DD. volunt. Nam si electionem debitor habeat, poterit fieri, ut nunquam solvat, sed pignus dando suspendat expectationem creditorem. Hoc tamen non videtur ita universale, ut nulla exceptio detur.

Limita 2. In alternativa poenarum, quarum electio penes Iudicem manet, nisi aliud exprimat. Hic enim non de rei, sed juris favore agitur, nec obscurum est, datâ reo electione minorem ab illa poenam semper præferendam esse. *c. Quoniam frequenter. §. ult. ut lite non contest. l. 1. c. de his, qui latrones. Dixi nisi aliud exprimat Iudex.* Nam si ad ipsum reum verba dirigat, dicendo v. g. solvat 1000. aureos, vel urbe excedat, liberum reo erit alterutrum facere.

Limita 3. In alternativis personarum, inter quas prærogativa ordinis, &

affectionis est. Tunc enim ordo literæ servatur. *l. Cum pater. ff. de legatis ff. 1. Molina de primog. l. 1. c. 6. n. 7.* Hinc in substitutionibus filius filiæ præferetur, quamvis hæc multum annis superaret. Idem valet in testamento si ponatur, substituo Cajum, vel Gracchum, præferetur enim Cajus. *l. 11. Cum pater.*

Limita 4. Quoties lex, aut mens disponentis, aut materia subiecta aliud suadet. *l. Generaliter. c. de institut. & substitut. l. Lucius 2 ff. de hered. instit. Socinus lauson, & alii.* Maximè si ex opposito timenda sit iniquitas aliqua. *V. Barb. hic.*

Limita 5. In alternativa locorum. Romæ solvam, vel Neapoli dicit debitor: creditoris erit determinare locum solutionis. Interest enim ipsius, ut absque incommodo, & damno quod sibi debetur, accipiat. *l. 2. §. Scævola. ff. de rei, quod certo loco.* Idem valet in alternativa mixta rerum, & locorum. Quod tamen ita temperandum, ut ante petitionem creditoris debitori electio relinqueretur. *l. 3. ff. de eo, quod certo loco. V. Camb. hic.*

Addunt aliqui alternativas in legatis, & beneficiis principum, sed istæ limitationes per alias limitationes declarandæ, & firmandæ sunt, ut satis videatur lectoris iudicio, & discretioni relinquere. *Barb. in Tract. de dictiomb. n. 363. V. Everhard. in loco, à natura alternativorum. Vivianum in Comm. huius Reg. Duen. in Regula 235. Damasus in Reg. 6. Negusant. Tr. de pign. Part. 5. Memb.*

I. Damasus in Regula 6.

§. 2. Suf.

§. 2. Sufficit alterum adimpleri.

Defumitur ex l. In eo, §. ubi verba ff. hoc tit. l. si heredi. v. disunct. ff. de cond. dir. inst. l. cum pupill. 78. de cond. & demonstr. eod. Institur. de heredum inst. §. pan. Sic enim absque alio quolibet, bene servatur verborum proprietas, & natura ejusdem dispositionis, quemadmodum exempla docent. Promitto domum, vel agrum, & similia passim obvia.

Fallit tamen 1. In alternativa personarum, quæ in conjunctivam resolvitur. l. 4. C. de verb. sign. ubi generaliter dicitur, cum plures in testamento nominantur, non disjunctivè, sed copulativè numerandos, ut nemo fraudetur à commodo testatoris. Disjunctiva enim in ejusmodi eventu in copulativam definit, quemadmodum in aliis quoque. ex g. in interdicto Quod vi, aut clam. Aut præpositio pro Et inanis simè posita est. v. Barb. Tract. de diction. n. 46.

Fallit 2. Quando alternativa concipitur per particulam, seu, quæ non tam distinguendi, quàm copulandi causa videtur adjecta. l. Si quis ita. 32. v.

Hoc enim. ff. de auro, & arg. legato, ubi Gloss. & DD. Hoc tamen in multis non habet locum. Unde ex materia subjecta, & adjunctis formandum erit judicium, an disjunctivè, an copulativè accipienda sit.

Fallit 3. Quando alternativa ponitur inter genus, & speciem partem & totum. l. apè 53. v. Et cum diximus ff. de verb. signif. Et tradit Barr. communiter receptus in l. i. ff. de reb. dubiis. Everh. in lo. à natura alternativ. limit 3.

Fallit 4. In alternativa legum, ut sunt illa, quibus in progressu suorum responforum Iuriconsulci utuntur, vel quibus aliquando leges, & statuta concipiuntur, quæ sanè, nisi incommoda velimus, necessario oportet interdum copulativè accipere, ut patet ex l. pen. v. quemadm. C. de verb. sign. l. ubicunque. ff. de fideiussorib. l. Quintus. v. planè iun. Gloss. v. qua. ff. de aur. & arg. leg. cum aliis, de quorum intellectu Cynus, Barr. & alii.

Fallit 5. Vbi materia subjecta, scopus & finis, aliaque adjuncta contrarium sequi compellunt. Quæ in re certam regulam frustra quæris, quando per judicium discretionis, ea, in quibus litera deficit, supplenda sunt. v. Barb. hic. & in Axiomate 32. num. 1.

REGVLA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

I. Sumitur ex l. Inventus nemo. §. cui enim à possessione dejectus actionem habet, adeoque multò fortius, dum ponit in eo, qui legitime præscribit. Is possidet, exceptionem. c. placuit. nr. §. Post.

B b

est.

test. 16. q. 3. Item conductor soli ad superficiem ad non modicum tempus habet utilem rei vendicationem, etiam contra dominum, & multò magis exceptionem. l. 1. §. quod ait. ff. De superf. Præterea quicunq; habet dominium utile, potest agere contra dominum utili actione in rem: & propterea si ab eo conveniatur, exceptionem. *Dynus.*

Rationem aliqui dant, quia ex eodem fonte manet actio & exceptio, cum vel de acquirendo, vel de conservando quilibet laboret. Quod non videtur solidum fundamentum, aliàs cuiusq; exceptio, etiam actio conveniret, quod falsum esse patet ex l. si in area tua ff. de condict. indeb. Hanc igitur *Pescius* præfert, quia favorabilior est exceptio quàm actio, defensio quàm impugnatio, ac proinde magis necessaria. l. Scientiam. ff. ad l. Aquiliam. Et cui licet quod plus est, scilicet agere, licet etiam, quod minus est, videlicet defendere. *V. Marantam Part. 6. §. secundus actus. n. 329.*

II. Amplia 1. Ut locum habeat non tantùm in persona principali, sed etiam in procuratore ipsius, quia ut *Panorm. ad c. Accedens. de procur.* dicit, Procurator datus ad agendum per consequentiam videtur habere mandatum ad excipiendum, ac defendendum. Non enim admittitur procurator, nisi spondeat, se dominum defendere velle, & respondere quando conventus fuerit. l. un. c. de satisfando.

Amplia 2. Ut valeat, quamvis exceptio odiosa sit, modo jus illi suffragetur. Nam cui condictio in debiti conceditur, multò magis illi concedenda ex-

ceptio est. l. Si non fortem. §. indebitum. ff. de cond. indebiti, etiam si ex dolo malo nascatur exceptio, cuius doli allegatio admodum odiosa est, sed quia jus commune illi favet, admittitur. *V. Samb. l. 10. de matr. D. 9. n. 23.*

Amplia 3. Ut etiam repetitio detur illi, cui exceptio datur. Causa enim repetitionis æquè favorabilis, vel favorabilior est, quemadmodum fufius explicat. *Imola, in tit. ff. de solū. matr.* Unde si repeto, quod meum est, fructus à tempore moræ commissæ computantur. l. Videamus. ff. de usuris. Idem non fiet petenti tantùm, quod mihi debetur. l. Cum fundus. ff. si certum pet.

III. Obj. 1. Non una causa est, non reddendi depositum petenti. *Iustinianus* tamen sublata omni mora, & exceptione reddi mandat, quando cunq; petitur. l. pen. c. depositi. Idem in c. Bona fides. de deposito. insinuat. Vbi, *DD.* notant compensationi locum non esse in deposito, ut in aliis contractibus, quantumcunq; causa compensationis, & deductionis liquida sit. *V. Azor III. l. 7. de depos. c. 8. q. 3.*

R. Hoc singulare & ex natura depositi sumptum est, ne bona fides inter contrahentes in diffidentiam convertatur. Manet nihilominus depositario jus suum, ut reddito deposito conveniat deponentem de eo quod sua interest. Idem fit in re conducta. Nam si prætentat conductor se esse dominum rei conductæ, non juvabitur exceptione contra locatorem. l. Si quis conditionis. c. de locato. *V. Part. 2. summa tit. 8. §. 1. & seq.*

Obj.

Obj. 2. Rem alienam possidenti, quando possessione spoliatus est, actio datur: si tamen ab alio conventus neget se possidere, exceptionem non habet. *l. fin. ff. de reivindicat.*

R. Ut exceptionem non habeat, meretur ipsius perfidia, quâ negat se possidere, cum possideat: adeoque in adversarium transfertur possessio. Simili modo socius, focer, & fidejussor amittunt beneficium, ne in plus quam facere possint, conveniantur, quando societatem se contraxisse vel dotem promississe, vel fidem dedisse negant. *l. Sed hoc ita. ff. de re iud.*

Obj. 3. Contra eum, qui electus, confirmatus, & possessionem adeptus est, non admittitur exceptio: contra eundem tamen admittitur accusatio. *c. Constitutus. 23. de appell. c. Post electionem. de concess. praben.*

Aliqui dicunt, non admitti exceptio-

nem, quia factâ electione, & confirmatione ex plurium consensu, contra minorem partem, quæ nihil reclamavit, præsumptio oritur, quod electionem, confirmationem tacite approbavit. Verum hoc juramento contrario elidî posset. Igitur melius

R. Constitutionem illam in favorem ecclesiarum, & monasteriorum conceptam esse, rejectamque exceptionem, ne diu vacarent prælaturæ cum damno multorum: & simul ut mobilibus, & inquietis ingeniis terminus poneretur, ultra quem mutationes, & novationes suas non protenderent. *Alexand. Consil. 62. Federic. de Senis Consil. 90. n. 3. Palat. in repetit. c. Per vestras. de donat. inter vir & ux. §. 8. n. 2. Surdus Consil. 377. n. 45. Scacc. de iudic. l. 2. c. 2. n. 121. Cardin. Tusch. lit. E. Concl. 374. Barbosa. hic. & in Axiom. 85.*

REGVLA LXXII.

Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum.

I. **O** biter intuenti gemina, imò eadem videtur cum superius explicata Regula 68. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*: Sed non modica differentia est, quia hæc substitutionem concedit, per quam alienâ opera utimur, illa verò omne id, quod per alios factitamus, nobis ascribendum esse declarat: alienæ falcis meisis nostra fit, nobis illa serit, nobis metit. Qui mandat solvi, ipse videtur solvere.

l. cum iussu. ff. de solut. Quod ab alio nomine alterius eo præfente datur, ab ipso datum intelligitur. *l. Quod statu liberis. ff. de donat. causa mort.* Si tibi debitorem meum iussero dare pecuniam, obligaris mihi, quamvis nummos meos non acceperis. *l. Singularia. ff. si certum petatur.* In judiciis eadem videas contingere. Nam si procurator juret in animam domini tui, perinde est,

Bb 2 ac si

ac si iuraverit dominus ipse. *Clem. 1. de iureiur.* Item confessioni fides datur, si quis vel per se, vel per advocatum suum in libello supplice aliquid asserit, sibi nocivum. Neque in delictis aliud servatur: quemadmodum exempla docent in *Reg. 68.* superius allata. *V. Bern. Diaz. in Reg. 204.*

II. Verbum, *facit*, notant DD. referri ad homines quidem, quibus mandamus, dicto, vel scripto, extendi ad bruta tamen, quibus utimur ad exequendum cogitata. Quid enim interfit, servum, an bovem instiges ad irruendum in hominem, & opprimendum? *l. Item Mela. §. item cum eo. ff. Ad l. Aquil. l. 1. ff. si quadrup. paup. fecisse dicatur.* Præterea mandasse censetur etiam, qui verbis enunciatis vindictam significantibus usus est, *Bald. ad l. 1. C. de serv. fugit. ita, ut animus obligandi adsit. Gaill. de pace p. bl. obs. 1.* In criminalibus autem & atrocibus generaliter obtinet, ut qui occasionem dedit, damnum dedisse videatur. *l. is qui ff. Mandati. & l. Nihil interest. ad l. Cornel. de Siciariis eod.* Unde inferitur, si dominus ab aliquo injuria affectus, famulo vel filio dicat, abi, nec revertere, donec aliquid novi de injuria mihi illata intellexero, homicidio per illos patrato, rectè præsumi, mandatum habuisse. *Bart. ad l. si quid mihi. §. pen. ff. de acquir. hered. Et Angelus se vidisse testatur Florentiæ quendam dominum propterea capite truncatū esse. Multo magis igitur, qui prohibere cum posset, non prohibuit, præsertim si conjunctæ minæ fuerint. Felinus ad c. Petrus de homic. Menoch. de arbitrar. Casu 360. & 373. Duenas in Reg. 308. Caramuel in Theolog. fundam. n. 662.*

III. *Amplia 1.* Sive is, cui mandatum est, per se, sive per alium exequatur. Mandavi Cajo, ut occideret Sejum: Cajo mandavit Stichus, qui executus est. Mecum Cajo, & Stichus homicidii reus est. *l. Si eo ff. Quod vi, aut clam. c. Henricus presb. de cler. pugn. in duello.* Quin etiam teneri nuncium, qui sciens attulit literas de homicidio perpetrando DD. tradunt apud *Damboud. in Praxi c. 70. n. 8. & seq.*

Amplia 2. Quamvis mandati fines excesserit is, cui mandasti. In contractibus quidem ultra mandatum nemoteneretur. *l. diligenter. ff. Mandati.* in criminalibus verò aliter judicamus. Vel enim in potestate mandatarii est, servare fines mandati, vel non. Si in potestate est, nec tamè servavit, à pœna ordinaria mandans liber est. Si autem in ipsius potestate non est, ut si mandatum sit gladio vulnerare, cum vulnere mensura non detur, sitque mors secuta, tam mandans, quam mandatarius tenebitur. *c. fin. de homic.* Similiter irregularis sit, qui mandavit aliquem verberari, licet expressè prohibuerit, ne occidatur, vel mutiletur, si mandati fines excesserit mandatarius, quia mandato culpam commisit, & cogitare debuit, id posse evenire. *Barb. ad c. Is qui de homic.*

Amplia 3. Licet non statim, sed longo intervallo post mandatum effectus sequatur. Nam quando certum tempus præscriptum non est, durare mandatum censetur usque ad revocationem tacitam, vel expressam. *Panorm. ad c. Ad audientiam. de homic.*

Amplia 4. Ut obligetur mandans, licet ex quacunque causa is, cui mandatum

sum est, non obligetur, sed excusetur à culpa, & poena, ut accidere potest in furto, aut seruo rerum imperito. Pupillus etiam institor obligat institutoria actione (quamvis ipse non obligetur) eum, qui se præposuit: & sibi imputare debet, qui non præposuit alium. *Et si quis ff. de institutoria actione.* Pari modo innocens mandatarii non excusat mandantem *l. i. ff. de eo, per quem factum est.* Nec operariorum, qui ex mandato domini in alieno agro mement, ignorantes alienum esse, sed omnis obligatio, & reatus in dominum, qui mandavit, derivatur. *V. Silv. v. mandatum.*

Amplia 5. Etiam pro rebus spiritualibus, ut ad *Reg. 65.* annotavimus. Nam parvuli in baptismo per paternos abrenunciant Diabolo, & se se Deo consecranti matrimonium per procuratores contrahitur, *Bellarmin. l. i. de matrimonio. c. 5.* eleemosynæ per alios dantur, *Silvan. v. Eleemosyna n. 4.* multa Ecclesiæ ministeria per substitutos licet, & ritè peraguntur, pro se invicem Christi fideles orant, ita, ut utrisque sua meriti, ac præmii salva portio sit. *V. Chrysof. hom. Quod dispensatio rerum tuar. pro te ipsum exequenda est. S. Thom. 2. 2. Q. 83. art. 2.*

IV. Obj. 1. In *l. Item si obstetrix 9. ff. Ad l. Aquiliam. Labeo* ita distinguit. Si obstetrix medicamentum dederit, mortis inferendæ causa, suis manibus videtur occidisse: si verò dedit, ut sibi ipsi mulier offerret, in factum actio datur. Magis enim causam mortis præstitit, quàm occidit.

R. Hæc sententia, nisi benigna interpretatione molliatur, dura est, non

vera, nec tam *Labeonis*, quàm *Labeonis*, vel errantis dicenda. Vnde ad illius dilucidationem nihil idoneum à *Peckio* affertur: *Hippol.* autem fatetur, se solutionem invenire non posse. Neque *Gotofr.* de ea salvanda laborat, sed prudenter annotat. *Interim sciamus, alibi dici, nihil interesse, quis occidat, an mortis causam præbeat. l. 15. de sicariis.* Cui dicto acquiescimus.

Obj. 2. *Ulpianus* dicit. Si mandavero tibi, ut opus fieri juberis, & in ea re mihi parueris, mecum, non tecum erit actio. *l. Aut qui aliter. §. fin. ff. quod vi, aut clam:* quibus verbis clarè indicatur, mandantis, & mandatarii diversam rationem esse.

R. Aliud est facere, aliud dicere, quod faciendum sit. In casu *Ulpiani* nihil facit is, cui denunciandum alteri mandatum fuit relictum: Ac proinde mirum non est, quòd actio adversus ipsum non detur: quandoquidem mera quasi vox est, indicans alterius voluntatem. Et hoc in contractibus. In delictis enim non excusabitur etiam talis denunciator, si absque ignorantia & dolo, cooperatur alterius facinori aut delicto. *Angel. ad. citat. §. final. Navarr. c. 11. n. 15. Em. Sa. v. Peccatum. n. 9.*

Obj. 3. Qui in Collegio pistorum sunt, à tutelis excusantur, si modò per semet pistrinum exercent. *l. fin. ff. de excusationib. tutor.* Neque alii fisci. Vectigalium redemptores à muneribus civilibus, ac tutelis excusantur magis, quàm qui præsentis negotium exercent. *l. In honorib. ff. de vacatione. & excusatione munerum.* Ergo non proinde est, per se aliquid, vel per alium facere.

Bb 3

R. Quan-

R. Quando ipsius personæ opus à lege determinatur, & excluditur alienum, non est præsentis Regulæ locus: ut possimus dicere. *Quod quis per alium facit, &c.* Cujus rei exempla in civilibus, & spiritualibus plurima sunt, ut ex dictis liquet. In illis etiam ubi non excluditur substitutio, consultus, & ad meritum utilius est suo ingenio, & exercitio actionem perficere. Quod eleganter S. Chrysostr. explicat. in hom. citat.

Quod dispensatio, &c. Effice ut tu tuarum rerum dispensator sis. Sanctè, piè, & justè faciunt, qui per alios infirmos visitant, nudes vestiunt, esurientes pascent, captivos consolantur: sed majora illi præmia consequuntur, qui hæc ipsi faciunt, cum possunt, id quod ex historia evangelica de Regula, qui ipse ad dominum venit, & illo, qui alium ad eum misit, apparet.

REGVLA LXXIII.

Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

I. Eodem sensu dicitur, Non tollit factum, quod impedit faciendum. *l. in ambiguis. §. Non est novum. ff. de Re. Jur. l. si servum quis. §. ult. de acquir. hered.* Exempla non desunt, uti nec exceptiones. 1. Si matrimonium contrahit, quis dum sanæ mentis est, si superveniat amentia, non retractat illud, aut dissolvit. *l. Patre furioso. ff. Qui sunt sui, vel alieni iuris.* Idem dicendum, si superveniat affinitas, vel cognatio spiritualis. *c. penult. & ult. de eo, qui cognovit consanguineam.* 2. Non vitiatur testamentum furiosi, qui cum sibi constaret, illud condidit. *l. Is cui. ff. de testamentis.* 3. Præsentatus ad ecclesiam à legitimo patrono, non remouetur, licet jure patronatus postea spoliatur patronus. *c. Consultationib. de iur. patronatus.* 4. Si causa committatur Canonico, qui postmodum Canonicus esse desinat, non perit propterea com-

missio ejusdem. *Bald. ad l. Generaliter. C. de ep. & cler. §. Iudex datus, in officio suo persistit, quamvis mente excidat, quia nimirum ab initio legitime institutus fuit juxta hanc Regulam.*

II. Amplia 1. Ut valeat etiam in eo, quod ab actu illo legitime facto pendet. Nam sicuti legitime initum matrimonium non vitiatur à superveniente impedimento, ratione cujus inchoari non potuisset, ita nec patria potestas cessat, nec commodum acquisitionis eorum, quæ filius acquirit: sed hæc omnia patri manent, sicuti prius erant. *l. furioso patre. ff. de his, qui sunt sui, vel al. iur.*

Amplia 2. Quamvis causa actus legitime facti cesset per casum supervenientem. Nam si post donationem liberi nascantur donatori, legitime facta donatio non revocatur; neque iisdem mortuis retractatur. *l. si unquam. C. de*

revoc.

truo. dom. Item si mater liberorum tutelam semel amiserit propter secundas nuptias, non redit ad eandem, licet secundum matrimonii vir è vivis decedat. *Auth. Ut matri, & avia. C. quando mulier officio tut. fungatur.*

Amplia 3. Ad actum, qui in se non est consummatus, & perfectus, sed pro perfecto habetur jure aliquo singulari. Unde si argentum testamento legatum sit, & quoad formam sit inceptum tantum, ex superveniente casu, quo per rerum naturam pro perfecto haberi nequeat, legatum nihilominus manebit. *l. Etsi non sint. ff. de aur. & arg. legato. v. Bartol. in l. §. Etsi placeat. ff. de iis, qui sunt sui. Burat. decis. 106. n. 11. Covarr. in c. Quavis pactum. part. 2. §. 1. n. 7. Tiraquell. Tract. C. ffante causa. limit. 12. n. 15. Decium in Reg. 1. C. 85. §. Non est novum.*

III. Obj. 1. Qui ad prælaturam ecclesiasticam legitime electus est, si ante confirmationem orta lite de calumnia juret, & postea duas contrarias positiones objectionibus oppositis præstet, tanquam perjurus ab electione & beneficio dejicitur. *c. fin. de iur. iur. in 6. ergo retractatur*, quod legitime factum erat, ex casu superveniente, à quo non poterat inchoari. Neque enim si perjurium antecessisset, eligi poterat.

R. Per *quis* factum legitimum retractari ex casu superveniente in odium ejus, cujus culpa calus evenit. Is enim cum poena dignus sit, non honore, hujus regulæ beneficio se juvare nequit: & publicus ecclesiæ favor postulat, impuros & nefarios pastores magno a-

liorum scandalonon toferari. Sed hujus responsi vis major est, quam expediat. Nam si propter delictum, retractari potest aut debet, quod legitime factum est, cur beneficio suo non privatur statim concubinarius, cur animarum cura relinquatur illi, qui scandalosè vivit: cur non privatur hæreditate, vel legato, qui illo per luxum abutitur?

Dicendum igitur in casu proposito non retractari electionem legitime factam, sed propter perjurii crimen justè negari confirmationem, quæ quasi sigillum electionis est, sine quo nullum effectum electio habet.

Obj. 2. Si qua res utiliter in stipulationem deducta sit, postea verò cultui divino addicatur, & sacra fiat, à quo casu inchoari stipulatio non potuit, obligatio extinguitur, adeoque retractatur, quod factum legitime erat.

R. Quamdiu res promissa, & nondum tradita est, jus imperfectum habet stipulatus, & mutationi subjacet. Si ergo vel pereat interim, vel alteri tradatur, vel per consecrationem de genere in genus transeat, jus illud inchoatum non perficitur, nec effectus consequitur expectatus. Nihil igitur tunc retractatur, quia non tam aliquid tractatum, quàm inchoatum fuit.

Obj. 3. Multa legum testimonia Regulæ huic directè contraria reperiuntur, quibus nihil in toto iure incertius, & magis perplexum esse *Perckius* ait. Nobis tamen nihil obesse pot-

possunt, quinon Imperatorum, sed Pontificum placita & decreta complectimur. Itaque si cum Regula nostra non concordant, pro non dictis habemus, & juris profani studiosis commendamus. *V. Surd. Consil. 12 §. n. 11. Iean. Bapt. Costa. de facti scien. & ignor Vinc. Ca roc. decis. 58 n. 13. Barbosa. Axiom. 93.*

REGULA LXXIV.

Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

I. **A** Particulari ductam consequen iam claudicare jam adolecentes norunt, qui in primo limine dialectices consistunt: sit nihilominus, nescio quo corrupti appetitus impetu, ut cum Martha contra Mariæ quietem conqueramur, nihil aliud audituri, quam *turbaris nimium*. Soli Iosepho polymita convenit, solius Davidis in medio fratrum suorum regalis unctio est. Nec alia exempla desunt nobis. 1. Si speciali privilegio, ait *Peckius*, Regi nostro indultum sit, ut electioni Prælati se se admiscere, eidemque interesse possit, ne fortè seditio aliqua oriatur, hoc ab aliis regibus, & principibus in exemplum trahi non debet. 2. Quod *Zacharias pontifex* confirmat, scribens Bonifacio Moguntino Archiepiscopo. Ea hora, inquit, quæ te de præsentis sæculo migraturum cognoveris, præsentibus cunctis tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus. *c. Petisti 7 q. 1.* 3. Si ex gratia speciali Pontifex alicui concessit, ut possit habere plura beneficia curata, vel per procuratorem visitationem facere, vel absque residentia percipere omnes redditus beneficii, hoc ab aliis trahi non debet in exemplum, sed jus commune servari, quod est per omnia supradictis contrarium. Item si concessit alicui, quod non teneatur subire munera publica, vel solvere decimas, quia fortè in aliqua re prosperè, ac virtuosè se gessit, hoc similiter trahi non debet in exemplum sed jus commune servari. Et hoc est quod vult regula, probaturque *ff. de Constitut. l. 1. v. si plane ex his & c. de Decur. l. Neque Dorotheum. & l. Nullus lib. 10. & de ep. & cler. l. quomam. Ita Dynus.*

II. Ratio verò manifesta est. Privilegia, & dispensationes non conceduntur absque prævia causæ discussione. *Gloss. recepta in c. Requiritur. §. Nisi rigor. l. q. 7. & ius singulare constituunt. l. in singulare. ff. de legib.* Vnde sequitur, iudicium, & decisionem superioris non nisi ad præsentem casum respicere, & satisfacere illi solum, qui hic, & nunc petit exemptionem. Cum ergo per eiusmodi concessionem non commune jus, sed particulare, seu singulare constituatur, regulæ nostræ observantia necessaria est, ut non trahatur in exemplum seu

consequentiam, quod uni alicui gratiosè concessum est. Reliqua v. in Reg. superius explicata 7. & 28. & qua tradunt alexand. in l. Non tantum. ff. de re iudic.

Iason in l. ult. à num. 38. ff. de Constitut. Princip. Rebuff. in Praxi. tit. de Differ. inter rescript & privileg. n. 6. & seqq. Bronchorst. Centur. 4. Assert. 90.

REGVLA LXXV.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præsstitutum servare recusat.

L Via in omni contractu tacite inclusa est hæc conditio, *Modò altera pars non fefellerit*, consequitur, ut una parte non servante fidem, ad eandem servandam altera non teneatur. Quemadmodum in simili dicimus. Frustra implorat auxilium legis, qui in eam committit. l. Auxilium. ff. de minor. b. Item ex eo, quòd quis subvertere nititur, lucrum non consequitur. Reg. 38. supra.

Exempla *Glossæ* sunt, 1. Sicut Vassallus debet fidelitatem domino suo, ita dominus debet esse fidelis vasallo: & sicut vasallus privatur feudo propter infidelitatem, commissam in dominum, ita dominus privatur superioritate. Et hoc quotidie fit. Nam quando dominus suppressit vasallum, princeps eximit vasallum à jurisdictione domini. c. de forma. 22. q. 5. Hocposito si princeps aut dominus opprimendo non servavit fidem, frustra exigit, ut ego servem.

2. Non astringitur quis juramento ad implendum, quod juravit, si ab alia parte non impletur, cuius respectu præstitit juramentum. c. Per venit. de iur. reur.

3. Quandounque pacto inito ab eius observatione, ac fide unus pacitenti um deficit, in altero perit obligatio. l. Cum proponas. C. de pactis. Quod confirmatur ex c. Si a subiectus. Dist. 95. ubi aurea hæc s. Hieronymi verba. Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent clericos quasi clericos, ut & ipsis à clericis quasi episcopis honor deferatur. Scitum est illud Domitii Oratoris. Cur ego te habeam, ut principem, cum tu me non habeas, ut senatorem? Quod Aaron. & filios ejus, hoc episcopum, & presbyteros esse noverimus.

II. *Amplia 1.* Quamvis in minimo fides læta sit: quemadmodum, si dissolutione nummus desit, venditor retinere rem venditam potest. l. Iulianus. §. offerris ff. de alt. empti. nisi fortè præsumi queat ad istiusmodi minutiam partes noluisse attendere.

Amplia 2. Licet adversarius per equipollens satisfacere vellet, quemadmodum eleganter explicat. Iason. l. 3. conf. 41. Conventum est, ex. gr. ut emptor deponeret pecuniam apud Titium, ipse verò deponit apud alium æquè

Cc ido.

Idoneum, à pacto deficit, quia personam ab utraque parte electam, non potest mutare invita altera.

Amplia 3. Ut nemo hic privilegium, vel exemptionem quamcunque prætere possit. Non enim, quia clericus, sacerdos, vel etiam episcopus est quisquam, iustitiæ libram contemnere licet, sed in contractu communes leges observare tenetur. *V. Part. 1. sum. tit. 1. §. 4.*

Amplia 4. Ut non obstat clausula, *rato manente pacto pœnam solvendam esse.* Hoc enim quod favorem atinet, nihil prodest ei, qui pactum violat: subauditur enim, nisi culpa adversarii aliquid servandum videatur. *Iason, & Altiatus ad l. Si quis maior. C. de transact.*

Amplia 5. Etiam si quis ex causa necessaria defecerit ab observatione, à mora quidem, & pœna excusare necessitas poterit. *l. Si vehenda. §. Idem iuris. ff. ad l. Rhodiam, sed non efficere, ut altera pars maneat obstricta ad servandam promissionem suam.* Usus tamen obtinuit, in contractibus nominatis, ut si ex causa aliqua adimpleri perfectè nequeant, eo modo, quo possunt, veluti cautione præstita perficiantur.

Amplia 6. Ut qui contractum non servavit, non solum ab altera parte nihil exigere possit, sed nec liberationem propriam condicere. Lex enim quæ indebitam pecuniam errore promittentibus liberationis conditionem concedit, vel syngraphæ repetitionem permittit, negat illis, qui ex sua parte contractum non servant. Alioqui in ipsorum potestate esset, invito creditore, quodcumque expedire cerne-

rent, obligationem excutere. *l. Si non. C. de in. & facti ignor. Facilius l. 2. Controv. c. 4.*

III. Obj. 1. Qui cum pupillo sine auctoritate tutoris contrahit, fidem pupillo debet, hic autem vicissim non debet: imò si promisit, impunè renunciare potest. *l. Iulianus. §. Si quis à pupillo. ff. de act. empti.*

R. *Peckius.* Favori ætatis tribui, ut conditionem suam meliorem facere pupilli queant, deteriore facere nequeant: nec propriè fidem frangere, qui quod agunt, non satis intelligunt. Denique imparem conditionem esse, Verùm quò hæc omnia tendant, non video, sed video & objectionem, & illius dilutionem planè impertinentem esse. Nam si majorennis fidem pupillo non servat, à servanda fide liberatur pupillus: Si autem pupillus non servat fidem, vel quia nullam contraxit, vel quia à jure eximitur: eidem quod promisit, non tenetur servare majorennis. Nulla igitur hic diversa ratio, sed pari cum aliis passu ambulant.

Obj. 2. Quamvis inducias una pars violaverit, altera servare debet, ne dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solvat. *l. Innocens. 22. q. 4.*

R. Neque in hoc casu diversitas est. Æquè ut in aliis contractibus unus defectu alterum obligatione liberat: sed consilio, & usu receptum est, ut pars læsa diem conditum præstoletur, quò perfidia alterius partis magis appareat, & efficacius vindicetur. *V. Firminum. Romanum Consil. 52. Menoch. Consil. 156. n. 22. Barb. in Axiom. 98.*

REGVLA LXXVI.

Delictum personæ non debet in detrimentum ecclesiæ redundare.

Quod dicitur, delictum personæ non posse nocere tantum illius ministris, seu officialibus, sed omnino concernit etiam in altissimo gradu collocatos: ut disertè *Alexand. III. in r. 2. de donationib. tradit.* Cum episcopus, & quilibet prælatus ecclesiasticarum rerum sit procurator, non dominus, conditionem ecclesiæ meliorare potest, facere verò deteriore non debet. *Ibidem*, quia episcopus graves donationes ex rebus episcopatus fecerat, eas revocari jubet, ut de jure invalidas, quod fufius explicatum habes in *Part. 2. sum. tit. ult. de alien. rer. eccl.*

Exemplum 1. ex c. Si episcopus. 16. q. 6. Glossa sic proponit. Aliquis episcopus propter grave delictum depositus, & privatus est episcopatu suo, an ideo confiscari debent ecclesiæ bona? *Mime*, quia delictum personæ non debet ecclesiæ obesse. Item si tenebat castrum à rege in feudum, & commisit feloniam, vel proditionem aliquam in regem peccavit, an castrum ad regem redibit? Ne fiat, regula obstat. Eadem ratio in aliis omnibus est. Sive monachus, sive abbas sive clericus injuriam alicui fecit, damnum dedit, possessionem violenter occupavit, ex nullo horum ecclesiæ tenetur, sed unusquisque portabit iniquitatem suam. Quæ enim æquitas pupillum indemnem facit, in tutorum delictis, eadem ecclesiæ bona tuetur contra ministrorum suorum culpas. Ecclesiæ enim in ejusmodi favori-

bus paricum pupillis passu incedit. *l. Orphanotrophos. C. de ep. & cler.*

Hinc prælatus rem ecclesiæ malè alienatam à se à quocunque repetere potest, allegando errorem, & propriam turpitudinem suam, etiam si jurasset se non repetiturum. *Panorm. ad c. Si quis. de reb. eccl. alienandis. Barb. in c. Si quis presbyterorum. eod.*

II. Amplia 1. Quamvis cum Prælato Capitulum consecravit. Neque enim illorum utibus ecclesiastica bona tantum, sed fabricæ simul, & pauperibus addicta sunt, & servare debent. *c. fin. 16. q. 2. c. quatuor. 12. q. 2.* Unde his præjudicium per alios faciendum non est, uti nec posteris, qui in eadem jura successuri sunt.

Amplia 2. Quamvis testator voluisset, ut propter culpam ministrorum ecclesiæ, vel monasterii, alteri loco bona applicarentur. Etenim talis dispositio, & voluntas, ut quælibet alia in favorem ecclesiæ bona sua donantium ipsius ecclesiæ gubernationi, & summo præsidii subiecta est, qui prout expedire viderit, exequetur, & applicabit.

Amplia 3. Ut propter Prælati delictum, ne quidem possessio bonorum ecclesiæ in alium transferatur, quamvis apposita esset clausula constituti: hoc est, quod constituerit, se eam rem nomine emptoris possidere. Non enim penes ipsum, sed ecclesiæ rerum ipsius possessio est: unde nec ipsius morte vacat, sed immota manet in Ecclesiæ, cujus ab initio fuit. *Less. c. 4. dub. 5.*

Amplia 4. Si prælatus in præjudicium ecclesiæ contractus inicit, postquam ab officio remotus est, non admittetur ad testimonium ferendum de istis contractibus, quatenus inde ecclesiæ obesset. *Bald. in l. r. de feudis. c. Cum verò tit. 1. Qui feudum dare poss. Calcanæus Consil. 125.*

III. Obj. 1. In Conc. Africano relato in *c. Placuit. de præscriptionibus*, permittitur alieno episcopo præscriptio loci ad catholicam unionem traducti, si eum repetere triennii spatio proprius episcopus neglexerit. 2. Si episcopus per se, vel procuratorem suum instrumenta in judicio non exhibuerit, nocet hoc delictum ecclesiæ ipso jure, nec aliter, quàm restitutione in integrum adjuvatur. *c. 2. de restit. in integr.* 3. Si feudum ecclesiæ à Rege datum Prælatus suâ culpâ amittat, quamvis eo mortuo ad ecclesiam redeat, fructuum perceptione intermedio tempore caret.

R. Ad hæc & his similia, fieri omnino posse, ut minus quàm optari, & sperari queat, pro fit ecclesiæ, vel monasterio prælatus per omissionem, & negli-

gentiam. Cum enim modi & occasiones lucrandi sint innumerabiles, non facile ullus reperitur, qui ita fixus ad telum sedeat, quin unum alterum vicio cursu prætereuntem non animadvertat. Regula igitur de acquisitis, & damno politico magis, quàm lucri incremento sollicita est.

Obj. 2. In *c. Cum dilectus de vrbis cogn.* cum de castri spoliatione contra Abbatem de Ferentino nobiles quidam exceperissent, præcepit audire probationes illorum Pontifex, quæ si legitimis agnoscerentur, ad restituendum abbas cogeretur. Ecce damnatum non modicum ex delicto Prælati.

Qui re aliena privatur, nullo suo bono privatur, sed ab iniqua possessione liberatur: nec damnus sentire censetur, qui sua culpa patitur, juxta *Reg. 46. infra explicandam*. Deinde in casu citati capitis factâ restitutione, liberum manebat monasterio, de jure suo, si quod in castrum habuit, experiri. *Sanch. in Tom. II. Moral. l. 2. c. 14. Mol. Tract. 2. Disp. 465. Quaranta in summ. Dotalium. V. Alienatio. Barbosa in c. 11. d. 16. q. 4. Damasus in Reg. 32.*

REGULA LXXVII.

Rationi convenit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

I. **P**Ræclare Justinianus Imp. l. un. *c. de caducis tollen. §. 4.* Omnes personas, quibus lucrum per hunc ordinem defertur, eas etiam gravamen, quod ab initio fuerat complexum, omnino sen-

tire (convenit) sive in dando sit constitutum, sive in quibusdam faciendis, vel in modo, vel conditionis implenda gratia, vel alia quacunque via excogitatum. *Neque enim ferendus est is, qui in-*

quum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. Ita Imperator.

II. Exemplum propriè dari posse Dynus autumat in substituto hærede, quia hæreditas honor appellatur, ut ff. de legatis præstantis. l. filium. §. si legata: & propterea succedit in onere, scilicet legatorum, quæ relicta ab instituente videntur legis potestate tacitè reperita à substituto, ut ff. de legatis. l. licet Imperator. Quod in additione confirmatur auctoritate S. Pauli 2. Cor. 1. v. 7. Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationum. S. Bern. in Cantua. O bone Iesu, quot sunt super terram, qui tecum velint habitare in cælo, sed pauci sunt, qui velent tecum sociari in pœnia, & labore? Plura exempla Auctor Gloss. suppeditat, ut 1. de filio patroni hærede, qui succedit in honore juris patronatus: ideo etiam in onere defendendi ecclesiam succedere debet c. filiis, ac nepotib. 16. q. 7. 2. De prælato, qui succedit in honore, & simul in onere solvendi prædecessoris debita pro ecclesiæ utilitate contra c. 1. de solut. 3. De Iudice. Nam mor-

tuo qui substituitur, quod ipsum judicare oportebat, sequi debet. c. quoniam Abbas. de off. deleg. Et concordat ad hanc regulam c. Rationis. Dist. 100. Cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debet accrescere, ut cultui vestium actionis quoque ornamenta conveniant. Quam ob causam Antigoni celebratur opinio, qui, quantæ sint Principum curæ, à paucis cognosci, dixit: alioqui neminem fore, qui regium diadema humi projectum tolleret. Stobæ. serm. 46. V. Bald. Consil. 326. vol. 1. Roland. Consil. 1. n. 42. l. 2. Menoch Consil. 1003. n. 64. Oldrad. Consil. 94. Paul. Cast. in l. fin. C. de transact. Ign. in l. Donationes, quas. C. de donat. inter vir. & uxor. Petra de potestate Principis in 2. Dubitat. Surd. decis. 326. n. 5. Mol. disp. 541. Barbof. in Prætermis. c. Dilecti filii. de foro comp. Denique huc referenda sunt, quæ congestimus supra ad Regulam 55. Qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra, ut propterea pluribus addendis non sit opus curam ac studium impendere.

REGVLA LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

EAdem est I. C. 122. Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi: ubi quanta sit necessitatis licentia, & violentia, Decius multa, Peckius verò plura commiscens sacra profanis. Decius etiam dubitare videtur, an non mulieri ad depellen-

dam famem fornicatio permittenda sit, jactitando illud, necessitas non habet legem, sed ipsa legem facit. c. Remissionem. 1. q. 1. & quod non est licitum lege, necessitas facit licitum. c. Quod non est. de Reg. Jur.

Cc 3

Ve:

Verùm à Theologis discere poterat, alia esse prohibita, quia mala sunt: alia verò mala tantùm, quia prohibita. De his prædicta axiomata, non verò de illis accipienda sunt. Blasphemare in die festo nunquam licet, quia per se malum est: laborare in die festo interdum licet, quia ex sola prohibitione malum est, & necessitas imperat instar legis.

II. Regulæ assertio est, ex iis, quæ propter necessitatem aliquando permittuntur aut conceduntur, non esse formandam consequentiam, sed potius, quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate relinquendum. *c. Quod pro. 41. Cau. 1. q. 1.* quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. *Exempla vide.*

1. Matrimonium in tertio, & quarto gradu hoc tempore prohibitum est. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 3. 4. 5.* Olim, quia personarum minor numerus erat, passim licuit, ut ex *Gen. & Deutern. liquet.* De polygamia idem constat.

2. Habere duas ecclesias, vel episcopatus simul, Canones vetant. *Conc. Lateran. Sub Innoc. III. Conc. Trid. Sess. 7. c. 2.* Aliter fieri hodie cernimus, & excusamus.

3. Beneficia regularia regularibus, sæcularia sæcularibus tribuenda sunt: nec parochiæ monachis offerendæ, ne vagandi licentiam habeant: facit tamen aliorum defectus, ut hoc liceat. *c. I. dist. 55. Conc. Trid. Sess. 14. c. 10.*

4. Bona ecclesiæ, vasa aurea, argentea, & similia alienate non licet. *c. Nulli. c. Si quis. de reb. eccl. alien.* Necessitas pauperum à peccato excusat. *c. Aurum. 12.*

42. sed quando factum fuerit, in consequentiam aliorum temporum trahi non debet.

5. In necessitate filium pater vendit: extra necessitatem vendens peccat. *l. 1. & 2. C. de patribus, qui filios suos dextraverunt.* Fallit tamen in filio sacerdotis, quem pater vendere non potest.

6. Cui agro carniæ usus concessus est, sublato morbo desinet illas diebus vetitis comedere. Nec Bavari, ait *Caramuel*, quibus ratione belli Suecici in quadragesima propter defectum piscium carnes concessæ, possunt nunc uti ea licentia, quoniam cessavit necessitas. *Caram. Theol. fundam. n. 695.*

7. Denique pro confirmatione omnium dictorum, servit Apostolorum prima sacrificandi ratio, quæ multum hodiernæ dissimilis. Nec vestrum ornatus idem & forma, nec precum, & ceremoniarum. Altare adhibitum esse, non esse dubitandum *Raynaudus* putat, sed quale, quantumcunque, an mensa aliave tabula? Multò post aliquos pro eo, cum aliter non possent, solis manibus usos legimus; alios in pectore tanquam in ara litasse, quemadmodum de *S. Luciano martyre Metaphrastes* scribit 7. *Januarii.*

Hæc igitur, & his similia, si quis in consequentiam trahere, usurpareque hoc ævo moliretur, nõ plus proficeret, quam si primi hominis pellicea lacerna omnes modo sacros ac profanos homines circumamicire contenderet. Necessitas ea simplicitate ac tenuitate contenta fuit, quæ pridem sublata, quam nobis piorum ac prudentium virorum religio præscripsit, utendum forma, &

solem-

solennitate est. *V. Theoph. Rayn. in Tract. de prima Missa. c. 10.*

III. Amplia 1. Vt locum habeat etiam in evidenti utilitate: ne quod propter hanc fit, extra illam fieri posse ex illius, & utilitatis causa æquiparantur in iure: & sicut iuramentum de non alienandis Ecclesiæ bonis in casu necessitatis non obligat, ita nec in casu manifestæ utilitatis. *c. fin. de eccles. adific. In nos. ad c. cum omnes. de constitut. Panorm. ad c. Vt super. de reb. eccl. non alienand.*

Amplia 2. Vt quemadmodum tempore necessitatis concessa in consequentiam trahenda non sunt, ita nec suis formulis, ac solennitatibus privanda sunt. Sententiam Iudex, cum necessitas exigit, noctu ferre potest: quod tamen ita limitandum, ut aliarum sententiarum formulis nihil detrahatur. *Frelinus in c. Consuluit de offic. delegati. I dem in testamentis observandum. Tempore pestis septem testium numerus remittitur, quia tot homines in unum tunc convocare admodum difficile est: similiter alii ritus omittuntur. Hoc autem sublata necessitate non debet pro exemplo valere. Bald. ad l. Casus de testam.*

Amplia 3. Vt non modò in consequentiam non veniant, sed continuò definant, quæ necessitatis gratia valuerunt. *c. Quod pro necessitate. l. q. i. c. Quod pro remedio. ibid. q. 7.* Quod multi non videntur animadvertere, qui ecclesias, & beneficia certis de causis olim unita,

sublatis illis omnibus, & cessante omnî necessitate, mordicus tamen retinent, reddituri rationem de multis simul, cum pro uno rationem reddere sancti reformident:

IV. Obj. Vbi ratio & æquitas eadem est, eandem esse juris dispositionem, & eundem effectum sequi convenit. *l. illud. ff. ad l. Aquil. l. Si domus. ff. de legatis 1.* nec infrequens à simili argumentum in legibus est, cum singula nominatim comprehendere impossibile sit. *l. Non possunt ff. de legib.*

R. In prolegom. *Summa Iur. Canon. §. 7. n. 14.* diximus, ad ea, quæ verbis legis expressè non continentur, extendi posse dispositionem, quando omnimoda identitas est. Si contingat igitur occurrere casum omnino similem illis de quibus generaliter aliqua lex disponit, de eo, ut non omisso ratiocinari poteris. At verò cum non extat generalis dispositio, sed ex favore, hic & nunc attempta causa peculiari, & necessitate conceditur certis personis aliquid, in argumentum, sed consequentiam trahi hæc Regula vetat. Necessitatem voco, non extremam illam, cui omnia parent, quæque nullis terminis, & legibus arctatur, sed moralem, cui nisi obviam eatur, per concessionem aliquam, multa damna proveniunt. *V. Everh. in loco, à ratione legis larga. Suar. l. 6. de leg. c. 3. & al. in §. 7. Prolego. citatos.*

REGULA LXXIX.

Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

I. **S**umpta videtur ex illa l. c. 162. *Nemo plus commodi heredi suo reliquit, quam ipse habuit: & nititur vulgari illo, sed firmo principio, Nemo potest dare quod non habet. c. Quod autem, de iure patronatus.*

Exemplum habes primò in eo, qui rem alienam possidet, adeoque nihil iuris in illa nec dominium ullum habent. Eam tibi si dederit quocunque titulo, aut nomine tantundem iuris ad illam, id est, nullum accipies.

Secundò in venditione. Titius domum, vel agrum Cajo venditi tantum iuris hic sortitur, quantum habuit ille. Si Titius erat dominus directè, directum dominium transfertur in Cajum: si utiliter, utile dominium transfertur in eundem. *l. ex empto, ff. de act. in b. empti.* Item si erat libera apud Titium, transibit libera ad Cajum, si servitutum debebat, cum eadem ad Cajum ibit. Pari modo si erat aliis obligata. Denique res transit cum causa sua, hoc est, cum suis oneribus. *l. Traditio, ff. de acquir. rer. dominio.* ubi *Ulpianus.* Traditio nihil aliud transferre debet, vel potest, ad eum, qui accipit, quam quod est apud eum, qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert. Si non habuit, ad eum, qui accipit, nihil transfert: quoties autem dominium transfertur ad eum, qui acci-

pit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradit.

II. **A**mplia 1. Ut nemo cuiusunque dignitatis sit, excipiarur. Nam ad Imperatorem quoque res cum onere suo venit, quamvis non erit difficile illi quando placuerit, degravare. Neque ei neganda potestas privatorum bonis utendi pro communi necessitate, & facta secundum exigentiam compensatione. *Sylv. V. Princeps. Menoch. de arbit. q. 48.*

Amplia 2. Ut non obstat bona fidei possessio. Est penes me res aliena, quam, quia vitium non ignoro, praescribere non possum. Tibi ignoranti trado. Eam tu quidem bona fide habebis. Si autem contra repetitionem dominum exceperis praescriptionem, temporis à me possessæ ratio non habebitur & nocebit vitium rei alienæ adhaerens illi, donec ad dominum suum reverti fuerit. *Gayll. l. 2. obs. 16. n. 2.*

Amplia 3. Ad tempus quoque, ut sicuti de reali jure nemo plus, quam habet, transferre potest, ita nec citius, quam oportet. Sic delegatus non potest committere executionem nondum sibi traditam, aut commissam: neque civitas magistratum alicui committere, antequam jus creandi magistratum à principe adempta fuerit. *Castr. conf. 230. lib. 2.*

Am

Amplia 4. Vt resolutio jure Auctoris, resolvatur etiam jus successoris. *In sup. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Si fundus ea lege venditus sit, ut si certo tempore pensio soluta non fuerit, idem fundus ad venditorem redeat, & postea ab emptore fundus pignori datus sit, evanescent jus pignoris, si pensionem non dederit.

III. Obj. 1. Patrono laico ad præsentandum trium mensium spatium conceditur: ab eo si jus patronatus ecclesie, vel monasterium acceperit, semel ad præsentandum tempus obtinet. *c. un. de iure patron. in 6.* Plus ergo juris, quam habeat, patronus laicus tribuit ecclesie, vel monasterio,

R. Ius ipsum præsentandi patronus, in ecclesiam, vel monasterium derivare potest, tempus verò, & modum illi utendi præscribere non potest: sed ad Ecclesie auctoritatem pertinet, quæ in citato capite sex mensium spatium præsentandi circumscriptis.

Obj. 2. Archiepiscopus quamdiu pallio caret, suffraganeum suum consecrare non potest: aliis tamen episcopis consecrandi potestatem dare potest. *c. suffraganeus. de elect.*

R. Id, quod in consecratione Suffraganeo communicandum est, ordinem puta, & potestatem episcopalem, Archiepiscopus etiam sine pallio habet: sed exercere illam non permittitur: licentiam tamen aliis non impeditis impertit, ut sua ordinandi potestate utantur, eo ferè modo, quo, si esset morbo vel absentia impeditus faceret, nulla tum suspitione, aut consequentia, quod aliis tribuat, quod ipse non

habet. *c. Cum nullus. de temporib. ordinand.*

Obj. 3. Ejus rei, possessionem, quam ipsi non habemus, aliis tradere posse *Labolenus* affirmat in *l. Interdum. ff. de acquir. poss. Ex. gratia*, qui pro hærede rem alienam possidet, si cognito veri hæredis jure, illam ab eo precario roget, possessionem dabit verus hæres, quam non habebat.

R. In tali eventu, qui rogat precario, in possessione naturali est, qui rogatur, & verus dominus est, in civili censetur esse per Iuris fictionem, seu interpretativè: quemadmodum in eo eventu quoque, quo adire hæreditatem cunctatur, initio statim, & primo puncto adisse hæreditatem fingitur. Quocirca *Cumamus ad leg. citat.* benè respondet, aliquando præsentem regulam ita interpretandam esse, ut nemo plus juris in alium transferre queat, quam ipse obtineat, verè scilicet, vel fictè, aut interpretativè. Quæ distinctio in aliis etiam objectionibus, quæ fieri solent, adhibenda est. *Dec. & Cagnol. ff. de reg. jur. 62. Egid. Bellamer. Consil. 10. n. 10. Anchar. Consil. 318. Roman. Consil. 159. in princ. Ioan. de Anania Consil. 86. Ioan. de Imole Consil. 8. n. 6. & Consil. 40. Damasus in Reg. 130. Roland. à Valle Consil. 46. n. 52. Cardin. Tuschus in lit. D. Co. 101. 17. Turz. anus in Reg. 58. Barbosa. in Axiom. 64. &*

160. *Car. am. in Theol.*

fundam. n.

665.

DI

RE

REGVLA LXXX.

In toto partem non est dubium contineri.

I. **H**VC pertinent, quæ superius ad Reg. 35. Plus semper in se continet quid est minus. diximus, ex abundanti tamen cum Dyno. & Peckio exemplis illustrari potest. *Primò* quod totum numerale attinet, si me viginti interrogante tu decem respondes, pro his decem obligatio contracta est, quia in 20. manifestum est includi 10. velut partem in toto. *Secundò*. Quoad totum integrale. Nemo sanæ mentis dubitabis, si totius domus possessor sum, fundamentum, tectum, & parietes ad me pertinere. *Tertid*. Quod totum universale, species seu partes suas secundum dialecticos potentia continet, nec perit idè, si aliqua tollantur actu, cum nihilominus in potentia generis maneat. Sic in collegio etiam, & universitate usu venit. *l. Sicut. ff. Quod cuiusque universitatis nomine.* Quarto in moralibus idem fit. Nam qui habet jus in toto, v.g. agro in qualibet illius parte habet. Similiter eodem jure utuntur omnes Reip. vel civitatis partes: ut si ex centum pagis velut apud Heluletiolos olim, una communitas constituitur. Idem in ordinibus Regularium, in societatibus, exercitu, & similibus servatur.

In partem negativam quoque prohibitus à toto, censetur à qualibet illius parte prohibitus: exclusus à testamento non habet jus ullius partis. Cui non

licet alienare rem, quamlibet alienationis speciem sibi vetitam esse meminerit.

II. *Obiiciuntur* aliqua in speciem dubia, quæ tamen facile diluantur. Nam quod *Alpianus dicit l. Si quis. ff. de except. rei iud. eum*, qui insulam (domum undique liberam) petiit, & succubuit, si postmodum cæmentâ, aut tignum aliquod petierit ex ea, exceptione rei iudicatæ removeri non posse, manifestam causam habet, quia cæmentâ, & tigna quædam non sunt pars domus, sed absque detrimento totius separari possunt.

Quod verò in Reg. sequi dicitur, *In generali concessione non veniunt ea, quæ non esset verisimiliter in specie concessum*, non obstat huic declarationi, quia speciali ratione nititur, ut ibidem explicabimus. *Anton. Gomez. l. 2. c. 9. n. 4. Alphon. Collect. 82. Menoch. de arbitrariis casu 47. n. 6. Cardin. Tuschus in lit. T. Conclus. 376. per tot. ubi limitat, si totum constituens in partes diversas est distinctum, & divisum: quia tunc unaquæque pars per se stat: seu, quando sunt indivisa, ut copiose persequitur Barbosa in Actio. mate 215.*

REGVLA LXXXI.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

I. **S**umpta putatur ex *c. fin. de off. Vicarii. l. 6. & ex c. 2. de penit. & remiss. eod.* Item ex *l. filiusfam. ff. de donat. ex l. obligatione. & ff. de pignorib.* nec interest concessio jurata, vel non jurata sit: quandoquidem iuramentum non potest defectum consensus unquam supplere. *Canis. Vivianus.*

Exemplum *Glossa* est I. Si episcopus mihi dedit facultatem eligendi confessarium, quemcunque voluero, is non propterea censetur accipere per hanc concessionem potestatem absolvendi me à casibus episcopalibus. *c. citat. de pen. & rem.*

2. Episcopus Albanensis constituit aliquem Vicarium generalem, an poterit per hoc conferre beneficia ecclesiastica? Minimè, quia hoc speciale est.

3. Generalis commissio facta à Pontifice legato suo non extenditur ad causas fidei. *c. Frater noster. 16. Q. 1.*

4. In generali obligatione pignoris non venit uxor, & alumni aliaque, quæ verisimile est neminem facile daturum. *c. Cum in generali de off. Vicarii.*

5. Si pater filio concedat generalem administrationem peculii, non censetur ad donandum dare facultatem. *l. Si filiusfam. de donat. Dynus in Comm. h. R.*

6. Multò minus si servo administrationem peculii relinquat. Neque enim verisimile est, in specie illam aliquando

concessurum esse. *l. qui peculii. ff. de pecul.*

Denique cum summus Pontifex pro partibus infidelium extra Europam religiosis eo proficiscentibus concedit generalem facultatem absolvendi ab omnibus casibus etiam reservatis, & dispensandi in votis, non censetur includere specialia illa, quæ ordinariè excipiuntur. Et si pro infidelium terris dat licentiam dispensandi in voto castitatis simplici, & perpetuo, non comprehendit infidelium nomine hæreticos in Europæis, & transmontanis regionibus. Quis enim prudenter sibi persuadere potest, si rogaretur S. P. pro facultate dispensandi in voto simplici perpetuo castitatis, daturum pro germania nostra, ex qua in Italiam facilis transitus si non hominibus literis tamen, & supplicantiibus? Attendant igitur, quorum interest, curentque, ut de summi pastoris voce certum aliquid obtineant, & communia à specialibus separant. *V. Sanchez. l. 7. Consil. moral. c. 1. Dub. 27. Chapeville de cas. res. Part. 1. c. 4. Tamb. Reg. 81. de Iur. Abb. tom. 1. Disp. 17. q. 2.*

II. Verùm hic quæstio oritur, unde cognosci queat, quænam in specie non videantur concedenda? *Glossa* cognoscendum docet ex impossibili, in humana vel dura separatione ut si peccantur, instrumenta propriæ artis, vel

quæ ad affectionem pertinent, nobisque specialiter chara sunt, quemadmodum uxor, liberi, cognati, amici. Sed latius hæc patent, & iudicare licet ulterius ex communi legum, & hominum præiudicio. Nemo enim putatur in generali voluntate sua includere, quæ sunt contra Ius commune, contra receptam consuetudinem, contra libertatem, vel jus acquisitum alteri. Item ea, ex quibus oritur grave incommodum vel damnum irreparabile. Denique à quibus natura ipsa videtur abhorrere, ut si daretur filio contra parentem exequendi potestas, vel puero titulus Magistri, aut Doctoris: Hæc igitur & similia ut evitentur, sicut in obscuris, ita in generalibus, inspiciendum id, quod magis verisimile est, ac meminisse, quod actus concedentis ultra intentionem ipsius non debeat extendi.

III. Amplia 1. Quamvis ad generalem concessionem addita esset clausula *motus proprii*, quia generalia verba non sufficiunt ad tollenda jura specialia, v.g. patronatus laicorum. *Rebuff. in praxi part. 3. num. 9.* Quod bene notandum, pro quotidianis casibus. Imperitos enim Notariorum stylus terret, qui plerumque verbis abundat, etiam cum nihil importat: peritis verò, & exercitatis nihil incommodat, qui potius errasse scribam, quam insolitum quid concedere Papam credent.

Amplia 2. Ut valeat tunc quoque cum generalitas geminata est. Quamvis enim iteratio ut plurimum firmi consilii, a proposito index sit, & aliquando non minus operetur, quam consensus juratus. *l. Balista. ff. ad Trebell.* Tamen

non impedit, quin tacite aliqua excipiantur.

Amplia 3. Ut valeat, etiam quando per superadditum decretum statueretur, præcedentis decreti verba quoad literam generaliter accipienda esse. Adhuc enim non censetur comprehendi, quod in specie legislator exciperet. Statutum sit *ex. gr.* ut quicumque sanguinem in platea effuderit, carere luat. Chirurgus medici consilio venam secuit, & sanguinem sparit, non ideo reus censetur. Esto, quod *lasone* teste vidisse, ab incultis rusticis nonnemo propterea capitis periculum adierit. *Valet impetus in plebe: consilium procul est. Corn. Consil. 89. Viso prædicto. n. 12. l. 2. & Consil. 181. n. 11. l. 3. Surd. Consil. 73. n. 17. Cardin. Tusch. lit. G. Concl. 31. Barbof. hic. & Axiom. 106. n. 14.*

IV. Obj. 1. Semper generalibus specialia insunt. *l. Semper ff. de Reg. iur.* Item in toto pars quoque continetur eod. & *supra Reg. 80.* idque in favorabilibus, & in odiosis. *Angelus ad l. ult. ff. de constitut. Princip.* Si qua igitur concessio generalibus verbis concepta est, nihil sub illa generalitate exceptum videri potest.

R. Species in genere non continentur actu, sed potentia tantum, ut cum Porphyrio suo Philosophi docent, adeoque nobis circa actiones morales occupatis parum inde commodi, vel damni. Hic autem specialis consideratio locum habet. *De concessionibus*, hoc est, gratuitis actionibus loquimur, quæ non admittunt Logicas, aut Metaphysicas illationes: sed ex sine concedentis sumenda conjectura est. *Moveretur*

tur voluntas aliqua boni specie inde-
que ad largiendum progreditur, quia
in presenti nihil occurrit in contrari-
um, quo retardetur. At verò cum ad
particularia ventum est, ea se offerunt
incommoda, ut nemo prudens aliter ju-
dicare possit, quàm ab intentione con-
cedentis exclusum iri. Lex generalis e-
rat in regno Persarum, ut quicumque
non vocatus interius atrium Regis in-
gressus fuisset, absque ulla cunctatione
statim interficeretur *Esther c. 4.* attamen
reginæ *Esther* consternatæ *Assuerus* di-
xit. Non morieris, non enim pro te, sed
pro omnibus (aliis scilicet) hæc lex con-
stitutata est. Idem dixerat non semel, da-
turum se quicquid petivisset, etiam di-
midium regni sui: nemo prudens ta-
men nihil omnino excipiendum existi-
mabit. Ea concederet nimirum, quæ
concedere reges solent.

Obj. 2. Justinianus ait in *l. unica §.*
fin. c. de caducis tollen. Si contrarium vo-
lebat testator, nulla erat difficultas
scribere: & *Cic. l. 2. de invent.* Scriptori

neque ingenium, neque operta, neque
facultas ulla defuit, quo minus posset
apertè scribere id, quod cogitaret, nec
fuisset ei grave, aut difficile certam ali-
quam causam excipere, si quid exci-
piendum putasset. Idem ergo de conce-
dente dicamus, & extendamus conce-
sionem ejus, quousque possumus. In-
commoda sibi imputet, qui cum pos-
set, non expressit restrictionem suam.

R. Quamdiu conjecturis, & præ-
sumptionibus à jure locus relinquatur,
literalis illa extensio non obtinet, sed
mentem disponentis extra literam
quærimus, ut evitemus incommoda, &
absurda, quæ secum periculosa extensio
adferre solet *Iustiniani, & Ciceronis* sen-
tentia citata tunc valet, cum nihil di-
versum occurrit, quo ad deserendam
scriptoris pennam adducti meliorem
interpretationem amplecti cogamur.
Surdus Consil. 73. n. 17. Carolus de Grassis
except. 32. n. 30. Steph. Gratianus Discept.
forens. Tomo IV. c. 656. n. 30. & c. 766. n. 11.
Barb. Axiom. 106. n. 14.

REGVLA LXXXII.

*Qui contra iura mercatur, bonam fidem præsumitur non
habere.*

I. **C**um enim singuli actiones suas
ad leges publicas componere
tenentur, qui contrarium facit, per-
verli animi suspensionem excitat. Porro
bona fides bona conscientia est, secun-
dum illud Apostoli *ad Rom. 14. v. ult.* O-
mne, quod non est ex fide, peccatum

est: quod in *c. Omnes. 28 q. 1.* sic explica-
tur, ut non quicquid ab infidelibus fit,
peccatum sit, sed omne, quod contra
conscientiam agitur, & ad gehennam
ædificat. Vnde *S. Ambr.* Peccatum est,
quod aliter fit, quàm probatum est, &
August. in eundem locum, Omne, quod

D d 3 ali-

aliter fit, quàm probatum est, peccatum est, non tamen omne, quod fit cum fide, bonum est. *Ignorantia enim, que est ex culpa, nocet. V. supr. Reg. 2. n. IV.* Sed non bonæ fidei præsumptio sumitur variis ex indicis, seu causis. 1. Ex tempore. *l. Satis. C. ad le. Cornel. de falsis.* 2. Ex loco. *§. pen. in Auth. ut nulli iudicium.* 3. Ex præcedenti denunciatione. *l. si fundum. C. de rei vindic.* 4. Ex personæ alterius interpositione. *l. pupillus. §. fin. ff. de auth. tutorum.* 5. Ex omissione, seu neglectu officii sui. *l. si procurator. §. dolo. ff. Mandati.* 6. Ex bonorum omnium vel majoris partis alienatione. *l. Omnes ff. que in fraudem creditorum.* 7. Ex ejusdem rei geminata exactione. *Reg. seq.* 8. Ex non servato superioris mandato. *l. Non potest. dolo. ff. eo.* 9. Ex improba, & pertinaci petitione. *l. 2. ff. de doli mali except.* 10. Ex peccandi consuetudine. *l. si servus. ff. de heredit. vendita.* 11. Ex obscura, & intricata locutione. *l. Aut qui. §. i. ff. quod vi, aut dam.* 12. Ex nimium sperata successione. *l. 1. & fin. C. ubi pupilli educa. deb.* 13. Ex facti qualitate. *l. Dolus. C. de rescind. vend.* 14. Ex rei quantitate. *l. Cum hi. §. modus. ff. de trans. et.* 15. Ex personarum conditione, & conjunctione. *l. un. C. Si quis Imp. ma' d. l. iubemus. C. de sacros. evang.* aliis denique similibus, de quib. *Albericus ad l. Dolum. C. de dolo.* pro quibus, ne errare contingat, probo & maturo iudicio est, quod in vulgo, & apud entifetos legistas non facile reperies.

II. Amplia 1. Ad omne jus, naturale, positivum, sacrum, profanum, statuta, consuetudines. Si qui autem ignorantiam prætendunt, ad illius proba-

tionem tenentur. Quoad præscriptionem tamen, & usucapionem impediendam nihil proderit ignorantia juris, vel error. *l. Namque ff. de usucap.* Vnde si putas pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu. *di. le. §. si à pupillo.* quia juris error nulli prodest, eoque respectu paria sunt *scire, & scire debere*, & tam in culpa est, qui scire debuit, quàm qui scivit. *Ignorantia. de Reg. Iur. Paris. Consil. 61. Seb. Medicis de casib. fort. q. 3. n. 1. Tusch. lit. 1. Concl. 11. Barb. Axiom. 113 n. 7.*

Amplia 2. Sive ejus, qui mercatur, contractus revera contra lus venit, sive non, sed ab illo putetur juri contrarius esse. Cùm enim omne, quod non est ex fide, peccatum sit ad *Rom. 14. v. ult. & c. fin. de præscript.* tam est peccati reus, qui contra mentis suæ regulam agit, quam qui contra ipsam legem: de qua re consulenda est Theologia Moralis de conscientia dubia apud *Navarr. in Manuali c. 27. à num. 279. Rich. Hallum. l. 2. c. 1. Layman l. 1. Tr. 1. c. 5 §. 4.*

Amplia 3. Ut in foro conscientie quoque valeat, nec sola præsumptione censeatur injustus, qui contemptis legibus commercia celebrat. Nam que rationi conformes sunt, licet profane obligant. Vnde *S. August. relatus in c. Imperatores xi. q. 3.* Quando Imperatores veritatem tenent, pro ipsa contra errorem jubent: quisquis contempserit, ipse sibi iudicium acquirat. Nam & inter homines pœnam luit, & apud Deum sortem non habebit, quia hoc facere noluit, quod ei per cor Regis veritas iussit. Neque audiendus est *Peckius*, qui contrarium tenendum asserit, eò quod

quod Regula præsumptione nitatur. Non enim sola præsumptione nititur, sed ex illa Iudex malæ conscientiæ argumentum ducit, quia conscientia latebras penetrare non potest, & veritatem ipsam intueri. Reuera autem contra Deum, & iustitiam peccat, qui contra Ius mercatur. Ius dico, seu naturale, seu positivum, quod ipsemet Peckius agnoscit in prima sua ampliatione. Nolum hoc tamen ad quamlibet legem de mercimoniis latam extendere. Nam quibus pretium more consueto taxatur, & exigitur, non ita stringunt conscientiam, ut aliæ, quæ fraudes contrarium vetant. V. Sylv. V. Lex. n. 6. & 7. Layman l. 3. Tract. 4. c. 17.

III. Obj. 1. In c. Si quis deinceps 16. q. 7. seriò præcipitur, ne quis episcopatum vel abbatiam de manu laici accipiat: qui tamen eatenus accepisset, longi temporis præscriptione tutus est. c. Pastoralis de iure patronatus.

R. Prohibitio citati capitis juri

ecclesiastico, & æquitati conformis est, quia nulli Principum laicorum investitura sacrorum hominum, & præsumptum abique sedis Apostolicæ auctoritate competit. De præscriptione autem quod additur, falsum est, cum titulus, & bona fides desit: nec in c. Pastoralis citato ulla illius mentio, ut mirum sit, quibus oculis Peckius inspexit.

Obj. 2. Qui à pupillo emit, falsò existimans puberem esse, sine auctoritate tutoris, usucapere poterit. l. Nunquam. § si à pupillo ff. de usucap.

R. Qui probabili errore captus aliquem contractum aliàs prohibitum facit, contra hanc Reg. nihil peccat, quia à conscientia, & bona fide sua defenditur. Bartol. in l. Non fatetur. ff. de confess. Gratian. Discept. forer. tom. 5. c. 946. Navarr. c. 23. n. 50. Vasq. in 1. 2. Disp. 151. c. 4. Salas de leg. D. 10. Sect. 2. Em. Sa. V. Dubium. n. 3.

REGVLA LXXXIII.

Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

I. Hujus Regulæ cui consonat 57. in ff. manifesta ratio est, quia facta debiti solutione confestim extinguitur obligatio. Vnde dolo malo non vacat, qui semel exactum sciens denuò exigit. Supponimus autem debitorem prima exactione pulsatum fatiscesisse. Infit. quib. modis toll. obligatio initio. Aliàs repetitam exactionem adeò lex non improbat, ut credat bona nomina fieri

mala, si non interpellentur debitores. Porro non interest, quo modo facta sit solutio, per se, vel per alium exhibuerit, vel etiam delegaverit debitor, in iudicio, vel extra exacta sit, modò à se extincta esse nomina debitor contra molestum exactorem probet. Barbof. in Tr. Dictiones. Dictione 377.

II. Amplia 1. Ut neque ab alio exigi queat iterum, quod semel solutum est.

est. Quamvis enim cum duo correi sunt, ab uno eorum solidum peti potest, si tamen unus illorum solverit, conticendum est creditori. *l. 3. ff. de duob. reis. §. Vbi duo.* Vtique enim cum una sit obligatio, una & summa est, ut si ve unus solvat, omnes liberentur, si ve solvatur ab altero, liberatio contingat.

Amplia 2. Licet statutum esset, ut contra instrumentum non liceat excipere. Nam facultas reclamandi contra iteratam exactionem minimè sublata censetur, adeò, ut reo ante litis contestationem tempus concedatur probationi, solutionem factam esse. *l. Cum quarebatur. ff. de solut.*

Amplia 3. Quamvis secundum jus ea interpretatio præferenda sit, qua sit, ut actus non pereat, sed valeat. *l. quovies. ff. de reb. dub.* Nihilominus hic potius judicare convenit, nihil actum esse, quàm permittere, ut idem bis exigatur, postquam semel solutum est. *l. Cum quæstio. C. de legatis.*

Amplia 4. Ut quâ ratione ab ipso debitore, eadem nec à fidejussore liceat repetitam exactionem tentare. Nam si debitor solvit, immunis est fidejussor, si fidejussor solverit, liberatus per illum est debitor. *l. ult. C. de usur. rei iud. Gloss. ad l. licet. ff. Nauta, caupones, stabularii.*

Amplia 5. Quemadmodum bona fides non patitur semel exactum, & solutum denuò exigere, ita quoque lex effectum saltem improbat duplicatam ejusdem rei stipulationem. *l. qui bis. ff. de verb. oblig.* nisi vel primo conventio esset inefficax, vel posterior fieret animo novandi. *l. Si dari ff. eod.*

Amplia 6. Ut extendatur ad penas. Nam sicut divina clementia peccata semel remissa in ultionem redire non patitur, sic non oportet punire bis in idipsum. *V. Decium in Reg. 57. Bona fides.* Nisi pro uno crimine diversæ sint pœnæ decretæ. *Maranta Part. 6. iudic. §. de inquis. n. 97.*

III. Obj. 1. Episcopo visitanti uno anno bis procurationem (id est, necessariam pro se, & suis alimoniam, ut *Conc. Trid. declaravit Sess. 24. c. 1.*) exigere licet. *c. Cum venerabilis. de censib.* Item pro uno eodemque delicto duplex excommunicationis sententia fertur. *c. Cum pro causa. 27. de sent. excom.*

R. In visitatione diœcesis episcopus jure exigit victualia, ut *l. cit. Conc. Trid.* disertè exponitur. Si ergo in anno bis visitet, bis alendus erit. Non unum sed duplicatum seu repetitum debitum exigit. Quod excommunicationem attingit, ea non repetitur, nisi geminata fuerit contumacia, ut quod uno scitu non cadit, altero prosternatur. Neque ad rem facit *c. Cum pro causa. de sent. excom.* quia ibi Archidiaconus propter duas causas, percussione clericum videlicet, & violationem immunitatis ecclesiasticæ excommunicatus erat.

Obj. 2. In *l. annua. ff. de annis legatis*, quod pro uno die v. g. novendialium feriarum sacerdotibus legatum est, sæpius exigi posse DD. definiunt.

R. In piis causis cum de voluntate donantium ambigua sententia est, in eam partem, quæ ecclesiæ favet, fieri interpretatio solet. Minus enim hic periculi est. Vnde si testator legasset Capuccinis unam pitantiã in festo S. Franc.

Franc. dicemus, singulis annis in eo fe-
sto præstandam esse, & similiter in a-
liis ejusmodi legatis. Nec propterea
idem bis exigitur, sed pro quolibet an-
no semel, cui alia atque alia obligatio
dandi respondet.

Obj. 3. Legatarius, qui rei legatæ
æstimationem ab hærede consecutus
est, rem legatam iterum ab alio exigere
potest. *l. locum. §. inde quaritur. ff. de tabul.
exhibendis.*

R. Qui ab hærede rem sibi lega-
tam, vel precium illius semel obtinuit,
si denuo exigat, ab eodem doli excep-
tione removendum lege citata dicitur:
sed is, qui tabulas justo tardius exhi-
bit, ad interesse tenetur & hæredi, &

legatario. Ab eo igitur quantum sua in-
terest, legatarius exigere potest, quam-
vis ab hærede legatum accepisset. Atq;
ita non circa unum debitum, sed duo
ipsius cura, & exactio occupata est.

Obj. 4. Dotem sibi debitam filia à
patre bis exigere potest. *Auth. sed quamvis.
C. de rei uxor. act. Bart. ad l. si cum do-
tem. ff. solu. matrim.*

R. Filia non permittitur semel ex-
hibitam dotem, à patre suo iterum exi-
gere, nisi in casu, quo absque omni sua
culpa amissa foret, idque ex benignita-
te juris, quod prospectum vult perso-
nis sexu, & natura imbecillioribus,
quemadmodum *DD. ad le. cita.* fusius
declariant.

REGVLA LXXXIV.

Quod una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti.

I. **C**um in omni dispositione le-
gum intentio potius, quam e-
nunciatio attendenda sit, *l. Scire leges. ff.
de leg. meritò* cavetur per regulam
hanc, ne quis in favorem suum tra-
hens verba legis, quod uno modo non
licet, per alium consequi nitatur. v. g.
prohibitum est *S. C. Macedoniano*, ne
quis pecuniam filiosam credat: tu non
pecuniam quidem, sed frumentum,
aut vinum suppeditas, quibus venditis
pecuniam acquirat. In fraudem legis
utique, cujus intentio est, cavere, ne fi-
liis mutuam pecuniam dando, materia
peccandi malis moribus præstaretur. *ff.
de S. C. Macedon.*

Item prælatus ante confirmationem

suam re ecclesiæ vel monasterii admi-
nistrare non potest. *c. Avaritia 5. de elect.
in 6. Sylv. V. Confirmatio. n. 2.* Si autem ad-
ministrare velit, ut procurator, vel Oc-
conomus, non permittetur, ne quod u-
na via prohibetur, ad id alia admitta-
tur. *Sylv. loc. cit.*

Idem in patre valet, qui prohibitus
matris testamento administrare bona
filiorum, ut pater non poterit eadem
ministrare, ut curator. *l. Scire oportet ff.
de tut. & cur. dan.*

II. Verùm, ne regulæ hujus veritas
& firmitas aliquibus in materiis vacil-
lare, aut deficere videatur, limitibus
circumscribenda, & quodammodo
munienda erit. *Primo* igitur, exaudiend-

Est, da est,

da est, ut *Canisius* loquitur, quoad id quod principaliter prohibetur, nō verō quoad viam, modū, aut mediū. Nam licet illegitimus eligi in episcopum nō possit, postulari tamen poterit. *c. Immutuit. 20. de elect.* Item hæreditas pactio- nibus quidem relinqui non potest, testa- mento tamen potest *l. Hæreditas. 5. C. de pactis conven.*

Item qui juravit uxorem suam non accusare adulterii, non prohibetur eam denunciare. *c. quemadmodum. 25. §. fin. de iureiur.* Idem in actionibus evenit, ex- gr. Ad rem emptam malè agitur actione locati, vel depositi: rectè tamen em- pti actione agitur: quoniam in his, & similibus non res ipsa, de qua quæritur, sed modus, aut via ad rem tantūm pro- hibetur.

Secundò tunc obtinet, cūm utraque via ad eundem effectum directè ten- dit, ut in exemplis n. r. adductis patet: & benè declaratur ab *Vlpiano l. 1. §. l. quod dicimus 7. ff. de auctor. & cons. tutor.* Tutor in rem suam non potest pupillo auctor esse, ut sibi obligetur, potest ta- men sui debitoris hæreditatem adeun- ti pupillo auctoritatem præstare, ut sic per consequentiam pupillus sibi obli- getur. Pari modo Ius patronatus emi per se ac separatim non potest: si tamen ematur Universitas in qua continetur, venit cum illa. *c. de iure 16. de iure pa- tronatus.*

III. Obj. I. Clerico non licet de bonis ab ecclesia obtentis testari, quem- admodum ex communi diximus in *Part. 2. summe, tit. 2. §. 1. n. xv.* eidem ta- men donationem ex iisdem bonis inter vivos facere permittitur, ut ibidem

tit. 1. §. 3. n. vi. de Episcopis, & Prælati: indicatum est: quod extenditur etiam ad Religiosos professos, qui beneficia ecclesiastica obtinent, apud *Layman- num l. 3. Tr. 14. c. 12. n. 9. Barb. in c. Cæterum. &c. Per tuas. de donat.*

R. Peckius clericis non permitti te- stamentum, quia aliàs disponerent de- rebus ab ecclesia acceptis in tempus, quo earum domini non sunt, imò ne dispensatores quidem, cūm ea bona non habeant nomine proprio, sed alie- no: donationem verò inter vivos non debere prohiberi, dummodò modera- ta sit, & in piam causam. *Gloss. in c. Cūm in officiis. de restam.* Verūm hujus diver- sitatis per hanc responsionem nulla causa assignatur, & quod valde incer- tum, supponitur, Clericos proventu- um ecclesiasticorum non fieri domi- nos: cūm id saltem de quotidianis di- stributionibus dici nequeat: & de om- nibus generatim hoc tempore pleriq- ue contrarium teneant, uti patet ex *Part. 1. sum. tit. 2. §. n. 14.* Dicendum igitur, beneficiatis clericis jure communi prohiberi testamentum de bonis ec- clesiasticis non quod per se, & natura: sua malum sit, sed ne consanguineos suos, & cognatos, majore quàm par est, adeoquè damnabili amore bonis in u- sum ecclesiæ, & pauperum ordinatis festinent ditare: donationes verò mo- deratas permitti etiam respectu cog- natorum, ex benigna quadam jurium interpretatione, & quia charitas ordi- nata est incipiens à se ipsa, & procedens immediatè ad eos, qui lateri no- stro per ejusdem sanguinis communio- nem adherent. *V. Barb. in c. Cūm in officiis.*

& c. ad hac de restam.

Obj. 2. De quare iudex non potest cognoscere directè, indirectè seu incidenter judicare potest: ut patet ex *pan. de rest. in integrum*. Hæc igitur via admittitur, quod alia prohibetur.

R. Hoc juris beneficium est, necessitate constitutum, ne continentia causæ dividatur, & coram diversis Iudicibus idem actor litigare cogatur cum ingenti & inutili sumptuum ja-

ctura. Ob quam causam omisis etiam intermediis tribunalibus, supremum adire licet, *c. fin. de Rescr. & ibi DD. Item l. 1 ff. de quib. reb. ad eund. ubi consulenda Glossa, & Andreas Gail. l. 1. obs. 32. n. 1. & seq. ubi insuper explicat quotuplex causæ continentia sit, & quomodo tam in criminalibus quàm civilibus obtineat. Menoch. l. 4. de presumpt. Presumpt. 189. n. 82. Surd. decis. 21. Barbof. Axiom. 193.*

REGVLA LXXXV.

Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur.

I. Consonat I. C. regula 23. *Contractus quidam. & c.* legem autem accipere debemus pro forma contractus. Nam ex conventionione partium contractus natura formatur, & variatur: quia voluntas contrahentium dat esse contractui. *l. juris gentium. § quod fere. ff. de leg. & quilibet rei suæ moderator, & arbiter est. l. in re. C. mandati.* ob eamque causam contrahentes apponere contractui possunt, quam volunt conditionem, modò non sit turpis, impossibilis aut contra jus, aut ad delinquendum invitet: cujusmodi est, ne dolus præstetur, ne ob res amotas agatur, Iudex adeatur, & id genus aliæ.

Exemplum sit I. Depositarius ex natura contractus tantum tenetur de dolo, & lata culpa, quæ dolus præsumptus vocatur. *l. 1 §. quod nerva ff. depositi.* Si tamen conveniat paciscentes, etiam de culpa levissima, tenebuntur, juxta hanc Reg. quia Contractus ex con-

ventionione legem accipiunt. *Can. Dynus.*

2. E contra, si in contractu, in quo debetur dolus, lata culpa, & levis, conveniat, ut præstetur dolus tantum, conventio valet ex eadem causa; quia Contractus ex conventionione legem accipiunt. Quin etiam ad casum fortuitum extendunt aliqui, ut *Gloss. Canisius, & alii* notant, quamvis non nisi cum distinctione admittatur à *Dyno*, ut tunc obligatio sit, quando non solus casus, sed cum aliqua culpa antecedente vel concomitante conjunctus est.

II. Amplia 1. Ut perinde sit, si conventio in ipso contractu exprimitur, siue in continenti post contractum adjiciatur. *l. lecta. ff. si certum petatur.*

Dicitur autem legistis in continenti, seu momento fieri, quod durante adhuc negotio, vel contractu inchoato fit, nondum à se mutuo digressis contrahentibus. *l. reos. § Cum duos ff. de duobus reis. Barb. in dictione 155. n. 8.*

E e 2

Am-

Amplia 2. Quamvis aliquando rei natura videatur alterari. Nam res corporalis, verbi gratia, natura sua dividua est, partium conventionem tamen individua fieri potest, si non physicè, moraliter saltem, seu quoad jus, quod in illa constituitur. *l. stipulationes non dividunt. ff. de verb. oblig.* Item emptionis natura est, ut venditor de evictione teneatur: si tamen de contrario convenierint, non tenebitur. *l. Non dubitatur. C. de evict. l. si in venditione ff. eod. Azor in sum. l. 8. Rubr. 44.*

Amplia 3. Ut extendatur ad quasi contractus, quod Angelus Aretinus ad *l. Lecta. ff. si certum petatur*, perpetuò mente tenendum esse, ut singulare quiddam, monet. Dicuntur autem quasi Contractus, qui implicitè fiunt, absque ulla pactioe expressa, vel qui gratuiti sunt, & non pariunt in utraque parte obligationem. *de quo V. Less. l. 2. c. 17. D. 3. n. 12. & c. 41. D. 14. n. 107. Part. 2. summa tit. 7. §. 3.*

III. Obj. 1. Legum officium est, formam vivendi tradere, & dubia determinare. *l. leges. C. de legibus*: nec in singulas personas, sed generaliter constituuntur. *l. iura. ff. eod.* Ad quid ergo conventio partium?

R. Quemadmodum in rebus naturalibus, & elementaribus: ita in moralibus duplex considerari forma potest, substantialis & immutabilis una, accidentalis & contingens altera. Legum forma substantialis invariata semper manet, nec amplius ipsius legislatoris voluntati subest: accidentalis pendet à voluntate contrahentium tempore, lo-

co, aliisque circumstantiis. Contractus emptionis ex. gr. & venditionis essentialis est pretium, hoc autem, quando & quibuscumque conditionibus exhibetur, adventitium, adeoque variabile. Hoc & nihil aliud Regula nostra dicitur.

Obj. 2. In *l. 6. ff. de pactis dotalibus* Pomponius ait, maritum non posse pacisci, ut dolum solummodo in dote præster. Et dote pactum adjectum, ne repetantur res donatæ, vel amotæ non valet. *l. illud. ff. eod.*

R. In iure frequens pro dotalibus bonis in favorem mulierum dispositio reperitur, quia fraudibus obnoxia est infirmitas illarum. Igitur ut salvæ dotes maneat, maritis frenum injicitur, ne illas pro arbitrio versent, & immutent, agiturque, ut Fulgositus ait, non tam ut culpa commissa non teneatur maritus, quam ut culpa non committatur. Quod verò additur ex *l. illud. de invaliditate pacti*, ne repetantur res donatæ, vel amotæ, non arbitrio sed necessitate statutum est, quia bonis moribus repugnat, & injustitiam fovet. Nam res malè donatas, & surreptas omnibus, quorum interest, quolibet tempore permittitur repetere, & vindicare.

Obj. 3. Conventio, seu pactum à contrahentibus appositum non dare legem illi, sed novare, aut mutare videtur.

R. Non dubium est, aliqua pacta contractuum speciem variare, & novare posse: illa autem severè prohibita sunt à Iustiniano in *l. Novationem. C. de novationibus*. Neque de illis præfens Regula loquitur, sed de illis duntaxat, quæ salva Contractus substantia appo-

ñuntur. V. *Castr. Consil.* 472. l. 1. & *Consil.* 145. *Mench. Consil.* 52. n. 58. *Surd. Consil.* 383. n. 6. *Seraphin. Decis.* 787. n. 2. *Cardos.*

in Praxi Iud. V. Contractus. n. 12. Barboj. Axiom. 57.

REGVLA LXXXVI.

Dammum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

I. EX Regula I. C. 204. derivatur. Quod quis ex sua culpa damnum sentit, non intelligitur damnum sentire; juris interpretatione nimirum, quia jus illi non patrocinetur. Vnde *Vlpianus* dixit, legis auxilio indignum esse eum, qui se ultro coniecit in necessitatem. *Si fideiussor. §. 1. ff. Qui satisdare cogantur.* Et *Iustinianus*. Qui parum diligentem socium sibi assumit, de se queri, hoc est, sibi imputare debet. *§. fin. Instit. de societate.*

Præter hoc alia exempla multa suppetunt. 1. In contractibus. Qui pueros aut puellas tabernis præponunt, actione infortioria tenentur: sibi imputando, quia aliis rem suam non commiserunt. Pari modo servorum, quos sine delectu admiserunt, damnum præstare domini coguntur, *l. Videamus. ff. Locati.*

2. In testamentis. Qui damnosam hereditatem absque inventario suscipit, suæ stultitiæ acceptum ferre debet. *l. fin. C. de iure deliber.*

3. In iudiciis. Qui re minus accuratè expensa cum alia via consequi posset, litigare in iudicio maluit, si causam amittat, & in expensas condemnatur,

de alio quàm seipso conqueri non poterit. *l. 1. C. de edendo. l. 1. ff. eo tit. Comitol. l. 4. Q. 28.* Arbitri quoque sententiæ standum est, quamvis iniquæ. Sibi imputet, qui eum elegit. *l. diem. §. Stare. ff. de receptis arbit.*

4. In pœnis quoque. Nam procurator pœnam, quam ex suo delicto passus est, non repetit. *l. qui proprio. §. Item ff. de procuratorib.* Fideiussor, qui usuras, quas cum non teneretur, solvit, à debitore non recuperat.

II. Amplia 1. Ut locum habeat, licet nullus dolus, aut delictum commissum sit. *Ædificia* enim, quæ publicis operibus cohærent, puta, mœnibus, & portis civitatis, propter imminentiæ pericula Magistratus dejicit, nec damnum inde productum compensat. *l. a. edificia. C. de oper. publ. l. Maniana. C. de a. dis. privati.* Similiter, qui in alveo fluminis exstruunt molendinum, vel domum aliquam, si quid impetu aquarum damni fiat, sibi ascribant, qui firmitus solum non elegerint.

Amplia 2. Ut non modò damnum imputare sibi debeat, sed aliquando etiam de crimine suspectus sit. *Hæres ex gratia*, qui neglecto inventario hære-

ditatem adiit, & res hæreditarias apprehendit, præter damnum ex amissio-
jure in rerum subtractarum suspicio-
nem incidit, & creditoribus ultra vi-
res suas tenetur. §. Si vero non fecerit.
Authent. de hered. & falcid. Vnde *Imp. Se-
verus l. 2. C. de furtis.* quibusdam nego-
tiatoribus, qui res furtivas, nisi restitu-
to sibi pretio existimabant, reddendas
non esse, in civilem, ait rem desideratis,
ut agnitas res furtivas non prius red-
datis, quam pretium fuerit solutum à
dominis. Curate igitur cautius negoti-
ari, ne non tantum in damna huiusmo-
di, sed etiam in criminis suspicionem
incidatis.

Ampliã 3. Ut valeat etiam in ca-
rentia lucri, quod cum acquirere pos-
set, sua culpa neglexit. Nam appellatio-
ne damni venire etiam lucrum cessans,
quicquid contradicant aliqui bene Al-
ciatus tradit. Quis enim vetat damni
duo genera facere, quorum alterum
positivum, alterum negativum sit?
Quocirca si per negligentiam tuam,
cum prævenire posses ab hæreditate
exclusus es, alio hærede nominato, tibi
imput. s. necesse est.

III. Obj. Si pro culpa sua filius ad
pecuniariam pœnam damnatus sit, pro
eo conveniri pater potest, ut DD. præ-
sertim *Bald. & Salicetus ad l. Si filiusfam.
C. Ne filius pro patre,* docent.

Respondit *Peckius* id propterea fie-
ri, ut majorem curam, ac sollicitudi-
nem erga liberos, & domesticos vide-

ant adhibendam esse: & si quid pro eis
solverint, in successione hæreditaria
detrahere posse. *c. 2. de delictis pueror.* Ve-
rum in isto capite *Alexander III.* pro
impubere filio negat patrem ulla pœ-
na afficiendum. *Barbosa* quoque citatis
pluribus, patrem non esse convenien-
dum pro filio asserit: & statutum con-
trarjum ut nimirum pro filio pater pu-
niatur, plenum odio esse: de quo egi-
mus in *Reg. 23. Sine culpa, nisi subit. causa,
non est aliquis puniendus.* Vbi inter cau-
sas alium pro alio castigandi numero-
vimus connexionem, seu vinculum
consanguinitatis, amicitia, & similia.
Cum ergo parens, & filius idem in jure,
seu pro una persona numerentur: *l. fin.
C. de impuberum, & alius substit. l. Cum
scimus. C. de agricolis, & censuris.* mirum
non est aliter debitum alteri impu-
tari; maxime si particeps culpa esse vi-
deatur, quemadmodum de patre com-
muniter præsumitur. Neque contradi-
cit *c. 2. de delictis pueror.* quia loquitur de
puero doli incapace, ut *Gloss.* notat, &
consuetudine loci, qua non obligari
impuberes pronunciat. *V. Perez. ad tit. 7.
l. 5. ordin pag. 194. Morlin. in Emporio ltr.
Part. 1. tit. 9. Barb. in l. 2. §. fin. n. 4. ff. Solu-
matr. Maranta de ordine iudicior.*

Part. 6. membr. 5. in principio.

Barbos. in Comm. &

Vivianus.

REGVLA LXXXVII.

Infamibus non pateant portæ dignitatum.

I. **F**ama bona est illæsa dignitatis status, legibus, ac moribus comprobatus: hac læsa infames efficiuntur. *l. cognitionum. de var. & extr. ord. cognitionum.* Infamia verò duplex est, iuris, & facti. Infamia iuris dicitur, quæ irrogatur per sententiam in illis casibus, in quibus iure definitur, condemnatum esse infamem, cujusmodi sunt damnati de furto, rapina, lenocinio, usura, & quos *Julianus* enumerat in *l. i. ff. de his, qui notantur in famia. & c. Infames. 6. q. 1.* Quod infamiam facti attinet, *Dynus* ait, illam esse, quæ grauat opinionem apud bonos, & graves. Plenius alii, quæ ex facto aliquo apud viros bonos improbato emergit, de quo tamen neque lex pronunciat, neque iudex decernit: ut cum alicujus pudor, aut per increpationem iudicis extra causæ cognitionem oneratur, aut notatione parentis in testamento perstringitur. *l. ob hac verba. ff. de his, qui notantur in famia.*

Quocunque autem modo quis infamis sit, per hanc regulam ab honoribus, & dignitatibus vel ipso facto, vel per sententiam iudicis excluditur. *Silv. de infamia n. 4. Armillæod. Sanch. l. 6. consil. 6. 3. d. 6. n. 8. & seq. Comit. l. 1. Q. 72.*

II. Cur autem infamibus dignitatum portæ clauduntur, hanc causam *Peckus* adducit, quia potestas malitiæ conjuncta, nervos ac robur affectibus addit, & verum illud est *Dionysii*, tum

maximè imperio quem frui, cum quodlibet liberet, faceret. Quæ ratio particularis tantum est, illos concernens, quorum dignitas viribus aucta, & quodammodo armata est. Cum ergo dignitates absque munere, & jurisdictione in Ecclesia permultæ sint, ut ex *Part. 1. summa patet tit. 15. §. 1. & seq.* insuper non à dignitatibus tantum, sed quibus liber beneficis, & ordinibus sacris quoque infames arceantur, aliunde petenda ratio erit, videlicet in decentia: cujus & sacræ literæ, & sacri Canones meminerunt, ex qua indecentia confestim nasci in animis hominum vilem æstimationem, & contemptum necesse est. *Vnde de Caramuel in Theol. fundam. n. 153. benè dixit. Ideo portas dignitatum famibus claudi, quia per ejusmodi promotiones non tam honorantur infames, quàm infamantur honores. V. Theol. l. 31. c. 29. Covar. in 6. Quamvis pactum. part. 1. §. 7. Barb. in c. Accedens de purg. Can. Layman. l. 1. tr. 5. Part. 5. c. 4.*

III. Amplia i. Ad quemlibet locum, in quo versari contigerit infamem. Nam sicuti lepra ita adhæret leproso, ut nulla viarum, aut locorum variatione excuti queat, ita suos infamia quocunque verterint se, comitatur. Alii characterem vocant, alitè impressum: alii excommunicationi, & exulationi æquiparant. Civis enim propter delictum exul nullibi locorum in liberos suos

exer.

exercere patriam potestatem potest. *V. Gaill. l. 2. de pace publ. c. 1.*

Amplia 2. Ut infamia maneat etiam sublata causa, vel pœnitentia pro crimine peracta, Nam et si Iudæus baptismo suscepto Christianus fiat, à testimonio ferendo repellitur in casu, quo ante baptismum testis esse non poterat. *Felinus in c. Eam te. de rescript.*

Et qui culpam pœnitentia diluit, notatus infamia manet eatenus, ut ad actus publicos & legitimos, aut testimonium in causa criminis ferendum velut integer, & idoneus testis non admittatur. *c. 54. Testimonium. de testib. & ibi Panorm. præsertim perjurii reus. Limita tamen, nisi aliorum testium inopia sit, & res natura sua difficilis probationis. l. pen. C. de hered. c. ult. de testib. Barbosa in c. Testimonium citato, qui etiam in c. Iudæi. de testib. plures de Iudæis limitationes enumerat. Adde, quod ex multorum opinione meri facti infamiâ seria emendatio tollit, habilesque reddit ad Prælaturas, & dignitates. *V. Tambur. T. 1. disp. 5. q. 20. n. 6.**

Amplia 3. Ut non admittatur ad testimonium ferendum de rebus, quas vidit tempore infamiam præcedente. Non enim præteriti temporis ratio habetur, quod innocuum fuit, sed hujus, quo per infamiam integritas læsa fide indignum reddit: nec aliud præsumitur, quàm ibi deesse justitiam, ubi sceleratus animus est. *c. Forus ff. de verb. signif.*

Amplia 4. Non tantùm ab obtinendis beneficiis excluduntur infames, sed etiam obtentis privari possunt, ut *Barb. annotat in c. Inter dilectos. de excess. pral.*

subjungens ex *Garfia*, collationem beneficii factam infami, vel criminoso crimine, quod non inducit irregularitatem, non esse ipso jure nullam. Igitur ut eo privatus censeatur, sententia iudicis necessaria erit. Quando autem crimen enorme est, ab officio, & beneficio suspendi reus potest, donec se puraverit. *Abb. Panor. Socinus Vivianus, & Barb. in c. Inter sollicitudines. de purgat. Con. Sanchez. l. 6. consil. moral. c. 3. d. 6. n. 3. Pelizzar. in Man. Tr. 7. c. 5. n. 146.*

Amplia 5. Ut à civilibus & profanis muneribus arceantur, qui juris infamia laborant. Nam neque amanuenses seu scribæ, neque secretarii Principis esse possunt, neque tabelliones in curia, aut prætorio Principis, quemadmodum ex DD. placitis fusè declarat. *Covarr. in l. practicar. Q. 9. 19. Saub. l. 1. n. 11. & 12.*

IV. Obj. 1. Spurii Decuriones fiunt, cum non suo, sed alieno malo laborent. *l. Spurii. ff. de Decurionib.* ii quoque qui Iudaicam superstitionem sequuntur. *l. Generaliter ibid.*

R. Loco meliorum, quimodò desunt, admittuntur subinde ad officia, qui jure inhabiles censentur. Aliqui per Iudaicam superstitionem, intelligunt Christianæ fidei professionem, quod olim sic appellata fuerit: sed nihilominus aliunde constat, Iudæos ab ejusmodi munere non excludi, ut *Garr. fr. annotat.*

Obj. 2. *Instit. de except. §. fin. exceptio infamiæ contra Procuratores, à Iustiniano Imp. reprobatur.*

R. Munus procuratoris olim vile & ignobile fuisse, excepto eorum, qui

R. c.

Regi, aut Principi seruirent. Hoc tem-
pore autem vix aduocatis cedunt, ad-
eoque non sine nausea audient vetus
illud vilitatis encomium. Imo ab offi-

cio procuratorum excluduntur, qui
infamia laborant. *V. Bronchorst. Cent. 1. v.
Ass. 95. Gaill. l. 1. obs. 43. & Silv. in V. Procu-
rationes.*

REGVLA LXXXVIII.

*Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba com-
plectens contra legis nititur voluntatem.*

I. Obscuritatem in legibus duæ
causæ efficiunt, Verborum in-
opia, varii, & improvisi eventus. Res
persæpe nota est, non tamen ita verbis
exponitur, ut non liceat aberrare. E-
ventus autem, quia certis limitibus
non continentur, non sigillatim, & per
se, sed generatim, ac confusè menti ob-
ijciuntur. Vetuit, *exempli gratia*, Ius, ne
quis clericus beneficiatus ex ecclesiæ
bonis consanguineos suos locupletet.
Cono. Trid. Sess. 25. de reformat. cap. 1. Tu,
quæ immediatè illis dare non potes,
tertio alicui non cognato relinquis ea
lege, ut ab eo ipsi accipiant. Maritus
uxori bona sua donare prohibetur,
non donat suo quidem sensu, sed ven-
dit, ita tamen, ut uxor pretium sibi re-
tineat. Non est legis mens, sed mentis
parùm rectæ illusoria calliditas; contra
quam Regula hæc proclamat damna-
tionem, committere in legem non se-
cus, ac si & verba illius & voluntatem
perverterent. Hos legum pœnis obno-
xios esse, cum se contra juris senten-
tiam sæva prærogativa verborum frau-
dulenter excusent, *Imp. Theodosius, &
Valentinianus* dicunt in *l. Non dubium.*
*C. de legib. Cicero quoque in Orat. pro Cacin-
na* calumniatoribus annumerat eos,

qui scriptum sequuntur ratione negle-
cta.

II. Modi, quibus in Regulam hanc
peccetur, fraude legibus facta, juxta
Dyni assignationem quatuor sunt. 1. *De*
Declinando à re in rem. 2. *De perso-*
na ad personam. 3. *De contractu ad*
contractum. 4. *De contractu ad eun-*
dem contractum, sed non eodem mo-
do, & propterea videtur alius contra-
ctus. De read rem extat prohibitio. S.
C. Macedon. sicut diximus in *Reg. 84. n. 1.*
ne pro pecunia, quæ prohibetur, fru-
mentum aut vinum filiosam. mutuo
detur. De persona ad personam exem-
plum superius *n. 1.* dedimus de marito,
qui uxori suæ rem vendit, nullo pre-
tio exacto. De contractu ad contra-
ctum, cum is qui testari non potest, si-
mulat se inter vivos alienare, accepta
quidem, sed mox reddita pecunia. De-
nique de contractu ad eundem contra-
ctum, ut si mulier quæ *S. C. Velleiani* be-
neficio aduersus fidejussorem iuvatur,
singitur directè ac ptopriè, non acces-
soria, sed principali obligatione se ob-
ligasse. *l. quamvis. §. Cum esset. ff. ad S. C.*
Velleianum.

III. Amplia 1. Et extende etiam
ad legem, statutum, vel decretum

ff futus

futurum, ut si domum tuam brevi scires proscibendam, aut fisco addendam, homini ignaro venderes, quod *Cicero l. 3. offic. de Claudii ædibus in Cælio monte* postis scribit. Item si conscius quis brevi in eundem æris, seu pecuniæ valorem, confestim debita solvat, vel aliis commutat: quamvis non facile talis in foro conscientiæ, nisi aliud accedat, iniustitiæ damnandus sit.

Amplia 2. Quemadmodum in legem committit, qui verba illius complexus contra ejusdem nititur voluntatem, ita etiam ille peccat, qui ordinem rei attendens, loquentis mentem, contemnit. Nam ubi par intentio, ac machinatio fraudis adhibetur, pari culpa & injuria animus corrumpitur. *V. Barbatium, & Felinum in c. Causam quæ de rescriptis.*

